EX CANDIDO ET PROPINQVO

NOCTE ITER OSTENDE

Sanctus Sanctus Sanctus





PHILIBERTI MARCHINI NOVARIENSIS

DOCTORIS THEOLOGI

EX PRESBYTERIS REGVLARIBVS

BARNABITIS

CONGREGATIONIS SANCTI PAVLI

DE [illegible] SANCTISSIMÆ TRIADIS

Inquisitione Scholastica

TRACTATVS


BREVIS FACILIS

ET

Dilucidus



FLORENTIÆ Typis Petri Nesti
M.DC.XXXV. Superiorum permissu



GYMNASTICÆ
DE DEO TRINO
DISPVTATIONES

Ad mentem præcipuè Angelici Doctoris

NON MINIMA CLARITATE, BREVITATE, aptaque cum methodo explicatæ

AD VSVM, COMMODVM, AC PROFECTVM
Studentium non parum accomodatæ

AVCTORE

PHILIBERTO MARCHINO
NOVARIENSI,
DOCTORE THEOLOGO, ET PRESBYTERO
Regulari Barnabita Congregationis Sancti Pauli.

Nunc primum prodeunt in Lucem.



FLORENTIÆ,
Typis Petri Nestei, ad Signum Solis: M. DC. XXXV.
SVPERIORVM PERMISSV.

APPROBATIO OPERIS.

Doctissimum, Plenissimumq. DE DEO TRINO Opus Auctore Reuer. Patre Doctore Philiberto Marchino nostræ Congregationis Theologo; cum non modo in præsentiarum de mandato Admodum Reu. Patris Baptistæ Cribelli Præpositi Generalis, legerim, legerimq́. verum etiam, aure Inoffenso de vniuersa re Scholastica in Ticinensi Academia ipsum Professorem audierim, Typis per quam dignum censeo; Tùm ob Doctrinæ iuxtà Fidem, Patresq; Orthodoxos integritatem; cùm ob breuitatis, qua tot, tantasq; Quæstiones, apud alios Voluminibus haud satis expletas, explet, excellentiam. Dat. Florentiæ in Collegio nostro sancti Caroli 6. Maij 1634.

Ego Franciscus Catulius Cler. Reg. S. Pauli delegatus.

Mandante admodum R. P. D. Baptista Cribellio Præposito Generali.

Ego D. Bernardus Vgolinus, Cler. Reg. S. Pauli, Tractatum DE DEO TRINO, à R. P. D. Philiberto Marchino elaboratum, recognoui; Cumq; eum ad libratæ speculationis trutinam vocatum cognouerim; nihilq; ab orthodoxæ Fidei Dogmatibus dissentire, depræhenderim: vt prælo mandetur, dignum censeo. Siquidem experimento comprobandum existimo Sapientis vnius dictum;

Sapientis sapiet Sapientibus Sapientia, nec desipiet insipientibus.

Datum Florentiæ in Collegio nostro sancti Caroli.

Idem qui supra, manu propria.

FACVLTAS IMPRIMENDI.

ADMODVM REV. P. D. BAPTISTÆ CRIBELLI
Congregat. Cleric. Regul. S. Pauli Præpositi Generalis.

CVM opus, cuius Titulus est. GYMNASTICÆ DE DEO TRINO Disputationes à Reu. Patre D. Philiberto Marchino nostræ Congregationis Theologo compositum, duo eiusdem Congregationis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, atque in lucem dari posse probauerint, potestatem facimus, vt ad publicam vtilitatem typis imprimatur, si Superioribus, quibus id competit, ita placuerit. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, Sigilloque munitas dedimus. Dat. in Collegio nostro SS. Apost. Pauli, & Barnabæ die xvj. Maij 1634.

D. Baptista Cribellus Præpositus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

Il P. D. Cesario Vannocci Monaco Cisterciense veda se nel retroscritto Trattato DE DEO TRINO si contenga cosa, che repugni alla Pietà Christiana, ò Fede Catholica, e referisca. Il dì 27. di Gen. 1633.

Vincentius Rabatta Vic. Flor.

Præclarum hoc opus de Sanctissimæ Triadis Mysterio Doctissimi Sacræ Theologiæ Magistri admodum R. P. D. Philiberti Marchini Nouariensis Præsbyteri Regularis Barnabitæ Congregationis Diui Pauli mira de more, & facilitate, & dexteritate compositum, iubente peradmodum Illustri, ac Reuerendissimo D. Vincentio Rabatta Vicario generali Florentino non semel euolui, perlegi accuratius, nihilq; in eo, vel Catholicæ Fidei, vel morum integritati contrarium continere depræhendi, quin verò potius omnia ità eruditè, ità piè, singulariq; prudentia vel disputata, vel enodata sunt, vt (me quidem iudice) nedum seipsum auctorem, sed quamplurimos sapientia præclarissimos Viros præcelluisse hac in re videatur, quam ob causam illud multis nominibus non prælo solum, sed præcipua etiam, & commendatione dignissimum pronuntio, & ad Studentium profectum, & commodum fore vtilissimum existimo.

Ità est, ego D. Cæsarius Vannotius Flor. Monacus Cisterc. in Ciuit. Florent. Theol. collegiatus, & in Monast. Cistelli S. Theol. Lector. Dat. Flor. in eodem Monast. Cistelli die 4. Februarij Anno ab Incarnatione Domini 1633.

Attenta relatione prædicta facultatem impertimur quod huiusmodi opus typis imprimatur, seruatis seruandis. Dat. hac die 4. Februarij 1634.

Vincentius Rabatta Vic. Florent.

Ego idem D. Cæsarius Vannotius, qui supra vidi, & diligenter expendi subtilissimas, atque eruditissimas addictiones, quas idem Admod. R. P. M. & sacræ Theologiæ Doct. D. Philibertus Marchinus Clericus Regularis Barnabita Congregationis S. Pauli, addiecit, atque apposuit in suo de sanctissima Triade absoluto Opere, quæ cum non solum Fidei Catholicæ, bonisque moribus non aduersentur, imò valdè explanent prædictum Tractatum, omninò typis eas cudendas censeo ad communem omnium vtilitatem, maximè verò ad Sacræ Theologiæ studium prouheendum.

Datum in Monasterio Cistelli die prima Ianuarij 1635.

Ego idem qui supra delegatus.

Imprimatur die 13. Febr. 1634.

Fr. Agapitus Vicarius Generalis Sancti Officij Florentiæ.

Sebastianus Cellesius.

AD

AD STVDIOSOS LECTORES.



VRE sanè de mortalium genere benemeritos appellare debemus duos illos Italicos Palinuros, seù potius bina illa nostra Italiæ præclarissima lumina, Americum Vespuccium Florentinum, & Christophorum Columbum Ianuensem, viros immortalitate dignissimos, qui Herculeas prætervecti columnas, cõtra marinos vortices, aduersus desæuientis despumantisq; Oceani ferociam multum diuq; nauigantes, tandem post innumera rerum discrimina, Orbem nouum feliciter appulerunt; ex quo immensum auri, et argenti pondus, pretiosas gemmas, aromatum genera omnia, vellera serica, pluraq; alia humanæ vitæ subsidia ad communem omnium gentium vtilitatem, nec non in maximam Regis Hispaniarum commendationem, vel in firmissimum Regnorum eius robur ad nos quotannis deuehuntur.

At non minori laude illi planè cumulandi videntur, qui post calcatos humanæ Sapientiæ fluctus, angustam Philosophis præfixam metam transeuntes, ad nouum Orbem conuolantes, immensas diuinæ Sapientiæ opes per varia librorum volumina diffusas, & in vnum congestas, ad commune studiosorum commodum deportarint. Ceterum si ab aliquo rogemur, quis qualisue nouus iste sit Orbis, respondemus cœlestem Hierusalem hoc nomine procul dubio nuncupandam, de qua scriptum est, Ecce facio Cœlum nouum, & terram nouam; *beatis* (Apocalyp. Cap. 21.) *illis mentibus in perpetuum domicilium præparatam. An non nouus Orbis meritò dicendus est hic tractatus de Deo Trino, qui nouis ac insolitis fundamentis, seù principijs, ex sola fide petitis innititur, qui non auri vel argenti pondera, sed cœlestes omnes thesauros recludit, cuius obiectum non est ens visibile, aut naturale, aut mobile, non corpus animatum, non res trascendentalis, aut substantia separata, sed Deus optimus maximus, vnus in essentia, atq; in Personis trinus, non quatenus in Creaturis relucet, aut naturali lumine cognoscibilis est, sed quatenus sola superna reuelatione manifestatur. O tellurem sanè inuisam. O Regiones antiquis Philosophis ignotas, ad quas sola Christiana Philosophia nautica Acus nauigantes tutissimè deducit: igitur è nouo isto Orbe, quẽ infirma licèt acie perlustraui, modo soluens, oneratam diuinarum mercium nauim, ad vos humanissimos Lectores*

deuehep, quibus incomparabiles diuitias ad vsum theologicum, nec non ad quandam in terris felicitatem assequendam cōparare potestis. Quid enim homini felicius contingere potest, quam æternas illas emanationes, relationes, notiones, personarum attributa, tacita mentis cogitatione complecti? Quid dulcius excogitari potest, quam scire unitatem cum distinctione, identitatem cum diuersitate ita copulare, vt quamuis Pater totus in filio inexistat, & filius in Patre, & S. S. totus in ambobus, & e conuerso, nihilominus mutua ad inuicem relatione discernantur? Quæ vberior voluptas in terris esse potest, quam in

Ioan. 17. *mortali adhuc corpore ipso beatorum pabulo recreari?* Hæc enim est vita æterna vt te Deum verum cognoscamus, & quem misisti Iesum Christum. *Hac est inchoata quadam humanæ mentis in terris felicitas, quæ reuelata facie in æterna Patria postea complebitur.*

Isaię cap. 55. Omnes ergo sitientes venite ad aquas. Et qui non habetis argentum, properate, emite absq; commutatione vinum, & lac, *vel secundum Caldaicam lectionem.* Heù omnis, qui vult discere veniat, & discat, discite absq; pretio, & absq; pecunia doctrinam meliorem vino, & lacte. *Esurientes bonis forte replebuntur, fastidiosi diuites omnia nauseantes inanes dimittentur. Neq; tamen ob hac verborum incitamenta mihi aliquid tribuendū velim, qui ex meo nihil habeo præter innumera peccata. Ego alienas opes defero, quippè cum si quid est in hoc opere solida veritatis, si quid ingenij, quod sentio quam sit exiguum, id totum vel in assiduam Augustini, & Doctoris Angeli-*

1. Ad Cor. 1. *ci Lectionem, vel in Deum ipsum, qui infirma mundi, & stulta interdum eligit, vt fortia queq; confundat, referendum volo.*

Ceterum et si rectus tradendæ doctrinæ ordo, veteri Scholasticorū vsu confirmatus, illud postulare videbatur, vt a diuina vnitate perprius, quam a ternario diuinarum personarum numero lucubrationes meas typis euulgandas curarem; præsertim cum a facilioribus semper sit exordiendum: Nihilominus ab eadem Sanctissima Triade non minimam mihi felicitatem auspicatus, ac Clarissimos Ecclesiæ Patres Augustinum, Cyrillum, Hilarium, Anselmum, qui de solo hoc arcano libros plurimos eruditione cumulatissimos ediderunt, imitatus, inde duxi inchoandum, tùm vt si lumen aliquot a Patre luminum in hoc opere conscribendo fortè acceperim, illud totum in eundem Deum Trinum, a quo indiuisa societate processit, iure quo-

dam

dam actionis gratiarum dirigatur; tùm etiam quod tractatus iste ex omni sui parte theologicus sit, ac Christianæ fidei proprius, cum Dei Optimi Maximi vnitatem, ceteraq; omnia absoluta attributa Ethenici etiam Philosophi naturali lumine consequi potuerint, tùm maxime quia, cum speculatio ista de Deo Trino subtilitate obiecti, obscuritate, ac difficultate disputationum, reliquas theologicas materias longè superet omnes, ideo a difficilioribus incipiendum, vt si in illis enodandis tenuitatem meam aliquid fructus contulisse sensero, ad reliquas Theologiæ partes proximè promulgãdas ardentiori animi studio, & maiori conatu contenderem.

Porrò quamuis plures non desint, qui de eadem materia copiosius, elegantius, subtiliusq; conscripserint, attamen expedit interdum de eadem re plures habere Ecclesiam scriptores in maiorẽ propositæ veritatis corroborationem. Undè B. August. ideoq; vtile est, *inquit*, plures a pluribus fieri diuerso stylo, nõ diuersa fide & de quęstionib. eijsdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat ad alios sic, ad alios autem sic. *Deindè qui studentium cõmodo inseruiuerint magis, dicam audacter, vel nemo prorsus, vel certè pauci cõperientur. Alij tùm commentarijs, tùm disputationibus, vberrimis item Scholasticorũ testimonijs plenissima eaq; doctissima volumina promulgarunt. Alij omisso commentandi genere, controuersias inter hæreticos & Catholicos, nec non inter Scholasticos pluribus argumentis dirimere vtiliter studuerunt Sed vt veritati detur locus, solis Magistris, vel ingenio perspicacissimis labores suos cõsecrarunt. Ego solis in theologica disciplina tyronibus, vel ingenio tardioribus opus istud rudiori Minerua conscriptum deuoueo. Sectentur Alij verborũ flosculos, sententiarum copiam, dicendi elegantiam; rerum vbertate, innumeris SS. Patrum testimonijs, ad idem confirmandũ productis obscuritatem affectent. Ego sentiens in paucis veritatem consistere, difficillima quæq;, maxima, quantum in me fuit, breuitate, facilitate, ac claritate explicare conatus sum. Leuiora ac superuacanea, vel negligenda putaui, vel nõ nisi raptim percurrenda: Necessaria verò & scitu digna nõ perfunctoriè discussa, sed omnia, & singula accurato studio ita examinata, vt nihil eorum, quæ ad perfectam illius quæstionis intelligentiã pertinere videntur, omninò desideretur. In recẽsendis SS. Patrũ testimonijs, illustriora selegimus, Beatis August. & Thomæ Aquinati, de Re Scholastica, ac de tota Ecclesia*

B. Augustinus l. 1. de Trinit. c. 3

valde

valdè benemeritis plurimum tribuimus, illorum in qualibet re sensum venari omni studio curauimus. Aliorum Scholasticorũ allegationes sæpissime de industria omisimus, tum quod solo numero, non pondere fidem augeant, tum quod in disputationibus theologicis, quæ vel theologica ratione, aut Sacris literis vel Patrum, & Conciliorum testimonijs dimetiuntur, non opus sit, Doctorum texere Iuristarum more catalogum. tum etiam quia iuxta doctrinam Philosophi inane sit contra quamlibet opinionem disputationem dirigere, aut in quauis cauillosa ratione soluenda diutius morari. In reliquis veritates non nouitates indagauimus. Quod si quid fortè nouum tibi aliquid occurrat ab alijs scriptoribus intactum, noli quæso statim cauillosè notare, damnare, mordere, vel despicere. Non quis dicat, sed quid dicatur, attende. Neq; enim *vt præclare monet Clemens Alexandrinus*, propter eum qui dicit, sunt imperitè ea prius damnanda, quæ dicuntur, sed sunt consideranda, An veritati cohæreant. *Quapropter non possum non valdè detestari spinosa quorundã ingenia, quibus quæcũq; apponas siuè dulcia illa sint, siuè agrestia, siuè optima siuè pessima substãtia, veluti lethifera febri laborantes omnia, & singula nauseare non verentur. O miseram nostrorum temporum calamitatem. Si nil noui in tuis voluminibus afferas, protinus scioli isti elato supercilio omnia aspernantur: si quid recenter ingenioseq; elaboratum inueniant, aut propria opinioni aduersum, non solum illud nõ probant, sed canino dente non semel dilacerant. Verum ego istius generis viros non alloquor, pro his me nullo modo scribsisse obtestor: nec cogor inuitũ volumen istud legere. Iam sensus meus in hoc opere conficiendo satis superq; supra declaratus manet, me discipulos dumtaxat, & potissimum nostri Ordinis erudiendos suscepisse. Ad vos igitur sermonem meum cõuertam iuuenes ornatissimi litterariæ Palestræ Amasij, germen pium, examen nouellũ flos Congregationis nostræ fructiferũ lignũ propè fluentes aquas plantatum quod fructum suum dabit in tempore suo. Vobis hos meos qualescũq; labores offero, dico, sacro. Accipite illos, rogo, libentissimis animis, apertissimum meæ in vos propensæ voluntatis testimonium, ac officiosæ obseruantiæ leuissimum argumentum. Quod si ex hoc opere alicuius a vobis collecti fructus fama ad me deuenerit, ardentiori studio vos iuuandi, maiora quotidie moliri, ac parare non desinam. Valete.*

Aristot. lib. 1. Physicorum.

Clemens Alexandrinus lib. 4. Stomatũ.

APPA-

APPARATVS
AD TRACTATVM DE DEO TRINO.

De mistico Seraphim Alis tergeminis instructo, siuè de legitimo Sanctissimæ Triadis indagatore.

SANCTISSIMÆ Triadis inuestigatio sublimitate obiecti præstantissima est, obscuritate recondita, intelligentia difficilis, affatu prorsus inexplicabilis. Puteus iste altus est, quis hauriet aquam? immensum Pelagus est, quis exigua, & fluctuante humanæ intelligentiæ cymbula tutò illud transuadare valebit? Diuinum est, & infinitum, quod nostræ mentis acie dimetiendum proponitur, quis ergo æthereum per axem audebit decurtatis pennis volitare? Etenim si mens nostra in qualibet Cælestium rerum contemplatione caligat, multò magis timendum est, Ne *Scrutator maiestatis à gloria eius subpinato opprimatur.* Siquidem Deus Trinus *Lucem inhabitat inaccessibilem, posuit tenebras latibulum suum,* ne dignoscatur, *ascendit super Cherubim, & volat super pennas ventorum,* hoc est ipsam supernarum mentium naturalem intelligentiam penitus effugit. Agnouerunt hanc veritatem sanctissimi Patres, inter quos Sanctus Ambrosius sic fatur. *Quid mirum,* inquit, *si mysterium Dei Patris, & Domini nostri Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ absconditi, per sapientiam Mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec Angeli cognoscere sine reuelatione potuerunt?* Hæc ille, cui Sanctus Cyprianus his verbis astipulatur. *Sola sibi nota est Trinitas, & solus Pater scit Filium, Patremq; nouit Filius, neque à quocumq; nisi eo reuelante est cognitus: In hac Diuini magisterij Schola Pater est, qui docet, & instruit, Filius, qui arcana Dei nobis reuelat, & aperit, Spir. sanč. qui nos replet, & imbuit.* His subscribit S. Hilarius, qui ad idem argumenti genus

Prou. 25. ad Timot. 6 Psalm. 17. vers. 12. & 13.

S. Amb. l. 4 de Fide. c. 1

S. Cypr. sermone de Baptismo.

S. Hil. lib. 2 de Trinit.

con-

confirmandum sic disserit. *Immensum est quod exigitur, & incomparabile, quod auditur, &c. extra significantiam est sermonis, extra sensus intentionem, extra intelligentia conceptionem, quidquid vltrà quæritur, non enuntiatur, non attingitur, non tenetur. Verborum significantiam rei ipsius natura consumit, sensus contemplationem imperspicabile lumen obcæcat, intelligentia capacitatem, quidquid fine nullo continetur, excedit: mihi certè respondenti in curis æstus est, in sensu labes, in intelligentia stupor, in intelligentia autem non iam infirmitatem, sed silentium confitebor.* Hæc S. Hilarius. Quamobrem si præclarissimi Patres isti in Diuinis rebus assequendis Cælesti lumine collustrati, in hoc mysterio pertractando impares se esse præfeferunt, quanto minus animalis homo, quæ sunt spiritus Dei, percipere valebit?

His consona sunt non pauca nec obscura vaticinia, veluti illud Patientis
Iob. 36. Regis. *Ecce Deus noster vincens scientiam nostram*, & illud Isaiæ. *Generationem*
Isaia 53. *eius quis enarrabit?* Quis enim satis explicare poterit, qua ratione processio Sp sanc. generatio is nomen minimè mereatur? quomodo ipsa Filij emanatio à vera creationis notione longissimè distet? quo modo Filius alium sibi Filium, & Spit. sanc. alium procreare nequeant? quomodo plures tribus in Diuinis personis esse repugnet? quomodo Pater, & eadem relatione Paternitatis à Filio discernatur, & per illam sit aliquo modo illius principium? quomodo idem æternus genitor, nec tempore, nec natura, nec in subsistendi consequentia Filio suo anterior esse possit? & vt vno verbo omnia comprehendam, quomodo hæc duo adeò diuersa, nempè esse vnum, & trinum de eodem Deo rationabiliter, & appositè enuntientur? O reconditam, & admirabilem vnitatem, & Trinitatem! O immensam tanti arcani profunditatem, quæ omnem creati, aut creabilis Intellectus effugit celeritatem, superat subtilitatem!

Huc spectat factum illud animaduersione sanè dignum, quod mirabilia omnia
Exod. 7. à Moyse coram Pharaone Diuina virtute peracta, etiam à magis Dæmonum arte perpetrabantur, sed in tertio quoque signo deficiebant. Cur in tertio non in duobus præcedentib. signis Magi isti Vires omnes suas amittebant? Tollit illud dubitationem, Magos in prioribus duobus signis minimè defecisse, quia mens humana aliquid de naturalibus, aliquid de Diuinis rebus assequi potest. At in tertio signo, idest in sanctissimæ Triadis contemplatione quilibet creatus, aut creabilis Intellectus prorsus hallucinatur.

Quod etiam in nouo testamento expressum magis apparet, quandoquidem
Mat. c. 17. dum tres illi prædilecti Petrus, Iacobus, & Ioannes vocem æterni Patris in Monte Tabor audiuerunt, statim obmutescentes quasi cælesti fulgure tacti conciderunt. Siste hic Lector pedem, quem mihi sic liceat interpellare. Cur qui viso corruscante ad solis instar Christi Domini vultu, niueoque indumentorum eius cognito candore, nihilominus non oculos auerterunt, non illo se splendore læsos ostenderunt, non stupore, ac extasi rapti conticuerunt, sed Petrus aliorum nomine hanc in vocem erupit. *Domine bonum est nos hic esse: faciamus hic tria Tabernacula.* Postea voce æterni Patris audita, silent omnes, stupent, contremiscunt, corruunt. At id mirum alicui esse non debet. Loquentem siquidem in hæc verba Patrem auribus perceperant. *Hic est Filius meus dilectus.* Quibus sanè verbis occultum Trinitatis mysterium illis expressè apertum fuit; cum ibi

in voce esset Pater, in natura humana Filius, in nube Spiritus sanctus, ideò tres illi Apostoli cognitam trium Diuinarum Personarum præsentiam opportuno silentio in terram prolapsi colunt, ac venerantur. Quæ cum ita sint, nemò non videt, multo satius esse, mysterij adeò inefabilis splendorem admirari, quam congruo velle sermone explicare.

Nihilominus in hoc inextricabili Laberinto aureum quodammodo Filum nobis porrigit Euangelicus ille Vates, qui ex vna parte Deum trinum in hoc mortali corpore se vidisse testatur, ex altera per adstantes Seraphinos alis senis certa quadam forma dispositis ornatos, simùl media tradit, quibus ad eiusdem Triadis contemplationem tutissimè, & vtiliter peruenire possimus. *Vidi Dominum*, inquit, *sedentem super Solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus à Maiestate eius, & ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud sex Alæ vni, & sex Alæ alteri, duabus faciem eius, & duabus pedes eius velabant, &c.*

Nihil in hac cælesti Apparitione mysterijs vacuum: Nos tamen ea dumtaxat attingemus, quæ nostro instituto accomodata magis videbuntur. Illud in primis supponendum est, quod ad superiora confirmanda valdè attinet, vatem hac assertione *Vidi Dominum* necem sibi parasse, quam Manasses impius Rex, tametsi Socer eius esset, vt tradunt Hebræi, & refert B. Hieronymus, illi inferre non dubitauit, iubens eum medium in duas partes serra lignea secari, veluti *S. Epiphanius, Isidorus, Eusebius, Hieronymus*, & noster *Tornellus* contra *Abulensem* id negantem factum fuisse sub Rege Manasse, scriptum reliquerunt.

Cum enim Hebræorū animis vetus illa opinio firmissimè insedisset, neminem posse Deum videre, quin statim moreretur iuxtà illud Exodi 33. vers. 28. *Non videbit me homo, & viuet*, & Iudicum 13. ver. 22 *Moriemur, quia vidimus Dominum*, Manasses, qui Prophetas Dei omnes acriter persequebatur, ex hac Euangelici Vatis visione, veluti impiam aliquam blasphemiam aduersus Deum protulisset, prędicto crudelissimo illum mortis supplicio necari præcepit.

Cæterum nullam habuit Manasses iustam causam occidendi Vatem ob hoc eius assertum, quòd non de clara, & intuitiua Dei visione, quæ mortalibus lege ordinaria repugnat, sed de corporali, & imaginaria per intentionales imagines apparitione Dei perspicuè loqueretur, ex qua tamen in Diuinæ dotes naturæ, Triadisque sanctissimæ notitiam per sensibilia ad intelligibilia raptus, non obscurè deuenit. Quid enim per solium nisi Diuinæ naturæ præstantia his verbis adumbratur? quod iure optimo dicitur *excelsum* propter nobilitatem, *eleuatū* ob naturæ Diuinæ eminentiam supra omnem Creaturam, inquantum Deus creata omnia in infinitum perfectione excedit: in quo solio idem *Deus sedere dicitur* propter immobilitatē, & perpetuam requiem in semetipso, apud quem nō est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Domus eius*, quæ nihil aliud est, quam totum hoc vniuersum, *plena erat Maiestate eius*, quia Deus Creaturas omnes sua immensitate replet, fouet, atque in esse tuetur, *& ea, quæ sub ipso*, nempè vniuerso *erant* hoc est spirituales Creaturæ cælestis Hierusalem templum ob immensum eorum numerum, ac dignitatem *replebant*.

Sed quid per Seraphinos tergeminis ornatos Alis, quarum alteris Diuinum caput tegebant, alijs duabus pedes velabant, & reliquis duabus volabant, nisi

S. Aug. Ep. 102. ad Euonium. S. Th. 3. p. q. 45 ar. 4. ad 2. & 1 p. q. 41. ar. 7. ad 6.

Isaiæ c. 6.

B. Hier. in cap. 20. Isaiæ.

S. Epiph. in vita Is. S. Isidor. in lib. de vita & morte ss cāp. 37. Euseb. in Chronocis. Augustin. Tornellus tom. 1. Annaliū in 1. Mundi ætate an. 3338 num. 4. Abulens. 4. Reg. c. 2. quæst. 18.

occultissimæ, & inuestigabilis Triadis sanctissimæ inuestigatorem? Siquidem prædicta alarum dispositio Crucis referens formam, ac numerum quo ad munera ternarium præbens, tres Diuinas personas clarissimè exprimebat, & multò magis dum cælestes illi spiritus eandem Triadem sanctissimam venerantes trisagium alternatim, sed vnanimiter edebant.

Hac ergo alarum dispositione, & clamore, perfecta contemplandi mysterij huius forma proponitur; adeò vt qui ad inuestigandum Deum trinum accedit, ne in errorem aliquem inducatur, senis alis necessariò præditus esse debeat.

Verum, quia nonnulli graues Scriptores, tùm de præfixo Spirituum, & alarum numero, tùm de qualitate, & significatione ipsa Seraphinorum adstantium ante Dominum non parum dubitarunt, idcircò antequam ad ipsarum alarum interpretationem accedamus, de ijs quatuor, paucis pro munere nostro agendum necessariò iudicamus.

Ludou. Alcasar. in Apoc c 4 uers 7. & 8 notat 10 de Seraph.

Quod spectat ad numerum Seraphinorum, quos hoc loco viderit Vates, sunt qui velint, illos solos binos fuisse non plures. Mouentur tùm ex verbis illis *Sex alæ vni, & sex alæ alteri*, quæ denotant duos solos fuisse, tùm ex vsu Ecclesiæ, quæ in Festo sanctæ Trinitatis apertè dicit. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus.*

Nihilominus multò verius est fuisse plures duobus, tùm ex eo quod Regem comitantur plures Aulici, tùm ex illis verbis, *& ea, quæ sub ipso erant replebant templum*, nempè cælestes Ciues, vt dictum est, tùm quòd vates non vtatur numerò binario, sed numero plurali indefinito. Dicens *sex Alæ vni, & sex Alæ alteri.* Qui est Hebraismus hunc sensum reddens *sex Alæ vni, &c.* idest singuli eorum senas alas habebant, tùm ex eo quod vnus de Seraphim dicatur volasse ad Prophetæ labia igne purganda. Non est autem verisimile apud Regem Cælorum vnicum duntaxat è duobus permansisse Aulicum, tùm denique, quia hanc sententiam expressè secuti sunt *B. Hieronymus, Antonius Montanus, Perrerius, Pardus, Antonius Fernandius in suo tractatu de visionibus*, qui omnes supponunt multitudinem Seraphinorum, & aliorum cælestium Spirituum, quos hoc loco intuitus est Isaias, fuisse innumerabilem.

B. Hier in hunc locũ. Montanus Perrerius, Pardus, Fernãd. tr. de Visionibus Vis. 10 c. 6. sect. 5.

Circa qualitatem horum cælestium Spirituum. An illi ex supremo Choro primæ Hierarchiæ, vel ex infimo tertiæ fuerint, probabilius censeo fuisse ex infimo tertiæ, atque inde Seraphinos nuncupatos nempè ab incendio, & effectu purgandi igne labia Prophetæ. Veluti expressè tradit S. Dionysius dicens Seraphim, qui labia Isaiæ purgauit, fuisse ex infimo Choro, à cuius auctoritate in re occulta à nostris sensibus discedere non licet. Quod idem tenent alij de Cherubim, quem custodem terrestris Paradisi Deus constituit; præsertìm quia huic assertioni ratio non infirma etiam suffragatur. Etenim quamuis iuxta nonnullos Theologos Vasquez, Pinedam Riberam, & alios, etiam Angeli supremæ Hierarchiæ ad nos mittãtur, iuxtà illud Pauli ad Hebræos. *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis* nihilominus etiã concessa ista sententia supremi Spiritus non nisi ad suprema negotia mittuntur, quale non est purgatio labiorum Isaiæ, aut custodia terrestris Paradisi. Nec refert quod nullus alius sit Scripturæ locus, qui de nomine

S. Dionys de cælesti Hier c 13 Pererius in Gen lib 3 de lapsu hominis c. 3 uers. 14. q 6. tom 1 Franc Cartag de B V. Homil. 15. in fine tom. 1.

Sera-

Seraphim reteretur, ex quo fit nullum Theologis relinqui fundamētum ad hunc supremum Seraphinorum Chorum constituendum. Nam Theologi acquiescere debent traditioni Ecclesiæ; & ss. Patrum auctoritatibus. Sed quidquid sit de hac quæstione, quæ propriam in Tractatu de Angelis sedem habet, redeamus ad inuestigandum numerum Alarum, quæ singulis Seraphinis competebant. Non enim desunt, qui existimauere hanc Visionem Isaiæ omnimodè assimilari Visionibus Ezechielis, & Ioannis; quos habuerunt de quatuor illis animalibus, senas alas habentibus, indè colligunt, non sex; sed quatuor duntaxat fuisse Seraphinorum alas cum duobus brachijs. Quod enim in Seraphim istis brachia conspexerit Vates, apertissimè colligitur ex illis verbis, *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari*. Ioannes item in suis animalibus brachia contemplatus fuit, quia singula habebant Cytharas, *&* Phialas aureas. Quamobrem ij Auctores sibi persuadent sex illas Alas, quas Isaias in singulis Seraphim vidisse commemorat, fuisse quatuor tantum, & duo brachia. Cui sententiæ minimè nos assentiri possumus ob clarissima verba textus, quæ sex Alas tùm Seraphinis Isaiæ, tùm quatuor animalibus Ezechielis præfigūnt. Quare per alas reddere brachia, & per sex reddere quaternas alas, coacta nimis, & violenta expositio mihi videtur: præsertim cum nihil nos cogat ad hanc sequendam interpræetationem. Quod enim illæ visiones plenè in omnibus assimilentur, id nullo modo concedimus: multiplex siquidem est inter eas discrimen, vt illas inter se conferenti manifestè patebit: & præcipuum discrimen est in numero, qualitate, & muneribus. In numero, quia illa animalia erant quatuor, hic Seraphim vel numero bini, vel innumerabiles, in qualitate, quia ibi animalia, hic Seraphim proponuntur, ibi quatuor facies, currus & alia multa, hic clamor Sanctus Sanctus Sanctus exauditus. Quod item vterque Propheta in vtrisque brachia fuerit contemplatus, argumentum efficax non est, diminutum proindè fuisse Alatum visarum numerum, aut Alas in brachia fuisse conuersas; sed sex illis Alis bina brachia addenda. His accedit communis vsus depingēdi Seraphinos cum Alis sex, sub qua forma etiam ille proponitur, qui in B. Francisci carne sacratissima stigmata impressit.

Gabr. Vasquez in 1. p. disp. 244. Franc. Ribera ad c. 1 Epistol. ad Hebraeos. Pineda ad cap 37. Iob uers. 10. n. 8. Pererius in Apocal. Pard. Villpadus in Ezech. de 4. animalibus. B. Ioan. in sua Apoc. cap. 4. uer. 7.

De primis duabus Alis Seraphim, quibus caput vel Diuinum, vel proprium velabant, nempè de Fide, & Religione, quibus ad Deum Trinum cognitione assequendum conuolare debemus.

REtineamusRetineamus itaque communem istam, verioremque interpræetationem de Alis sex cuilibet Seraphim à Deo concessis, quid modo tùm illæ significent, cùm multo magis Seraphim Regi Cælorum adstantes, sedulò inquiramus. Origenes per duos Seraphinos Patrem æternum, & Spiritum sanctum, per Dominum sedentem, Filium humanæ carni hypostaticè insedentem interpræetatur. Quæ interpræetatio si vera esset, vtique ostenderet, Vati hac Visione hoc Arcanum expressè fuisse reuelatum. Ceterum hæc expositio tollere videtur diuinarum Personarum æqualitatem: constat enim Seraphinos adstare Domi-

Orig. lib. 1. Periarchō cap. 3

no sedente in Solio excelso, & eleuato tamquam seruos, & Aulicos Regi suo. Alij vt Bernardus per duos Seraphinos intelligunt duplicem naturam rationalem, Angelicam scilicèt & humanam, quarum famulatu vtitur Deus. Alij per Dominum sedentem in Throno Summum Pontificem in Solio suo Pontificali morantem, per Seraphinos Sacerdotes adstantes exponi volunt. Alij per huiusmodi Seraphinos viros perfectos, & præsertim Apostolos, & Euangelistas adumbratos non solum, sed iuxta literalem sensum expressos opinantur. Ego verò per adstantes Seraphinos Triadis sanctissimæ indagatorem, & contemplatorem legitimum cupio agnoscendum. Quam interpretationem nonnulla efficaciter suadere mihi videntur. Primò quidem, quia hi Seraphim adstare ante Dominum sedentem in Solio dicuntur. At quid est adstare ante Deum, nisi præsentem eiusdem vultum cernere, incircumscriptum Lumen videre, ac in huiusmodi intuitu perpetuò lætari? Deindè cum ijdem cælestes Spiritus caput Dominicum duabus Alis operientes describantur, planè hoc facto indicabant, se tanti Luminis splendorem sustinere non posse, ac proindè radios a Deo Trino prodeuntes nouo faciei velamine non quidem penitus excludere, sed nonnihil illos propriæ imbecillitati attemperare. Vel dicendum est cum alijs grauibus Auctoribus huiusmodi Seraphinos non texisse Alis Dei vultum, sed proprium: nam ex Hebræo verti potest vtrunq; & velabant *faciem eius, & suā*, & 70 Interpretes absolutè transtulerunt, *Velabant faciem, & pedes*, & ideò *Pererius, Vatablus, Pardus, Alcassar, Fernandius* vbi supra singulos volunt velasse proprium vultum & pedes. Quod suspicor factum, tùm vt hac ratione declararent, se ob reuerentiam, venerationem, ac pudorem oculos in Deum directè non intendere, tùm vt significarent, solo velamine Fidei, quæ est argumentum non apparentium, Deum Trinum à nobis in hoc mortali corpore degentibus contuendum, ac contemplandum. Vnde B. Augustinus in huius rei confirmationem sic loquitur. *Trinitatem certè quærimus non quamlibet, sed illam Trinitatem, quæ Deus est, verusque, ac summus, ac solus Deus. Expecta ergo quisquis hæc audis. Adhuc enim quærimus, & talia quærentem, nemò iustè reprehendit, si tamen in Fide firmissimus quærat, quod aut nosse, aut eloqui difficillimum est.* & infrà. *Tutissima est enim quærentis intentio, donec apprehendatur illud, quò tendimus, & quò extendimur. Sed ea recta intentio est, quæ proficiscitur à Fide. Certa enim Fides vtcunq; inchoat cognitionem, cognitio verò certa non perficietur, nisi post hanc vitam, cùm videbimus facie ad faciem*, & paulo post. *De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis auctoritas tenenda est, in his veritas exquirenda.* Hæc ille. Quibus consona sunt, quæ scripsit Richardus de Sancto Victore. *Oportet quidem*, inquit, *per Fidem intrare, neque in ipso introitu persistere, sed semper ad interiora, & profundiora intelligenda properare, & cum omni studio, & omni diligentia insistere, vt ad eorum intelligentiam, quæ per Fidem tenemus, quotidianis incrementis proficere valeamus.* Consentit Nazianzenus his verbis. *Ducem potius Fidem, quam rationem sequamur, si modo ingenij tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti, rationisque id esse cognouisti, vt quænam sint ea, quæ rationis humanæ captum excedant, cognoscas, ne alioquin prorsus terrenus sis, ipsam quoque ignorantiam suam ignorans.* Pulchrè Chrysostomus arguens responsum Nico-

S. Ber. ser. 3. de verb. Isaiæ.
S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. cap. 4. p. 3.
Rupertus Abb. in c. 6. Isaiæ.

S. August. lib. 9. de Trinit. c. 1

Richar. de S. Vict. lib. 1. de Trin. c. 3.

Nazianz. orat. 3. de Theolog.

demi.

demi. *Quomodo potest homo nasci cum sit senex.* Dixerat autem Dominus. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spir. sanc. non potest introire in Regnum Dei.* Sic monet. *Nihil peius*, inquit, *quam humanis rationibus spiritualia subijcere. Hoc Nicodemum impedit, ne quid profundum contemplatur: ideò nos Fideles appellamur, vt humanarum cogitationum vilitate contempta ad Filij altitudinem euadamus, & qua nos manent, bonorum cogitatione hauriamus.* Hactenus Chrysostomus. Quo circa qui vel nimis audacter, vel curiosius quam par sit, ad hoc Mysterium pertractandum accedunt, non solùm à Gloria Domini obruuntur, sed etiam in innumeros & absurdissimos errores prolabuntur. Testes nobis locupletissimi esse possunt. Chris. hom. 25. in Io.

Ariani.	*Semiariani.*
Paripassiani.	*Macedonius.*
Montanus.	*Noetus.*
Faustus Manicheus.	*Sabellius.*
Priscillianus.	*Georgius Blandrata.*
Seruetus Ianuæ combustus Anno 1555.	*Tresfia, seù Trinitarij sub Pio IV. Anno* 1564.

Qui omnes diuersis erroribus Mysterium hoc deturparunt, nec non à Fide naufragantes, Ecclesiam Dei plurimum inuaserunt, & deuastarunt. Conscius enim humani generis hostis in cognitione sanctissimæ Triadis totam nostram felicitatem positam esse, ideò hanc conuellere innumeris artibus tentauit.

Quare sicut ante Legem gratiæ vnius Dei cognitionem, quam ex Creaturis omnes haurire potuerunt, teste Salamone. *A magnitudine enim speciei, & Creatura cognoscibiliter poterat Creator horum videri.* Dæmones innumera falsorum numinum monstra in Orbem inducentes euertere conati sunt, ità ad notitiam trium diuinarum Personarum, quam Christi reuelatione expresse accepimus, peruertendam post Legem gratiæ, prædicta monstra ab Inferis excitarunt. Sap. cap. 13

De alijs duabus Alis pedes obtegentibus, nempè humilitate, affectuum purgatione, & vitæ innocentia, quibus ad Deum Trinum peruenitur.

Quemadmodum Seraphim ab Isaia visi duabus Alis faciem Fide interuelant, ita humilitate pedes regunt, propriam imbecillitatem in hoc penetrando Arcano iure optimo agnoscentes. His medijs quasi quibusdam gressibus mens humana in Deum, qui *humilia respicit, & alta de longè cognoscit*, paulatim effertur, & eleuatur. Hinc B. Gregorius. *Si veraciter*, inquit, *sapientes esse, atque ipsam Dei Sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus, relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem.* Ad cuius rei confirmationem, Euangelicam Zacchæi Historiam adducit, qui cum Dominum videre magnopere aueret, & præ turba non poterat, quia statura pusillus erat, Sycomorum, quam ficum fatuam interpretatur, ascendit, vt transeuntem Dominum cerneret. *Pusillus itaque Zacchæus*, subdit, *Sycomorum subijt, & Dominum vidit, quia qui Mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei Sapientiam subtiliter contemplantur.* S. Greg. li. 27. moral. cap. 27.

Possunt etiam pedum nomine humani affectus designari. Nam sicut corpus

pedibus, ita Anima mouetur affectibus; Hos autem Alarum celeritate in Deum dirigere, mundare, & purgare debemus, si ad veram Sapientiam cōparandam aspiremus. Quod argumenti genus, quod ad iuuenes religiosè informandos valde conducit, nonnullis doctissimorum Virorum, & Sanctorum Patrum testimonijs illustrare decreuimus. Quorum primum sit illud Ioannis Cassiani, cuius hæc sunt verba. *Impossibile est*, inquit, *immundam animam, quantalibet desudauerit Lectionis instantia adipisci scientiam spiritualem.* Eisdem vestigijs insistens Marsilius Phicinus Florentinus disertissimus Orator, & Philosophus rem hanc pluribus similibus effusè declarauit. *Si natura terrea*, inquit, *lumen cæleste non recipit, terrenos a nobis affectus longius expellamus, vt diuino Lumine compleamur. Ac si vltimum corpus non recipit primi lumen, nisi calleat inde prius, simileque reddatur, ità nos quoque mentium vltimi flagremus prius amore primi, & amore purgati facti; similes luceamus deinde diuinitus, ac pleno iam lumine gaudeamus.* Alibi prosequitur idem argumenti genus sic scribens. *Ad ea quæ supra naturam sunt, sublimiori lumine opus esse putantes exactissima quadam animi purgatione, ità se præbeant, vt Diuina lux iterum illis affulgeat, &c.*

Alibi tractans de quibusdam, qui Diuino Lumine recepto abutuntur, sic fatur. *Radius ab ipso Deo ad perpendiculum descendens in animum si obliquum inæqualem reperit, per eum proplès transfertur, neque demonstrat Deum, sed inane quoddam in animo corruscans, &c. Vanum inquam, quia hic deest obiectum vnde venit, & fons cuius gratia venit. Sin autem nactus est animum planum penitus, & æqualem resilit in Deum protinus, capitque secum animum ad obiectum finemque suum feliciter apprehendendum, vbi mens denique Deo fruens, fruitur quoque se ipsa, seipsam videlicet consequens in idea.* Hæc ille.

Consimilia loquitur Nicetus in Gregorium Nazianzenus scribens. *Quemadmodum Israelitæ, quamuis Moysis vultum cernere cuperent, lumen propter splendoris radios ex eo manantes suamque infirmitatem eum tatueri non poterant. Ad hunc quoq; modum, qui nondum ex toto per morum probitatem, egregiasque virtutes animos non purgarint, cum Deo, & Theologia suscitam commercium habere admittentur.* Ad idem S. Cyrillus Alexandrinus hæc verba habet. *Neque enim passim omnibus absque iudicio ea gratia conceditur; illis autem potius, qui fuerint a carnis affectibus, & terrea immunditia liberati.*

Ex ijs testimonijs perspicuum est, ad scientiam Theologicā comparandam plurimum conducere morum integritatem, & assidui mortificationis studium, adeò vt verissimum sit illud Salomonis. *In Animam maleuolam, neque increata, neque creata Sapientia introibit.* Frequentissimoque experimento comprobatum, sit, duobus ingenio æqualibus in hac scientiæ acquisitione magis illum profecisse, qui paruo studio, sed maiori labore animum expolire virtutibus conatus sit, quam qui assiduo studio totum librorum lectioni se tradens, in virtutibus moralibus comparandis minorem postea operam nauarit. Accipite Gregorium Nazianzenum de statu Episcoporum hæc scribentem. *Per vitæ probitatem ascende, per purgationem eum, qui purus est, adipiscere. Vis Theologus aliquando fieri, & Diuinitate dignus, mandata serua, per Dei præcepta incede; Actio enim contemplationis fundamentum est.* Hæc ille.

Cassianus collat. 14. cap. 9.

Marsil. Phicin. tom. li. 7. de Rep. Plat. tom. 1.

Marsil. Phicin. in conuiuiū Platonis cap. 5. tom. 2.

cap. 8. com. in Ep. Pauli circa medium t. 1.

Nicet. Or. in quinque lumina Nazianz.

S. Cyril. cōtra Iulianum lib. 1. de cognitione Diuinorum.

Sap. 1.

Greg. Nazianz. de Statu Ep.

De reliquis duabus Alis, quibus Seraphim volatum capiebant, id est de necessitate Orationis ad Deum Trinum contemplandum.

PVgnantia inter se omninò videntur, quæ ab Isaia de Seraphim istis referuntur. *Seraphim stabant*, inquit, *et duabus Alis volabant*. Nam si stabant, quomodo volabant, & si volabant, quomodo stabant? Soluit nodum D. Ambrosius. *Stant*, inquit, *tempora, volant tempora; stant præsentia, & futura, præsentia volant. Ne quæras principij eius, vel finis Arcana, quæ non sunt. Habes præsentia, sed laudato, non discute. Seraphim laudant, tu discutis.* Aliter nec minus eleganter Forrerius. *In facie, velata*, inquit, *reuerentiam tantæ Maiestatis cogita, coniunctã tamen summo videndi desideratione, quod volitatio illa supra Dominum significat.* Ex quo fit in Deo trino coniunctam esse summam pulchritudinem cum summa Maiestate. Pulchritudo allicit videntem, & ideò nil mirum si Seraphim clarè intuentes perpetuò circa illam volitare desiderio videndi describuntur, iuxtà illud *In quem desiderant Angeli prospicere*. At Maiestas Diuina intuentes repellit, cuius radijs percussi, ita retrahuntur, vt velare faciem cogantur, ne intolerabili splendore opprimantur. Aliter alij per stantes Seraphim Beatitudinem essentialem, quæ est stabilis, & immobilis, vnde definitur a Boetio, *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Per volantes Beatitudinem accidentalem, quæ per nouas reuelationes, & gaudia variatur, volunt designari. Alij per alatos pedes, alatos humeros, & caput ipsum, singularem cælestium Spirituum in Diuinis mandatis exequendis promptitudinem, ac incredibilem celeritatem meritò pronuntiarunt.

D. Ambr. lib. 3. de S. S. cap. 22. tom. 4.

Forrer. in Is. cap. 6.

1. Petr. c. 1

His iam relatis expositionibus nos etiam aliã nostro instituto accomodatã subnectemus, vt per duas Alas, binas Intellectus, & Voluntatis operationes, per volatum orationis studium intelligamus. Nam sicut pennis corpum eleuatur in altum, ità oratio nihil aliud est, quam eleuatio mentis in Deum. Oratio igitur ducit ad contemplationem imperscrutabilis huius Arcani, & quasi ad penetralia illius penetranda pennas menti ministrat; in cuius rei significationem Seraphim isti se inuicem ad Diuinas laudes prouocabant, dicentes *Sanctus Sanctus Sanctus*. Quorum clamoribus. *Commota sunt superliminaria cardinum, & domus repleta est fumo*. Nonnulli per fumum, qui obiecta etiam præsentia e nostro tollit aspectu, oculosque hostiliter lædit, inuestigabilem sacræ Triadis cõditionem significari putarunt, quam qui audacius perscrutantur, læso mentis lumine caligant. Nos per fumum incensi, quo solo domus Dei repleta supponitur, orationis vim exponimus, ducem habentes Hymnographum. *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. His ergo tribus symbolis volatus, fumi, & mutui clamoris Orationis necessitatem ad Diuina Arcana penetranda cælestes illi Spiritus nobis declararunt: id vt magis fiat perspicuum, ponat quisque sibi ante oculos admirabilem illum Templi Salamonis formam, quæ in tres partes Atrium sancta, & Sancta Sanctorum distinguebatur. In Atrium cuilibet de popolo ingredi licebat: In Sancta soli Sacerdotes Victimas Deo immolantes admittebantur: In Sancta Sanctorum aditus soli Summo Sacerdoti permittebatur. Atrium Cælo opertum solare lumen in dies sin-

Psal. 140.

gulis excipiebat, Sancta opertum ab aureo Candelabro, in quo septem Lucernæ perpetuò ardebant, illuminabatur. At Sancta Sanctorum vndique tenebrosum, solis micantibus gemmis, quas Summus Pontifex in rationali gestabat, illustrabatur. His trib. Templi partib. tres gradus cognitionũ, quas de Deo habemus, adumbrari, nonnulli tradiderunt. Siquidem per Atrium omnibus expositum à lumine Solis in dies singulos illustratũ, naturalem, quam ex Creaturis venamur, cognitionem de Deo putant delineari. Per ingressum ad Sancta solis Sacerdotibus cōcessum, quod ab aureo Candelabro Lucem trahebat, Diuinarum Scripturarum ineuidens, & obscurum de præcipuis nostræ Fidei Arcanis Lumen expressum confitentur, sic testante Apostolorum Principe.

2. Petri 1. vers. 19. *Habemus Propheticum Sermonem cui benefacitis attendentes tanquam Lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Per Sancta sanctorum, cuius introitus soli Summo Pontifici reseruabatur, vndique opertum, & cælatum, sed fulgore gemmarum, quas in pectore deferebat, coruscans, occultissimæ Trinitatis reuelationem, quam Christus Dominus Pontifex in æternum, qui introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta, in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & scientiæ Dei nobis expressè reliquit, aptissimè interpretantur. Hæc tria genera cognitionum de Deo, tribus Templi Salamonis partibus præfigurata insinuasse videtur,

S. Gregor. Naz. or. 15. Sāctus Gregorius Nazianzenus sequentibus verbis. *Tota Trinitas in vnitate collecta adoranda. Solus in Sancta Sanctorum penetrans, res autem omnes foris relinquens, alias primò velo, alias secundo interclusas atque dirumptas primò nimirum cælestes, & Angelicas à Deitate, alteram verò naturam nostram à Cælestibus*. Porro quemadmodum Summus Pontifex in Sancta sanctorum ingressurus inter alia Pontificalia ornamenta præ manibus Thimiama, atque in sacrorum indumentorum extremitate tintinabula aurea de Legis mandato deferebat, ita qui ad Deum trinum contemplandum accedunt, veluti in Sancta Sanctorum pedem laturi, religiosarum omnium virtutum sonitum edere, suauissimumque Orationis incensum Deo offerre omni studio conentur. Quis enim nescit, qui ignoret ad Deũ sine Dei ascensum non patere? Hinc BB. Thomas, & Bonauentura Oratione magis quam studio profecisse palam profitebantur, atque ad difficiliora loca sacræ Scripturæ intelligenda Orationi lacrymas, & ieiunia superaddebant. Quod idem aureum documentum nobis reliquit B. Augustinus ijs verbis.

S. August. lib. 1. de Trinit. cap. 8. *Et certè cum incontanter crediderint Scripturis Sanctis tanquā veracissimis testibus agant orando, & quærendo & benè viuendo, vt intelligant, idest vt quantum videri potest, videatur mente, quod tenetur Fide*. Hæc ille.

Quamobrem quisquis sanctissimæ Triadis indagator legitimus esse cupit, memoratos imitetur Seraphinos, perpetuos eiusdem Triadis contemplatores. Sex Alis ornatus procedat. Sumat Alas Religionis, Fideique firmissimæ, quibus ob ineuidentiam, & obscuritatem huius Arcani faciem operiat, captiuans intellectum in obsequium Christi. Tegat pedes Alis humilitatis, purgationis ab omnibus terrenis inquinamentis, vitæq. integritate, sine quib. recta Theologia vix comparari potest; Deferat ad humeros sacrarum precum Alas. Postulet in Fide, nihil hæsitans a Deo, qui dat omnibus affluenter lumen indeficiens, vt videat. His sex Alis si quisquam rectè instructus maneat ad sola-

rem illam, & vndique radiantem Diuinæ Maiestatis rotam conuolare, tendere, properare, oculosque mentis vtcunque intentos defigere ne vereatur.

Oratio ad Deum Trinum Theologica, ad Diuinum Lumen, & Amorem impetrandum.

O Lumen immensum te ipsum videns, in te videns omnia, o infinite visus te ipso lucens illuminans vniuersa. O spiritalis ocule quo solo, & quem solum spiritales vident oculi. O immortalis videntium vita. O viuentium omne bonum. Bonum quod totum imples. Amantium desiderium; desiderium nobis totius boni tu Deus solus accendis; qui solus es totum bonum. Obsecro te Lux purissima per te ipsum, purga, obsecro caliginosam aciem, qua te cernam, quæ gelidum cor inflammas, quo te sitio. Amplifica angustum oculum, quo te conspiciam, quæ humilem pupillam erigis, vt suspiciam. Penetrans enim penetralia mea O profunditas profundorum, subleuas quoque sublimia mea O sublimium sublimitas omnium. Quid intima mea penetrat? Quid mea summa tollit? Mirabiles certè mirabilis bonitatis pulchritudinisque tui radij per mentes, per Animas, per corpora mirabiliter diffusi. His igitur afficis me, vel inscium, his inquam allicis, me cogis, vris, quantum o species singularis ecce iam ecce ad te propero anhelans vnica pulchritudo. Sed claudicat ah nimium Amator hic tuus, claudicat heu miser, porrige precor claudicanti piam, Spes mea manũ, Duc, oro, quem allicis, excipe quem cogis, refrigera quem vris, quem vngis oblecta, oblectabis iam spero tuum hunc mirificè, o mirum gaudium, o Fons omnium gaudiorum. Scio equidem in te vno imò te vnum esse quicquam vsquam desideramus si placet bonum hoc nobis, si placet bonum illud, non quia hoc videlicèt, aut illud, sed quia bonum profectò bonitatis cupimus in singulis qualitatem, si salutaris liquor per singula vbiq; diffusus ex vnico bonitatis fonte manat, qui in se ipso vrgens exuberans super singula proculdubio bonitatis ipsius Fontem habere exoptamus. O Fons perennis bonorum omnium te te sitimus vbique. Ideoque non extinguit sitim bonum hoc nobis, aut illud, neque rursus hoc simul, atque illud, quatenus rectè vaticinamur esse bonum ipsum super bonum hoc, aut bonum illud. Tu ergo Deus noster, tu solus sitim hanc extingues ardentem. Tu inquam omnis boni bonum, ne frustra tuos omnes tamdiu tantum sitire compuleris, o mens prima procul ab omni dementia. O Sapientia prima sine vlla insipientia, quam nihil latet eorum, quæ efficis sapienter. Quæ nihil cõtemnis eorũ, quæ benefica efficis voluntate, efficis autem omnia. Nunquid minima quæq; terrenorũ curas? Omninò quæ ipsa te non curant. Nũquid curas minima hæc, & pascis & imples? Nos verò despicis solos, qui soli in terris tuam nõ despicimus Maiestatem. Nos inquam solos inquietos semper errare permittis, qui soli in te solo quiescere posse cõfidimus? Absit à summa beneficiencia ingratitudo malefica. Absit à summa veritate deceptio. Decipis nos nimirum, Decipis heu miseros, si tuis aculeis saucios compellis tibi anxiè suspirare quotidie, neque sanas vnquam, si iubes temporalia pro te colendo relinquere, neque pro temporalibus æterna retribuis, si sedulos hos tui culto-

Habetur apud Marsilium Phicinum scribentem ad Bern. Orcellariũ. t. 1 pag. 665.

tores miseriorem in terris quam bruta vitam agere statuisti, neque vitam eis imposterum seruas beatiorem. Seruas autem nobis eam, vt assiduè speramus omnes o Mundi seruator, o salus humani Generis vnica, vnicumque refugium, quo cum omne homini bonum, sine quo nihil bonum. Nempè quæ admodum clara intelligentia tua, & charitas ardens intelligentiã, & voluntatem nostram ad te inspiciendum, & amandum illuminat, accenditq; & format in ipsum, & vnit ipsi, sic æterna vita tua vitam nostram perpetuò in ipsa viuificat, & quibus tributa est intelligentia immortalium capax, voluntasq. Mortalibus imperans, multo prius magisque vita conuenit immortalis. Cuius quadam virtute æternitati coniuncta seiuncta à temporis passionibus tàm mens æterna capit, quam eius affectus temporalibus dominatur. Sic enim, & quisque animi actus modo suo attingit æternitatem, voluntas volendo, intelligentia intelligendo, vita viuendo: & æternitas ipsa, quæ posterioribus actibus Animæ se communicat, priori iam actu qualis vita est; se ipsam communicauit. Facies ergo nos quandoq; Pater optimè tùm hæreditario iure, tùm munere tuæ Beatitudinis compotes. Fac oramus participes insuper in præsentia, fac & illud si placet fac oramus. Quod si nundum placet istud, quia nundum meremur, præsta saltem, ne aut fallacibus Mundi irretiamur illecebris, aut minis & ictibus succumbamus. Miserere nostri Pater indulgentissime, filiorum miserere tuorum, foue tuos, & recrea quos creasti. Ex te enim solo nati sumus, quando tu solus Intellectum affectumque nostrum integra virtute tua, & bonitate potes implere. Ergo filiorum miserere tuorum procul à cælesti Patria in hac sylua plena miserijs exulantium. Miserere tuorum quæsumus tibi passim diebus, & noctibus tamquam Patri, & Patriæ suspirantium, vbi Patria ibi quies, ibi verum bonum, vbi exilium, ibi inquietudo, ibi falsum bonum, ibi verum malum. Nos verò tunc solum in vita parumper, & à malis semper viuere, & boni aliquid veræque quietis degustare nobis ipsi videmur, cum tibi & o parumper, vel mentis intentione, vel affectu pietatis hæreamus. Abige igitur à nobis Pater Alme longè quidquid nos à te longè seiungit, diffidentiam, desperationem, tepiditatem. Da rursus, quæ tibi nos iungant, alme Pater, Fidem veram, Spem firmam, ardentissimam Charitatem. Ne fortè à te segregati vita vitarum, lumine luminum, atque nobis ipsi relicti statim in exteriores tenebras tamquam mortui dilabamur. Sed vt tibi piè viuamus quoad fieri potest, & qui sedulò tibi vixerimus, te quoque ipso viuamus semper, & luceamus, fulgeamus simùl, atque flagremus, ardeamus simùl, & oblectemur, gaudeamus feliciter a, bsque fine desideriorum nostrorum penitus infinito infinitam pulchritudinem tuam infinitè amemus sine anxietate: Infinito rursus bono in ætérnum sine vlla sacietate fruamur.

INDEX
QVÆSTIONVM, ET DISPVTATIONVM, quæ in toto hoc Opere continentur.

INDEX PRÆLVDIORVM.

INDEX QVÆST. S: THOMÆ
Quæst: 27: de Diuinis Processionibus:

QVÆSTIO XXVIII.
De Diuinis Relationibus.

QVÆSTIO XXIX.
De diuinis Personis.

QVÆSTIO XXX. ET XXXI.
De Pluralitate Personarum.

QVÆSTIO XXXII.
De cognitione diuinarum Personarum.

noti

QVÆSTIO XXXIII.

De Personis in speciali, & primo de Patre.

QVÆSTIO XXXIV.

De Persona Filij.

QVÆSTIO XXXV.

De Imagine.

QVÆSTIO XXXVI.

De Persona Spiritus sanc.

QVÆSTIO XL.

De Personis comparatis ad relationes.

QVÆSTIO XLI.

De Personis in comparatione actus notionales.

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate, & similitudine Diuinarum Personarum ad inuicem.


QVAESTIO XLIII:

De missione Diuinarum Personarum.

Sanctiſſimo Patri, & Domino Noſtro

VRBANO VIII.

PONTIFICI MAXIMO.



Philibertus Marchinus Presbyter Barnabita Congregationis S. Pauli precatur felicitatem.



IHIL eſt, quantum mea tenuitate intelligentiæ aſſequi licet, Pater Beatiſſimè, quod profundiſſimum altiſſimę Triadis arcanũ perſpicuè magis in terris referre videatur, quã tua ipſa, qua præfulges, Pontificia maieſtas. Quæ, vti omnium optimè Sanctitas tua nouit, triplici condecoratur poteſtate, videlicet Ordinis, iuriſdictionis in vniuerſum orbem, nec non directi,[a] aut indirecti[b] dominij temporalis. Tribus mundi partibus iurè quodam imperas diuino. Cœlum pro tua voluntate claudis, & aperis. Mortales in terris degentes pro tua maxima auctoritate ligas, aut ſoluis. Animas purgantibus flammis mancipatas, Eccleſiaſtici theſauri diſpenſatione, ſiue lege Diuinæ promiſſionis infallibili,[c] ſiue per modum ſuffragij[d] eripis, vel detines. Meritò ergo viſibilis Trinitas, maximo ſupra mortales omnes honore, & cultu proſequenda, in terris dici, & haberi debes. Neque id mirum. Quemadmodũ enim Eccleſia viſibilis, perfectiſſima quædam eſt

a D.Tho. lib. 3.de regim. Princip.cap 10.
b Belar lib.de Poteſt. Pontif.c.4.& 6.
c Leo. 10. in epiſt. ad Caietanum. S.Tho.in 4. d. 45. q. 2. ar.3. Nauar. commẽt.de indulg.notab. 22.n.18. Suar. tom. 4.in 3. par. diſp.53 ſec. 3.nu 3.
d Canus l.12. de locis cap. 13.ad.9. Corduba de indul q.15. opin. 4. Caietan. to. 1.opuſ. tracta.16.q.5. & 6. Gabriel.addit. ad lect. 57.

inuiſibilis imago, ita hunc in modum ratiocinari congruum videtur, ſicut Deus vnus eſt in eſſentia, trinus in perſonis, ita Romanus Pontifex, qui vices Dei in terris gerit, vnus eſt in perſona, trinus in poteſtate. Huius rei veſtigium non obſcurum extabat olim apud maximum Hebræorum Sacerdotem, dum Pontificalibus ornamentis indutus, maxima pompa, & apparatu Sancta Sanctorum ingrediebatur. Siquidem, [e] vt Angelicus Doctor egregiè interpretatur, *in illis ornamentis deſignabatur diſpoſitio Orbis terrarum, quaſi Pontifex proteſtaretur ſe eſſe miniſtrum Creatoris Mundi. Vnde, & Sapient. 18.* dicitur, quod in veſte Aron erat deſcriptus vniuerſus Orbis terrarum. *Nam fœmoralia linea ſignificabant terram, ex qua linum naſcitur. Balthei circumuolutio ſignificat Oceanum, qui circumcingit terram. Tunica Hyacinthina ſuo colore ſignificat aerem, per cuius tintinnabula ſignificantur tonitrua, per mala punica corruſcationes. Super humerale verò ſua varietate ſignificabat Cœlum Sidereum. Duo Onychini, duo Hemiſpheria, aut Solem, & Lunam. Duodecim Gemmæ in pectore, duodecim ſigna in Zodiaco, quæ dicebantur poſita in Rationali, quia in Cœleſtibus ſunt rationes æternorum ſecundum illud Iob 38.* Nunquid noſti Ordinem Cœli, & ponis rationem eius in terris? *Cydaris autem, vel Tiara ſignificabat Cœlum Empireum. Lamina aurea Deum omnibus præſidere. Hæc S. Thomas.* Quibus illud addendum videtur, prædictam Tiaram in tres coronas ad tres Diuinas perſonas indicandas diſtinctam fuiſſe. Imò eiuſdem extremitati adhęrebat ænigmaticum illud, [f] ſymbolicum, compendiarium, [g] ac ineffabile [h] IEHOVA nomen, quod aurea Lamina inſculptum Pontificis caput decorabat, latinèq; ijs voci-

bus

[e] *S. Th. 1. 2. q. 102. ar. 5. ad 10.*

[f] *Clemens Alexand. lib. 5. ſtromat. cap. 2.*

[g] *Nazianz. orat. 36.*

[h] *Philo lib. de vita Moyſis*

bus respondet. Qui *erit, est, & fuit*, [i] quo multò clarius idem Sanctissimæ Trinitatis mysterium designabatur. Quandoquidem clauso triplici Iod, sed vna tantum Aleph scribebatur. Per vnam Aleph vnitatẽ Diuinæ essentiæ, per triplex Iod tres Diuinas personas significari nonnulli Hebraicæ linguæ [k] peritissimi tradiderunt. Eademq; via latinè consideratum tria verba, & vnam continet copulam, ad eandem trium Diuinarum personarum indiuisam vnitatem exprimendam, & ideo antiquiores Rabbini idem IEHOVA nomen etiã triangulo comprendebant, vt eadem Sanctissimæ Triadis tegmenta magis atque magis aperirent. A quibus idem accepisse videtur Pythagoras, qui ad explicandam Dei naturam, triangulum solebat effingere, & in eo Diuinitatis nomen includere. Quamobrem si vetus illud Sacerdotium per legem Christi ab eiusdem passione, vel ab aduentu S. S. siue ab Euangelij promulgatione euacuatum, ad Sanctitatem tuam; Beatissime Pater, translatum fuit, profectò consequitur, vt tùm regali tuo Sacerdotio, tùm gemmata, quàm capite gestas, triplici corona tiara, formam quandam exprimas Deitatis, simulacrum Trinitatis. Cuius sublimem fabricam, non modo tria prædicta, omnibus, & singulis in Apostolico solio constitutis communia, videlicet trina potestas, dominium in tres mundi partes, veterisq; Pontificatus in Petri Cathedram, veluti in Sanctissimum Augustale translatio, verum etiã quæ Tibi soli propria sunt, singulares scilicet animi tui Dotes gloriosè construxerunt. Papè quid de tui sublimi-

[i] *Alcassar in Apocalyp. c. 1. vers. 4. not. 3.*

[k] *Galatinus lib. 2. de arcanis Catholicæ fidei c. 6.*

tate ingenij, ad maxima quæq; eaq; multa, ac diuersa aptissimi hic eloquar? Philosophiæ subtilitates cum iurisprudentiæ maiestate, Sacræ Theologię profunditatem cum antiquarum rerum eruditione, Græcam Sapientiam cum Romana eloquentia perfectissimè coniunxisti: Princeps prius virtute, quam dignitate. Musarum item amœnitate etiam inter grauissimas curas mirificè oblectatus, veteri eisdem restituto nitore, quem nimia Poetarum plerunq; hac ætate lasciuientium licentia fœdauerat, Cœlestis factus Hymnogrophus, sacros numeros Pindarico metro, sed Dauidica cythara decantasti. Quot carmina, tot indelebilis tuæ gloriæ præclarissima monumenta. Huius cantus suauitatem aure bibere omnes, admirari, pleno ore celebrare, & maximo nostri sęculi bono imitari nō desistunt, plerosq; etiam opportunum iudicare, & informandæ iuuentuti valdè fructuosum, si posthabitis reliquis omnibus Poetarum scriptis, tua dumtaxat, sapientissimis iam aucta Commentarijs, apud omnes Christianas Academias publicè exponerētur. Quapropter si Poeticam artem, cuius in conficiendis versibus armonia suauissimum Cœlorum concentum quodammodo imitatur, Diuinū quid sapere Veteres prodiderunt, qui maximi nominis Poetas diuino quodam impetu ad scribendum raptos ne dum dixerunt, verum etiam inter Cœlestiū numerum eosdem retulerunt, profectò supremum Tibi Principatum iampridem Sacrę Musæ pręsagiebant, quæ olim ad non dispares gradus Moysem, Regium Vatem, Salomonem, & Damasum

euexe-

euexerunt. Quinimò ſicut in ipſo Apum genere,quas ſtemmate claudis, ſigna quædam regalia aliquibus indita ſunt, quibus à reliquis facilè dignoſcantur, ita te illæ ad hominum imperia natum eſſe non obſcurè præſignabant.

At multò magis Apoſtolico te Throno deſtinabant Chriſtianæ virtutes omnes, quibus animum perpetuò excoluiſti,nempè candidi ſine fuco mores,pietas,charitas, religio,munificentia,moderatio, ſumma lenitas, affabilitaſq; ſermonis, animi magnitudo, & ſæpè cognita in rebus gerendis prudentia penè incomparabilis, quarum virtutum ſplendorem vndique radiantem Vniuerſus Orbis non ſine maximo ſolatio, & beneficio poſteà contemplatus, & admiratus eſt. Tu enim Vrbinatem Ducatum, ſine ſtrepitu armorum, ſine Spiculis Anathematis,ſine ſanguinis effuſione,ſola tua maxima, & inęmulabili prouidentia, Eccleſiaſticæ ditioni adieciſti; ſicq; Magno Diuinæ Sapientiæ conſilio geſtum eſt,vt Vrbinates populi Vrbano Imperio, Vrbano Octauo feliciter regnãte, libentiſſimis animis ſubmitterentur. Tu Chriſtianam Rempublicam optimis politicę,& eccleſiaſticę adminiſtrationis Legibus informaſti, inter quas illa præcipuà commendatione digna cenſetur, quòd animarum Paſtores ſuis quoſq; ouibus reſidere arctiſſimè præceperis. Tu religioſam diſciplinam pluribus in locis collapſam reſtituiſti, deprauatos plurium mores etiam per Viſitatores Apoſtolicos correxiſti, iura Eccleſiæ à nonnullis oppugnata illæſa voluiſti. Diuinum cultum apud exteras Nationes,Imperatori Aethiopũ ſubiectas, per Euangelij præcones ad illum à Sanctitate tua miſſos, longè

latèq; propagandum curaſti. Pia Catholicis apud Vrbem Conſtantini auxilia liberaliter ſuppeditaſti. Honorem Principi Apoſtolorũ æneis columnis quatuor quà decet affabrè deauratis, Romanæ antiquitatis æmulis religiosè auxiſti. Tu Vrbem magnificis ædificijs, venuſto fonte in foro Trinitatis, pluribuſq; alijs æternis monumentis exornaſti. Eandem inſtructiſſimo armamentario, æneis tormentis, alijſq; opportunis munimentis obfirmaſti. Ingruentes hoſtes tua auctoritate, & ſingulari prouidentia repreſſiſti. Munitiſſimam arcem, & firmiſſima propugnacula, tuo digna nomine, publicæ ſecuritati aduerſus barbaros impetus, in Aemiliæ finibus gloriosè erexiſti. Tu diuinum Numen mortalium noxis non ſemel iratum, ſupplicationibus, pijs eleemoſynis, repetitis ſacrificijs, imbre lacrymarum, nec non ſacris maximi Iubilei opibus ſæpe expoſitis placatum reddidiſti. Ac deniq; Romanum Imperium à tribus Diuinæ iuſtitiæ iaculis, Peſte, Fame, & Bello, quibus reliquæ Italiæ partes ferè omnes miſerè excruciabantur, Tua maxima in Deum Religio, & Paſtoralis vigilantia ſeruauit illæſum.

Hæc, & alia multo plura egregia tua facinora, quæ breui Epiſtola ad mentem reuocare nequimus, Te Deo Trino ſimillimum reddiderunt, atq; repoſitum in te eiuſdem ſimulacrum omni auro, gemmiſq; pretioſius eleganter efformarunt, cum ſolis Chriſtianis virtutibus homines Deo appropinquare dubium non relinquatur. Vnum etiam manet, Pater Beatiſſime, in quo Deo trino magis, atq; magis aſſimilari contingit, videlicet in munificentiſſima meritorum compenſatione. O maximam Diuinæ bonitatis effuſionem!

Oci-

O effuſam Diuini largitoris largitatem! Si Deus res ex nihilo producit, productas fouet, iuuat,& præmouet ad operationes; ſi Vniuerſum regit, fortiter attingens,& ſuauiter omnia diſponens;ſi cœcas mortalium mentes Diuino ſplendore colluſtrat; ſi dona gratiæ habitualis elargitur; ſi in improbos, qui è viuis exceſſerunt, debitis ſupplicijs animaduertit, hæc & alia omnia,recepta Sanctorum Patrum ſententia, vt Vnus eſt,non vt Trinus operatur. Verum vbi merita noſtra, ſeù potius dona ſua coronat,tunc vt Vnum, & Trinũ ſimul ſe præbet contuendum. Quocirca Principes illi Diuina chariſmata perfectius æmulantur, qui ſeueritatem in malos benignitate temperantes, bonos quoſque,& virtute florentes maximis præmijs, & honoribus proſequuntur.

Hanc quoque Diuinæ naturæ conditionem aliqua ex parte es aſſecutus, quippè qui, quantò omnibus, Vrbano nomine,dominantem in te Vrbanitatẽ oſtentas,tantò virtute pręſtantibus ſupremos pro tua maxima liberalitate elargiris honores. Vidit id exultans præteritis diebus Roma, ſimulq; vniuerſus Orbis ſingularem tuam prudentiam admiratus eſt,(prima enim Principis laus eſt optimos deligere) cum inter alios egregios viros, & omni virtutum ſuffragatione commendatos, Auguſtinum Oregium, clariſſimum diuinorum interpretem, de re theologica optimè merentem,ac vt vno verbo dicam,ſpectatiſſimum ſapientum Choripheum, quem tibi iampridem meritò Theologum adſciueras,incredibili ſtudioſorum lætitia,& voluptate,in Sacrum Purpuratorum Senatum cooptaſti. Quo facto lætantur boni omnes,quòd Te Duce virtus

hono-

honorata triumphet. Gestiunt animis literis addicti, quòd largitione præmiorum,& dignitatum ad virtutẽ capescendam magis atq; magis inflammentur. Gaudet Ecclesia, quòd argumentosæ Apes tuæ tam dulcem illi mellis fauum decoxerint. Ac Tu ipse tibi ipsi, Beatissime Pater, gratulari debes, quòd optimus,& sapientissimus Consiliarius in tanta Ecclesiæ perturbatione, & malorum imminente procella, tot alijs prudentissimis, & integerrimis Patribus adiunctus sit.

Itaq; cum tot nominibus admirandam quandam Sanctissimę Triadis speciem pręseferas, hoc tibi opus, qualecunq; sit, meritò debebatur, quod sicut de Deo Trino inscribitur, ità vicem illius in terris gerenti iure optimo consecrandum videbatur, vt quod non habet ab Auctore suo pondus, augustissimo tuo nomine cohonestatum adipiscatur. Accedit celebre illud B. Augustini dictum: *Nullibi periculosius erratur, quàm in Trinitatis inuestigatione*. Idcircò tenuitati meæ satis me consuluisse sum auspicatus, si Sanctitati tuæ, supremo omnium Christi Fidelium Magistro, ac infallibili credendorum regulæ illud offerrem, vt si quid fortè à recta Fide alienum, quod Deus auertat, me inscio sit pronunciatum, illud, me quoq; sic humiliter petente, diuina tua Sapientia corrigatur, sin quid rectè conscriptum, tua sententiæ soliditate confirmetur. Quare & veritati testimonium,& Operi auctoritatem,& Auctori patrocinium, & Apostolicam Benedictionem, pro tua maxima benignitate vt impertias, sacris tuis Pedibus aduolutus venerabundus supplex precor. Tu Beatissime Pater cumulatiori totius Christiani Orbis felicitati Aeternum Salue.

S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 3.

Emi-

Eminentissimo S. R. E. Principi

ANTONIO BARBERINO

CARDINALI AMPLISSIMO.

Philibertus Marchinus Presbyter Barnabita Congregationis S. Pauli felicitatem precatur.



Ost deplorandam illam primorum Parentum inobedientiam, Deus iustus scelerum vindex nō modo è Terrestri Paradiso illos profligauit, verum etiam tutelarem Angelum, Sapientia cumulatissimum, Cherubim nomine, igneum gladium præ manibus gestantem ad terrendos, & fugandos tùm homines, tùm dæmones optimo consilio destinauit. Quamuis enim nonnulli graues Scriptores [a] *per Cherubim flammeo gladio præcinctum torridam sub Æquinotiali Zonam, intermediam, quæ locum illum delitiarū inaccessibilem reddebat, intellexerint. Alij* [b] *ambientem ignem instar muri. Alij* [c] *expiatorias flammas, e quibus iustorum animæ ministerio Angelorum eductæ in Cœlestes Beatorum Sedes perducuntur. Alij* [d] *horribiles visiones, & spectra, quæ Adamum territando ab ingressu Paradisi arcerent. Nihilominus recepta magis illorum opinio videtur,* [e] *quæ aduersus homines verum ignem, & gladium, aduersus dæmones aliquem Cœlestis militiæ Spiritum, vel etiam plures in eiusdem loci vestibulo fuisse à Deo collocatos consitetur. Nemo est Sacrarum literarum peritia adeo ignarus, Eminentissimè Cardinalis, qui nesciat Catholicæ Ecclesiæ Terrestrem Paradisum typum non gessisse, cuius flumina quatuor, quæ vniuersam terram irrigabant, Euangelia quatuor, quorum sonus in omnes terræ fines exiuit, loci amœnitas, & vbertas Cœlestium gratiarum copiam, innocentiæ status fidelium Sanctitatem, lignū vitæ augustissimum Eucharistiæ Sacramentum præsignabant. Cuius ergo custodiæ locus iste Spiritualibus delitijs affluens*

[a] *S. Tho. 2. 2. q. 164. ar. 2. ad. 5.*

[b] *Nicol. de Lyra vers. 24. c. 2. Genes.*

[c] *Rupertus comment. in Genes. c. 33. & 34.*

[d] *Theodor. q. 40. in Genesim.*

[e] *Perrerius lib. 6. in Genesim q. 6. tom. 1.*

tra-

tradendus erat, nisi illi, qui Sapientiæ splendore, grauitate vitæ, meritorum celsitudine, armorum professione, & auctoritate dignitatis, Cherubicam istam in terris formam præseferret. Hinc maxima regnantis Patrui tui enituit prudentia, qui te, in quo non tàm armati Cherubini speciem, quàm armatam Sapientiam suspicabatur, ab equestri Hierosolymitano ordine ad Sacram purpuram, & Pastoralis sollicitudinis partem euocauit, cuius fide, consilio, laboribus, & multiplici rerum vsu non parum recreatur. Quocirca ab albo legislatorum Iulianus ille Apostata, & Mauritius Imperator meritò expungendi sunt, qui sceurissimo edicto vetarunt, ne quis militiam professus ad monasticam vitam se transferret, vel ad Ecclesiasticos gradus prouheretur. Huius legis impietatē iure optimo refellit Gregorius magnus ad eundem Mauritium Imperatorem scribens, qui inter ceteras rationes, hanc quoque in medium adducit. Tunc magis Dominorum exercitus contra hostes crescit, quando Dei exercitus ad Orationem creuerit. *Non solùm ergo licitus, sed omni commendatione dignus fuit transitus iste tuus à Clamide ad purpuram, ab ense ad Crucem, à galea ad pileuum Cardinalitium, à clypeo ad Sacerdotium, et à bellica gloria ad sedatam totius mundi gubernationem. Nihilominus quo auctior es dignitatibus, eò gloriosior tibi manet victoria. Pugnabas olim fortiter contra Turcas Christiani nominis hostes. Nunc tibi contra omnes Ecclesiæ Catholicæ infensos, Ottomanos, hæreticos, schismaticos decertandum est, fudebas gladio aduersarios, nunc consilio, oratione, & auctoritate, & vbi primum humano Sanguine pacem in bello parabas, nunc sola tua prudentia, & dexteritate pacem ponis fines Italiæ, frumenti adipe, idest ipso pacis bono nos satians. Nam cum paucis ab hinc annis è viuis absq; prole erepto Vincentio Gonzaga, Mantuæ Duce, maximæ de regno eius discordiæ, pertinaxq; bellum inter Christianos Principes exardesceret, ad illud sedandum missus legatus, ignorare contingit, fueris ne aggrediendo promptior, an prosequendo constantior, vel felicior perficiendo. Siquidem Taurinum contendens,*

S.Greg. lib. 2. regist. epist. 100. & 103 tom. 2.

Psal. 147.

Ducem

Ducem Sabaudiæ, præcipuosq; Christianissimi, ac Catholici Regũ ministros ad pacem, et concordiam luculenta oratione inflammasti, tùm ne Gallorum, & Hispanorum Exercitus ad prælia parati manus consererent, per ministros tuos huc illucq; non sine vitæ discrimine conuolantes effecisti, atq; non multo post, discordiarum fibras omnes rescidisti, vniuersamq; Italiam optata tranquillitate beasti. Hac Legatione feliciter gesta, pro aucta ad Metaurum Ecclesiæ ditione iterum Vrbini legatus delegeris. Inde Romam rediens, ambiguum est, plus ne gaudij Patruo imperanti, iucundissimo tui aspectu attuleris, qui magnam in te ad id muneris deligendo prudentiæ laudem est assecutus, an tibi gloriæ, qui in huiusmodi administratione omnes Optimi Principes partes cumulatissimè compleuisti, an Vrbinatibus populis mæroris, ac luctus, optatissima tua præsentia, ex qua bona sibi omnia effluebant, præter spem, & communem omnium voluntatem orbatis. Hinc idem Summus Pontifex humanarum artium, & virtutum accerrimus æstimator, clariorem in dies animi tui virtutem in publicis rebus gerendis agnoscens, tùm signaturæ iustitiæ præfectura, tùm alijs publicis muneribus te decorauit, in quibus administrandis eam planè integritatis, ac prudentiæ famam es assecutus, vt egregio seueritatis, & comitatis, beneficentiæ, & iustitiæ temperamento, non modo omnes Romanæ gentis oculos in te conuerteris, verum etiam exterarum quoq; nationum amorem tibi eximium conciliaueris. Meritò igitur Te armatum bellica fortitudine, & singulari Sapientia Cherubinum, Ecclesiastici Paradisi custodiæ ab Vrbano Octauo destinatum prædicamus, cuius singulare patrocinium, tùm multi Religiosi ordines, tùm Duces, ac Reges potentissimi certatim implorarunt.

Quamobrem optanti mihi etiam, & animo inquirenti tutelarem Angelum aduersus ingruentium hostium vel aperta, vel occulta iacula huic operi meo, quod saltem ratione obiecti Terrestri Paradiso optimè comparatur, nuncupare, equidem nec inquirenti occurrit alius, nec optanti omninò satisfecit, præter te vnũ

Car-

Cardinalis Amplissimè, qui inuidos tua charitate compescere, detractores potestate prosternere, indoctos Sapientiæ opibus ditare, & cauillosis censoribus, tua maxima auctoritate, perpetuum silentium indicere nullo negotio valebis. Tuis me igitur confidentem auspicijs pro singulari tua benignitate clientem accipe, & patere, vt fœtus iste meus tenuitate ingenij obscurus, fulgore ornatissimi tui nominis collustratus lucem aliquam mutuetur, et ob sui imbecillitatem auctoritate destitutus firmissimo beneuolæ tuæ tutelæ præsidio roboretur. Meum autem qualecunque officium hoc, certissimum totius nostri Ordinis in te obseruantiæ pignus, rogo, gratum habeas. Deus Optimus Maximus Eminentiam tuam ad maiorem Ecclesiæ suæ vtilitatem, & ornamentum quam diutissimè seruet incolumem.

DE IMPERSCRVTABILI SANCTISSIMÆ TRINITATIS ARCANO TRACTATVS

Ad Quæst, 27. Primę Partis D. Thomæ.

ANtequam ad Scholasticas Disputationes de more nostro examinandas accedamus, optantes in tanta huius Tractatus obscuritate lucem aliquam pro modulo nostro afferre, ideò statuimus, duodecim in eundem Tractatum Præludia præmittere, quæ ad maximarum rerum intelligentiam aditum aperient, ac quasi digito commonstrabunt.

PRÆLVDIVM I.

De huius Tractatus sublimitate, & difficultate.

SANCTISS. Trinitatis Arcanum ceteris omnibus nostrę Fidei sublimius esse, nemo iure dubitare potest, tùm quia omnium aliorum Mysteriorum fons est, & origo; tùm quia est finis, ad quem omnia alia tendunt, & ordinantur, tùm quia alia mysteria, vel continent aliquid simpliciter creatum, vt tractatus de Angelis, & de Sacramentis, de Humanis actib. de Diuina Gratia, de Virtutibus, & vitijs, vel continent aliquid increatū simul cum creato, vt tractatus de Incarnatione, de Eucharistia, & de Visione beata; At arcanū istud totum est increatum, totum supernaturale, absque vllo respectu ad creaturas, & ideò non solum alios Theologicos tractatus sublimitate superat

perat, sed etiam obscuritate, & difficultate. Cum enim difficultas aliquid cognitione assequendi ex duplici capite oriatur nempè, vel ex minima, vel ex maxima obiecti intelligibilitate, ex minima, vt contingit in Motu, & Tempore, de quo rectè dixit D. August. nihil notius esse tempore, nihil tamen minùs sciri, quàm quid sit tempus, & hoc ob minimam, & fluxibilem eius entitatē, & intelligibilitate, ex maxima, vt contingit in Sole, quo cum nil visibilius sit, nil tamen minùs ipsō Sole videmus; difficultas, quam in huius arcani inuestigatione experimur, non ex minima, sed ex maxima obiecti prouenit intelligibilitate; Sicut enim Sol est præ omnibus rebus visibilior, minùs tamen ab oculo videtur, quam reliqua obiecta ob excessum obiecti supra potentiam; ita Deus trinus, etsi ex se sit summè intelligibilis, sicut est summum ens, tamen ob eminentiam suæ intelligibilitatis à creato intellecta nequit penetrari.

2 Plura ex alijs nostræ Fidei mysterijs naturalis ratio etiam Fide destituta cognoscere valet, at hic sola Fides rutilat; nullusque creatus, aut creabilis intellectus sine interiori reuelatione potest illud inuestigare; cuius ratio est, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & proueniunt à Deo, vt est formaliter omnipotens, atq. adeò vt vnus est, non vt trinus, quare cum creatus intellectus solum per creaturas ad Dei cognitionem peruenire valeat, illæ omnes solam Dei vnitatem, non Personarum in eadem Deitate pluralitatem prędicant.

3 Alia Fidei nostræ mysteria exemplis, & rationibus naturalibus ex Diuina omnipotētia ductis aliqua ratione persuaderi possunt; at ad explicandum sanctiss. Trinitatis arcanum non valet ad Diuinam omnipotentiam recurrere, cum Trinitas non sit opus Dei ad extrà; neque item ad exempla creata, quia nulla sunt, quæ illud explicare possint, vt in se est, vt monet *S. Athan. Epist. de Decretis Nisænę Synodus; Nazianzenus oratione 1. de Theol. Damasc. lib. 1. de Fide cap. 9.*

4 Ex alia autem parte destruere hoc mysterium videntur aliqua principia naturalia vt. Quæ differunt natura, differunt supposito: item: Quæ identificantur vni tertio, identificantur inter se; Et ideò mens non capit, tria esse vnum, & vnum esse tria, quia hæc valdè inter se distant. Hinc rectè *D. Thomas in cap. 2 Epist. ad Rom. lect. 5.* explicat de Sanctiss. Trinitate illud Salomonis. *Alta profunditas, quis inueniet eam?* Et antiqui, vt scribit *Pierius Valerianus lib. 17.* Ciconiam lingua carentem inter cœteras volucres colebant, vt significarent ad Diuinam naturam explicandam omnem humanum sermonem linguem habe ri.

PRÆ-

PRÆLVD. II.

De varijs huius Tractatus vtilitatibus.

PRęclarè, inquit *D. August. lib. 1. de Trin. cap. 3. nullibi periculosius erratur quam in Trinitatis inuestigatione, nihil laboriosius Deo trino quærimus.* Subdit tamen: *nec aliquid fructuosius illo inuenimus.* Prima vtilitas est maxima intellectus hæc addiscentis perfectio: quia teste *Arist. lib. 1. de Cælo, tex. 6.* minima rerum diuinarum cognitio præstat cuilibet perfectissimæ cognitioni, quæ de rebus inferioribus haberi potest. Secunda vtilitas est omnium scientiarum naturalium, & pręsertim Logicę, ac Metaphysicę vna simul acquisitio, quarum scientiarum plura principia in hoc tractatu, tamquam in fornace aurum probantur, vt illud: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: item, num in isto principio regulæ omnium syllogismorum funden tur, multæ item Dialecticæ regulæ aduersus sophisticas argumentationes, quæ contra Trinitatem fiunt, traduntur, ac de natura essentię, existentiæ, hyppostasis, de rerum distinctionibus, de relationibus passim vbique pertractatur. Tertia vtilitas est, dum Deum trinum inuestigantes non satis, quæ Fides docet, comprehendere valemus, Deum Op. Max. magis, atq. magis admiramur, altissimum de illo conceptum formamus, & intellectum in Fidei obsequium captiuantes incóprehēsibilem eiusdem maiestatē, & mentis nostræ imbecillitatem confitemur. Quarta dum sacras Scripturas, Patres, item & Concilia Trinitatem clarissimè attestantia perscrutamur, Fides nostra magis, atque magis roboratur, & cum naturaliter intellectus recondita, ac noua intelligere semper appetat: Hinc quoddam in nobis exoritur desiderium ad claram rei tàm reconditæ cognitionem perueniendi, atq; ita futuræ Beatitudinis, in qua videbimus Deum sicuti est, spes nostra augetur nec nó charitas magis, magisq; inflammatur. Quamobrem nó solum *Anima cócupiscit, & deficit in atrijs Domini,* sed etiam exclamat. *Heu, mihi, quia incolatus meus prolungatus est.*

PRÆLVD. III.

De monitis, quæ SS. Patres Trinitatem inuestigantibus reliquere.

PRimo. Monent cum timore, ac tremore ad huius arcani inuestigationem esse accedendum, ipsiq. in illo pertractando timorem maximū ostendunt; vt *Iust. in Exposit. Fidei. Dionys. c. 1. de Diu. nomin. Tert. lib. de Trin. Nazianz. Oratione 3. de Theologia. Amb. lib. 1. de Fide cap. 5. & Aug. lib. de Fide, & Symbolo cap. 8.*

2. Monent, mentem esse a creatis omnibus purgandam: *Necessaria est,* inquit Aug. lib. de Trinit. cap. 1. circa medium, *mentis purgatio, qua illud ineffabile, ineffabiliter videri possit, qua nun-*

dum præditi Fide nutrimur, & per quadam tolerabiliora; vt ad illud capiendum apti efficiamur, itinera ducimus.

3. Monent Fidem magnã, in qua totum hoc mysterium fundatur, præ requiri, iuxtà illud *Isaiæ 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Ità Aug. lib. 7. de Trinit. ad finem, & lib. 8. cap. 1.*

4. Monent hoc arcanum secundũ naturæ creatæ cõditiones metiendum non esse, neque secundum Dialecticorum regulas; sed secundum sacras Paginas esse de illo disputandum. Ita *Nazianz. oratione 3. contra Macedonium, Amb. lib. de Fide cap. 3. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 1.*

5. Monent, Deum esse supra omnem naturæ captum, idcircò si perfectè à nobis perciperetur, vt in se est, absq. eiusdem reuelatione, vel Deus esse Deus desineret, vel intellectus noster alter fieret Deus.

6. Monent, etsi hoc mysteriũ inintelligibile sit, non esse tamen quantũ nobis in hac vita licet, ab eius inquisitione cessandum; Ita *Aug. l. 9. de Trin. c. 5*

Vltimo recolenda sunt, quæ in Tractatu de Incarnatione diximus nempè argumenta, quæ contra Fidei mysteria fiunt, non posse à nobis in hac vita solui euidenter positiuè, quia sic non Fidem, sed eorum euidentiam haberemus; posse tamen euidenter negatiuè solui, quia aduersarius nunquã nos ita conuincere poterit, vt non habeamus, quid probabiliter respondeamus, atque a deò non rectè assumptas ab Aduersario propositiones negare possumus: quæ doctrina maximè locum habet in argumentis, quæ circa mysterium Trinitatis fieri possunt.

PRÆLVD. IV.

De notitia aliquorum terminorum, quorũ vsus est in hoc tractatu frequentissimus.

TErmini in hoc tractatu vsitatiores sunt, *Visio Essentia, Substantia, Existentia, Subsistentia, Suppositum, Persona*, quorũ omnium significationem, & antiquam inter D. Hieronymum, & D. August. controuersiam in tract. de Incarnatione fusè tradidimus. Hic alij supersunt termini declarandi, vt, *Notio, Actus notionalis, Actio, Relatio, Homousion, Circuminsessio*, & similia *Notio* nihil aliud est, quàm quæcumque diuinarum Personarum proprietas in abstracto concepta, qua aliqua de Diuinis Personis determinatè cognoscũtur, & sunt quinq; notiones *Spiratio passiua, spiratio actiua, Filiatio, Paternitas, & Innascibilitas*: Notionalia igitur ab essentialibus in Diuinis semper differunt, & ideò sæpè pro personalibus vsurpantur, non tamen *Notiones* idem prorsus sunt, quod relationes, tùm; quia relationes possunt etiam concipi in concreto, at notiones sunt nomina abstracta ex *D. Th. q. 32. art. 2.* tùm quia innascibilitas in Patre est notio, qua Patrẽ nouimus, & tamen non est relatio realis ad aliquam diuinam Personam: A notione oriuntur actus notio-

tionales, seù personales, & sunt actus intelligendi in Patre, quo Verbum generatur, & amandi, quo Spiritus sanctus spiratur. Nomen actionis, vel productionis in toto hoc tractatu non significat dependentiam rei productæ à producente, quia hæc dicit imperfectionem, quæ non est in Deo, sed solum in Creaturis; at significat emanationem vnius personæ ab alia seclusa quacumq. dependentia, & item seclusa quacumq. causæ materialis causalitate; Itaque cum in Scriptura dicitur, *Ex vtero*, idest *de mea substantia ante Luciferum genui te*: vel cum ss. Patres dicunt, Filius est de substantia Patris, illæ particulæ *ex substantia*, vel *de substantia* non significant causalitatem materialem; sed solum significant, quod processio, vel persona procedens non est ex nihilo producta, sed illi cômunicatur eadem substantia personæ producentis. Vnde productio in Diuinis, neque est creatio, quia non est ex nihilo, sed ex substantia producentis, neque est actio, quæ passionem importet, qualis est omnis actio creata; quia non versatur circa aliquod subiectum, quod actionem propriè recipiat, sed solùm est actio comunicatiua suæ substantię. Relatio in diuinis non est concipienda, vt fit in Creaturis pro modo aliquo afficiente subiectum, sed pro habitudine substâtiali, & hyppostatica aliam personâ intimè respiciente: quare dictæ relationes neque sunt Prædicamentales, neq. Transcendentales: sed in multis ab omnibus creatis relationibus differunt, vt infra dicetur. Tandem vox illa Græca *Homousion*, idem est, quod Latinè substantialis, seù eiusdem essentiæ, & naturæ fuitq. à Patribus contra Arium adinuenta ad ostendendam filij Dei diuinitatem, quam Arius destruebat: differtq; à voce *synusion*, quia vox ista ita consubstantialitatem significat, vt non denotet vllam Personarum distinctionem, & ideò vocem istam *Sabelliani* Personarum distinctionem negantes admitterent; at *Homousion* ita significat eandem naturæ vnitatē, vt simul significet Personarum distinctionem, & ideò in Ecclesia fuit rectè recepta, de qua agit *Basilius in Epistola ad Ancillas Dei, Epiphanius in Anchorato, August. Epist.* 174 & 178. Et habetur de voce ista *Homousion* specialis in 5. Tomo Bibliotecæ SS. Patrum tractatus.

Obseruandum tamen est voci *Homousion* aliam valdè similem inueniri nempè *Lomiusion*, quam Semiariani vsurpabant ad suos occultandos errores, qui filium Dei *Lomiusion* appellabant idest similis substantiæ cum Patre, cum tamen secundum Fidem nô similem, sed eandem prorsus Patris habeat essentiâ, & ideò vox ista à *D. Hylario lib. de synodis* iure reprobatur. Denique superest nomen *Circuminsessionis*, quod nihil aliud significat, nisi Patrem ratione naturæ totum esse in Filio, & in illo inhabitare, & Filium totum esse in Patre, & Spiritum Sanctum totum in Patre, ac Filio, iuxtà illud *Ioannis* 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*,

est; qua de re legendus est *August. lib. 6. de Trinitate cap. vlt.*

PRÆLVD. V.

De recta huius Tractatus partitione, facta ab Angelico Doctore.

Diuidit hunc Tractatum S. Thomas in tres præcipuas partes. Prior pars amplectitur omnia, in quibus omnes tres personæ Diuinę conueniunt, ea autem, in quibus conueniunt, hæc sunt *Processio actiua, vel passiua, Relatio, & Ratio personæ*, quæ tria omnibus Diuinis Personis communia sunt; Ceterum, quia ex processione oritur trinitas Personarum, ideò Tractatum istum à Diuinis processionib. tota q. 27. inchoauit, & quia processiones secum important relationes, ideò quæst. 28. de relationibus agit; & quia ad relationes consequuntur Personæ, quę per relationes in esse Personali constituuntur; ideò de personis in comuni postea pertractat, de quibus 4. considerauit Primum ipsam Personæ quidditatē, & hoc facit q. 29. Secundum Personarum pluralitatem, & hoc facit q. 30. Tertium quæ Personarū pluralitatem consequuntur q. 31 Quartum Personarum cognitionem quæst. 32.

Consideratis his, quæ omnibus diuinis Personis comunia erant, in secunda parte accedit S. Doct. ad singulas Personas in particulari considerandas: Et quia inter diuinas Personas Pater origine prior est alijs, ideò q. 33. agit de Patre; Et quia Pater talis est per Filium, ideò immediatè de secunda Persona pertractat. Et quia hæc tribus nominibus appellatur, Verbi, Imaginis, & Filij, & de hoc tertio nomine egerat pertractando de Patre, Ideò alia duo nomina quæst. 34. & 35. explicauit. Postmodum quęst. 36. agit de tertia Persona Trinitatis, idest de Spiritu sancto, & quia Spiritus sanctus dicitur etiam Amor, & Donum, ideò vtrunque nomen tota q. 37. & 38. ponderauit.

In 3. Tractatus parte considerauit S.D. Personas, prout inter se varijs modis comparantur. Primo itaque comparat eas ad essentiam, & hoc facit q. 39. Secundo ad relationes, & proprietates, & hoc facit quæst. 40. Tertio ad actus Notionales, & hoc facit q. 41 Quarto comparat eas inter se, & hoc facit q. 42. Quinto comparat eas in ordine ad missionem vnius Personæ ab alia ad opera ad extra, & hoc q. 43. peregit, in qua numeris omnibus absolutum de Deo Trino tractatum miro ordine, & propè Diuina methodo nobis reliquit.

PRÆLVD. VI.

Hæreticorum de Trinitate errores varij.

Omnes de sanctissima Trinitate errores ad duo capita reuocantur, in quorum primo fuerunt illi, qui vnicam solam in Diuinis

nis Personā constituerunt: in secundo, qui plures Diuinas Personas admittentes, plures etiam diuinas naturas multiplicarunt; illi ad Hæbraismum, isti ad Gentilismum accesserunt.

In primo capite fuit *Praxeas*, aduersus quem *Tertul. lib. de Trinit. scripsit satis elaboratum*; hic negare cœpit Personarum distinctionem, quem postea sequutus fuit *Noetus*, qui teste *Epiph. lib. 2. de Hæresib. Hæresi 57. & Aug. lib. de Hæresib hæresi 37.* ab anno Domini 258. cœpit docere eandem secundum rem esse personam, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ac ideò Deum esse vnum, sed Trinonimum: Dici autem *Patrem*, pro vt omnium rerum Creator erat, *Filium*, prout humanam carnem susceperat in Vtero Virginis, & *Spiritum sanctum*, vt nos sanctificat. *Noetum* sequutus est *Sabellius*, qui hunc errorem suscitauit, & quia illum longè, lateq; propagauit, ideò *Sabellianus* fuit dictus, licet non ipse fuerit eius auctor, ita refert *Athan. orat. contra Gregales Sabellij.* Porrò hunc errorem iamdiu in tenebris iacentem ab inferis reuocauerunt recentiores Hæretici dicti *Antitrinitarij*, quorum Dux *Michael Ceruetus Hispanus* anno 1555. publicè Genuæ est combustus, quem sequuti sunt *Franciscus David & Franciscus Blandrata*, qui in Transiluaniam pestem hanc deferentes, celebrem illam Prouinciam deuastarunt. Asserunt isti inter alia figmenta, Deum esse quidem vnum, & trinum, sed trinum non personis, sed facultatibus, seu potentijs, sicut anima rationalis vegetans, sentiens, & intelligens triplex est facultate non potentiæ pluralitate, & hac ratione putabant isti se à *Sabelliana* hæresi longè distare, eo quod *Sabelliani* eādem esse personam, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, solumq; diuersis nominibus differre docuerunt: Isti autem non solum nominibus, sed etiā facultatibus differre testarentur. Contra hos *Antitrinitarios* scripserunt *Genebrand. lib. 4. de Trinit. Betarm. Tom. 1. lib. 1. de Christo c. 1. Et Val. tom 1. disp. 1. quæst. 1 §. 5.*

In secundo capite fuit error *Arianorum*, qui distinctionem Personarum admittebant, sed Filium esse Patri consubstantialem negabant, dicebantq; ipsum esse puram creaturam spiritualem, omnibus alijs excellentiorem per quam Pater omnia alia creata produxit. Hinc deducebant Verbum filiū Dei dici non natura, sed sola gratia, & adoptione, nec esse Patri coæternum, sed in tempore productum, eidem Patri subiectum, & illo minorem Huius hæresis auctorem aliqui faciunt *Origenem*, ex quo *Arium* hausisse putant, sic *Epiph. Epistola ad Ioan. Episcopum Hierosolymytanum, & lib. de Hæresibus hæresi 72, S. August. de Hæresibus hæresi 43 Et S. Hieron: Epistola ad Pamachium.* Verum si qui errores præsertim tam patentes, & intollerabiles in lib Origenis leguntur, eos ab Hæreticis ad simplices decipiendos appositos fuisse valdè est credibile; & ideò ab hac calumnia, multis eiusdem Origenis adductis

ductis testimonijs illum defendunt *Pamphilus Martyr in Apologia pro Origene*, quæ extat in fine 1. tom. operum eiusdem. Item *Ruffinus in Apologia, & defens. lib. Origen. ad Macharium*.

Porrò error iste ita longè lateq; per omnes Orbis partes infectas suas radices diffudit, vt teste D. Hieron. totus pro eo Orbis luxerit; Nam ex Episc. hanc Arij doctrinam sequebantur *Eusebius* Episcopus Nicomediensis, *Theo* Episcop. Nicæ: *Basil.* Episcopus Ancyræ *Auxentius* Episcopus Mediolanensis, cui D. Ambrosius successit, & alij plures. Ex Imperatoribus hac peste maximè fuit infectus. *Constantius* Magni Constantini Filius, & *Valens*, qui Imperatori Iouiniano Catholico successit; Et quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis, ita tota ferè Ecclesia paucis exceptis post ipsos abibat.

Post Arianos surrexerunt *Semiariani*, quorum duces fuerunt quidam *Basilius*, & *Georg. Laod.* vt refert *Epiph. hæresi* 75. negabant isti Filium esse Patri *homousion*, sed dicebant esse *homiusion*, hoc est similis substantiæ, vt vocis similitudine incautos irretirent.

Post hos surrexit *Maometus*, qui cũ prius Pastor, postea Camelorum mercator fuisset, indè à Sergio Nestoriano pseudomonaco instructus, & adiutus circa *annum* 640. Maumetanam sectã, ex Iudæorum, Arianorum, & aliorum Hæreticorum erroribus, nec non ex Poetarum fabulis compactã instituit, Et inter alios eius errores, docuit simul cum *Ario*, Verbum Dei puram esse Creaturam.

Ad idem caput pluta alia Hæretico rum figmenra reuocantur, & Primo loco prodeat *Macedonius* Episcopus Cõstantinopolit. qui Spiritum sanctum, vt *Arius*, vera Deitate spoliauit, vt refert *Augustinus hæresi* 52. qui etiam testatur, Macedonianos græco nomine appellatos fuisse de Spiritu sancto litigantes.

Secundus error fuit *Petri Abailardi*, qui teste *Sancto Bernardo Epistola* 109. docuit Spiritum sanctum esse animam mundi, & filio inferiorem; nam iste Patri omnipotentiam, Filio semipotentiam, Spiritui sancto nullipotentiam tribuebat.

Tertius error fuit *Erasmi*, qui teste *Iansenio cap.* 1. *suæ concordiæ* dixit, Filiũ Dei non esse mentale Patris Verbum, sed verbum dici, quia vocali verbo simile est, quatenus Pater per eum res omnes annunciat; ideoquè subdit, potius Patris sermonem, quam Patris Verbum esse appellandum.

Quartus error fuit *Abbatis Ioachini*, qui in libro aduersus Magistrum, docuit, Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum non esse vnam rem, vnam substantiam, & naturam; sed esse vnam per aggregationem, sicut multi homines dicuntur vnus Populus, & credentium fuisse cor vnum refert D. Lucas; qui error *à Concil. Lateran. sub Innoc. iij.* fuit damanatus, vt etiam habetur in *cap. Damnamus de summa Trinit. & Fide Catholica*.

Quin-

Quintus error fuit quorundam Philosophorum, qui dicebant Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum non habere eandem numero naturam, sed sola spetie, & ideò, cum tres Deitates multiplicarent, Deistæ, seu Trinitarij fuerunt nuncupati, vt scribit *Prateolus verbo Deistæ:* Hi tempore Pij Quinti *Anno* 1544. surrexerunt, & D. Athanasij symbolum iam diu in Ecclesia receptum labefactare conati sunt.

Sextus error fuit *Valentini Gentilis*, qui docuit tres esse Spiritus æternos essentiali numero diuersos: secundo hos non esse æquales, sed Patrem alijs perfectiorem, itaut Pater Essentiator, aliæ duæ personæ essentiatæ ab ipsis dicerentur. Tertio Filium non esse ex nihilo productum, neque in tempore genitum, sed ab æterno ex Patris substantia, substantialiter tamen, & indiuidualiter à Patre discretum.

Septimus error fuit alterius *Valentini*, qui sanctum Spiritum Angelum quendam putauit, vt refert *D. Athanasius in Epistola ad Serapionem post medium*, quem errorem nunc etiam populi Transiluaniæ tuentur.

Plures alios errores omitto, de quibus legi possunt *Prateol. supra Theodoret. lib. 1. de fabulis Hæreticorum: Sanderū lib. de visibili Ecclesiæ Monarchia, Genebrard. lib. 4. & 5. de Trinit.*

PRÆLVD. VII.

Quid secundum Catholicam Fidem de sanctissima Trinitate sit sentiendum.

CAtholica Ecclesia hos Hæreticorum extremos errores deuitans, & media quadam inter eos via incedens, duo de Trinitate credenda proponit: Primo dari in diuinis tres veras Personas, realiter, & personaliter inter se distinctas, neque plures, neque pauciores: Alterum est has tres diuinas Personas eiusdem esse substantiæ, ac naturæ, non specie, sed numero, eiusdemque numericę perfectionis; atque ita Deum esse vnum in natura, sed trinum in personis fatetur.

Primum probatur; Qui gignit, & qui gignitur, & vniuersaliter omne productū substātiale, & totale realiter, & personaliter distinguitur a producente; sed Filius gignitur a Patre, Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedit, ergo istæ tres personæ realiter inter se distinguntur. Maior patet, quia nihil producit se ipsum, secus se ipsum produceret, & non produceret: produceret ex suppositione: non produceret, quia producens supponitur esse, si autē se produceret, supponeretur nō esse: atq; ita eadem res simul esset, & non esset, quæ est aperta repugnantia. Minor probatur ex illo Ps 2. *Ego hodie genui te*. Ioannis 7. *Ego ex Deo processi*. Ecclesiast. 24. inquit sapientia genita,

Ego ex ore, ideſt *ex intellectu Altiſſimi*, *prodiui primogenita ante omnem Creaturam* Micheæ 5. de filio humana carne induto dicitur *Egresſus eius ab initio à diebus æternitatis*. Idem patet de Spiritu ſancto Ioann. 17. *Cum venerit Paraclitus ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit*, & alibi ſæpe idem repetitur.

Secun. probatur ex alijs Scripturæ locis; in quibus habetur alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritũ ſanctum, quod etiam realem diſtinctionem importat Ioann. 5. Filius de Patre ſic loquitur, *Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me*. Et Io. 14. de Spir. ſancto loquens inquit, *Alium Paraclitum dabit vobis*. Hinc rectè obſeruat *ſanct. Fulgent. lib. ad obiectiones Arianorum*, Poſſe quidem dici, Patrem eſſe *alium* à Filio, & hunc à Spiritu ſancto, non tamen poſſe dici, *aliud* à filio, quia *aliud* importat diſtinctionem in eſſentia, & *alius* in Perſonis, ad quod ſignificandum dixit Chriſtus, *Ego, & Pater vnum ſumus*, non dixit *aliud* ſumus, quia vnam habent eſſentiam; neque dixit, vnus ſumus, quia diſtinguebantur perſonis.

Tertio probatur ex his locis, in quibus vna perſona aliam alloquitur Gen. 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*. Gen. 11. *Venite deſcendamus, & confundamus linguas eorum*. Item *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, at vera locutio importat diſtinctionem perſonarum, ſcilicet loquentis, & audientis.

Quar. probatur ex his locis, in quibus habentur quædam vocabula, quæ realem diſtinctionem ſignificant, qualia ſunt apud aliquem eſſe Ioann. 1. *Et Verbum erat apud Deum*. In aliquo eſſe Io. 14. *Ego in Patre, & pater in me eſt*, Cum aliquo eſſe. prouerb. 8. dicitur de ſapientia genita: *Cum eo eram cuncta componens*: at hæc omnia realem diſtinctionem perſonarum ſignificant; Nam ſi pater eſſet eadem perſona cum filio, ineptè diceretur filius eſt apud patrem, quia idem non eſt apud ſe ipſum. Item filius eſt in patre, vel cum patre, quia idem non eſt in ſe ipſo, nec cum ſe ipſo omnia componere dicitur.

Quinto Denique hæc perſonarum diſtinctio clarè conſtat ex illo *Mat. 28. Baptizantes eos In nomine Patris, Filij, & Spirit. ſancti*. Non dixit in nominibus, ſed in nomine, vt eſſentiæ vnitatem, & perſonarum diſtinctionem ſignificaret. Clariſſimum etiam eſt illud 1. Ion. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*.

Ex his deducitur falsò *Sabellianos* docuiſſe, Deum eſſe vnam perſonam, ſed trinonimam, dicique patrem, filium, ac ſpiritum ſanctum; Nam quæ dementia iſta eſſet, ſi quis de Marco Tullio Cicerone, quæ eſt eadem perſona trinonimis, aſſereret, Tullius genitus eſt ex Marco, item Cic. ex Marco Tullio proceſſit; vel alius eſt Mar. alius Tull. alius Cicero, ſi eſt eadem perſona: quomodo dici poſſet Marcus alloquitur Tullius, & Tul. Cic. vel

Mar.

Marcus est apud Tull. & cum Tullio, si solum nominibus differrent; Plura legantur hac de re apud *Molin. 1. par. q. 27 art. 1. disput. 5. Belar. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 6.*

Altera pars Conclusionis scilicet has tres Personas eandem numero Deitatē habere constat primo ex duobus vltimis testimonijs iam allatis. Secundo patet, nā ex vna parte Sac. Script. manifestè docet, Deum esse vnum. *Deut. 6. Audi Israel Dominus Deus noster Deus vnus est*, & c. 32. *Videte quod ego sim solus; & non sit alius Deus præter me.* 1. ad Corin. 8. *Scimus, quod nullus est Deus præter vnus.* Ex alia parte eadem Scriptura nos docet, Patrem esse Deum, Filium item ac Spiritum sanctum: ergo istæ tres personę eandem habent Deitatem.

Porrò Patrem esse Deum constat ex cap. 1. Ioann. *Verbum erat apud Deum*, idest apud Patrem; Et cap. 6. *hunc ergo Pater signauit Deus*, idest Deus Pater designauit Christum, vt Messiam, & humani Generis Redemptorem. Sed clarissimum est illud 1. ad Corinth. 8. *Vobis autem vnus est Deus Pater*: Deinde si Filius est Deus, etiam Pater Deus erit; Nam filius Deus non potest à Creatura gigni: ergo ab aliqua Persona improducta; sed hæc est Deus: ergo Pater est Deus.

Filium autem esse Deum multis probant *Franciscus Suarez de Incarnat. disp. 2 sec. 1. & de Trinit. lib. 1. cap. 3. Med. 3. p. quæst. 1. Val. 1. p. quæst. 27 §. 11.* sed præcipuè legendus est *Belarminus lib. 2. de Christo*, qui ex vtroque testamento, ex Dei nominibus, & Diuinis attributis, ex Diuinis operibus, ex Patribus, qui per singulas ætates extitere; Ex Sybillarum Vaticinijs effusissimè comprobat. Nobis sufficiant tria loca clarissima. Primus est totum Ioann. caput *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, &c.* Secundus est eiusdem Ioann. in p. Epist. c. 5. *Vt simus in vero filio eius; hic est verus Deus.* Tertius locus est ad Philipp. 2. vbi loquens de Christo Apostolus sic inquit *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem, &c.* hæc autem *Dei forma* est ipsa diuina natura, quam nō rapere conatus fuit filius, sicut Lucifer, sed à Patre naturaliter accepit.

3. Probatur similiter Spiritum sanctum esse Deum primo ex iam allato testimonio *Baptizantes eos, &c.* Si enim Spiritus sanctus non esset Deus, non æque vt Filius, & Pater inuocaretur, & adoraretur; Neq; si esset creatura Scriptura illum cum alijs duobus personis copularet. Actorum cap. 5. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo.* Pluribus Spiritus sancti diuinitatem comprobant. *Greg. Nis. lib. quod Spiritus sanctus sit Deus, Cyril. Alex. lib. de Spir. sanct. D. Ambrosius lib. trib. de Spiritu sancto. Molina vbi s. disput. 4. Valent. §. 24. Suar. lib. 1. de Trinit. c. 4. Vasq. disp. 110. Belarm. lib. 2. de Christo cap. 13.* qui eadem prorsus reperunt;

sed præter hæc tria loca, alia sanè, quæ afferunt, iudicio meo nō cogunt, quia facilè de ipso Deo, qui etiam spiritus est, non de tertia Trinitatis Persona explicari possunt.

Ceterum hic obseruanda est regula quam tradunt *D. August. lib. 2. contra Faustum cap. 9. & S. Hilar. lib. 7. de Trinit.* quod licet scriptura creaturas etiam Deos appellet, *Ego dixi Dij estis. Exod. 7. Ego constitui te Deum Pharaonis* dixit Dominus Moysi: Non tamen simpliciter dicitur Deus, sed cum limitatione, nempè Pharaonis: at quando simpliciter, & absolutè, atque in numero singulari dicitur de aliqua Persona esse Deum, tunc, ly Deum, accipi propriè, non per participationem: allegata autem, de Filio & Spir. sancto testimonia, sunt absolutè, & in numero singulari; Nam de Filio dicitur: *Hic vnus est Deus.*

Tandem hoc diuinarum Personarū in eadem Deitate mysterium patet ex varijs, ac vetustissimis Concilijs nam singularum Personarum Deitatem definierunt *Constantinopol. 1. cap. vltimo; Ephesinum 1. Calcedonense actione 5. Nissenum 2. actione prima. Lateranense 1 can. 1. & Later. 2. cap. Damnamus; & cap. Firmiter de sum. Trinit.* & alia multa.

PRÆLVD. VIII.

Num ex veteri Testamento sufficienter colligatur tres esse in vna Deitate Personas.

DVm Iudæi vnitatem Dei clarissimè in sacris Litteris expressam nimium patrocinantur, Personarum in eadem Deitate pluralitatem audacter negant; & hanc antiquorum suorum patrum esse fidem testantur. Et quia ipsi nouum Testamētum non admittunt, ideò videndum est, an ex veteri sufficienter conuinci possint.

Negat *Testatus opus. de Trinit.* quod contra *Nicolaum de Lyra conscripsit*, vbi omnia testimonia veteris Testam. ab illo, & ab alijs in huius rei confirmationem adducta dissoluere conatur.

Ceterum etsi in nouo Testamento clarior nobis sanctę Triadis reuelatio facta sit, cum aliqui Patres dicant Trinitatis notitiam esse nouo Testamento propriam, vt *Cyril. Dialog. 3. de Trinit. & S. Hillar. lib. 5. de Trinit.* docet Patriarchas, & Prophetas hoc mysteriū ab Apost. didicisse, scilicet quoad perfectam reuelationem: attamen negandum non est sufficientem etiam eiusdem reuelationē in veteri Testamē to haberi; Ita *Nicolaus de Lyra lib. contra Iudæos*, qui extat in 6. tomo glos. ordinariæ *Michael Med. lib. 1. de recta in Deum Fide, Petrus Galatinus lib. 2. de arcanis nostræ Fidei. Vasq. disput. 108 cap. 3.*

c. 3. *in fine.* Probatur primo, quia notitia huius mysterij in vtraq; lege fuit necessaria necessitate medij: ergo quot quot ex antiquis Patrib. salutem consequuti sunt huius arcani cognitionem habuere. Hanc autē cognitionē, vel à Deo immediata reuelatione accepere: vel primos nostros Parentes, quibus ante peccatum hoc mysterium sine dubio fuit a Deo reuelatum, posteris tradidisse conijcimus.

Probatur secundo conclus. aduersus Iudæos primo ex Genes. 1. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram, & Spiritus Domini ferebatur super aquas:* In principio idest *in Filio*, teste Hilario, & Tertul; quos refert *S. Hier. in quæstionibus super Gen. in Hæbreo legitur in Filio,* si quidem verbum hæbraicum, tàm caput, & principium, quàm filiū significare docent *Hilar. in Psal. 2.* & alij linguæ hæbraicæ peritissimi: Ex hoc igitur loco tres Personas habemus secūdam, dum dicitur in filio, essentiæ vnitatem, dum dicitur creauit, primā personam dum subdit Deus, & tertiā, dum addit Spiritus Domini ferebatur super aquas. Idem alio modo confirmatur. Nam vbi nos legimus In principio creauit Deus, hæbraicè habetur Eloym, quod secundum *Burgensem in suo Scrutinio* significat, Deos Iudices; vnde sensus est *in principio creauit Dij,* vt inde essentiæ vnitatem, ac pluralitatē Personarum Moyses significaret.

Secundus locus est ille, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* quæ verba, vt aduertunt *Basil. Chrysost. Theodor. ad primum Gen. caput* non ad Angelos, qui nec hominem crearunt, nec homo ad Angelorum imaginem fuit procreatus, sed ad diuinas Personas diriguntur; Vnde ad Trinit. comprobandam vtitur hoc testimonio *D. August lib. 12. de Trinitate, & Marcellinus Papa in Epistola decretali, & concil. Syrmiense contra Arianos* sic habet *si quis dixerit, quod scriptum est, faciamus hominem, non Patrem ad filium dicere, sed ipsum ad se ipsum dixisse Deum,* anathema sit.

Tertius locus est Deut. 6. *Audi Israel Dominus Deus noster Deus vnus est,* vbi ter nominat Deum ad tres Trinitatis personas significandas: & secundo loco dicit *Domin. noster* ad insinuādū Filiū, qui ob nostræ carnis assumptionem peculiari nomine, ac ratione Deus noster dici potest. Simile est illud psal. 62, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Item illud *Deus Abraham, Deus Isac, Deus Jacob* Item illud *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea, flabit Spiritus eius, & fluent aquæ;* Itē illud *Psal. 52, Verbo Domini Celi firmati sunt, & Spiritus oris eius omnis virtus eorum,* quem locum de personarū deitate, explicant *Athanasius oratione cōtra Idola, Greg. oratione de Trin. S. Ambros. lib. de Spir. sancto, & August. lib. de Verbi immensitate;* Simile est illud Gen 18 *Tres vidit, & vnum adorauit* sed clarius est illud Esaiæ 6. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum;* qua trina repetitione tres diuinas personas

sonas significari docet *S. Hier. & Ciryl.* in hunc locum, *Athan. oratione in illud Omnia mihi à Patre tradita sunt. Chrysost. ser. de Trinit. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 29.* eundem locum de Trinitate exposuerunt antiquiores Rabini, inter quos *Rhabi Simeon* hæc in hunc locum scribit; *Sanctus, qui est Pater; sanctus, qui est Filius: sanctus, qui est Spiritus sanctus.* Alius nomine *Isach Jazochar* dixit *in diu. essentia sunt tres coronæ, et istę tres coronæ sunt vna corona vnita vnitate admodum perfecta.* Exemplũ deduxit iste à summi Pontificis Tiara, in qua tres erant Coronę inter se distinctæ, vni tamen tiaræ insertę: Ita in diuinis sunt tres Personæ, sed eidem essentiæ diuinæ indiuisæ. Plura alia scripturę, & Rhabinorum testimonia legi possunt apud *Galatinum lib. 2. & 3. de arcanis nostræ Fidei*, vbi pluribus id demonstrat.

Nec solum ex Allatis testimonijs, sed ex nomine ipso *JEOVA*, quo Hębrei Deum significant, idem Trinitatis myster. apertè demõstratur, nam circulo clauso triplici Iod, sed vna tantum litera Aleph. notabatur; per vná Aleph literam essentiæ vnitatem, per triplex Iod Personarũ Trinitatem; per circulum earum in natura identitatem significantes. Alij antiquiores Rabini, nomen Dei *Jeoua* triplici Iod conscriptum etiam triangulo includebant vt idem Trinitatis arcanum aperirent. Rectè autem notat *Galatinus lib. 2. de Arcanis cap. 6.* Primum Iod significare Patrem, aliarum duarum Personarũ principium. Secundum quod est *He*, & vitam apud Hæbreos significat, innuere filium, de quo inquit Ioannes *In ipso vita erat*: litera *Vau*, quæ apud Hæbreos vim habet copulandi, significat Spiritum sanctum, qui cum sit Patris, ac filij amor perfectissimus, est vtriusque Personæ nexus.

Nec silendum literam *He*, quam Filium significare diximus in Dei nomine geminari, & hoc vel ob duplicem in Christo naturam significandam; vel ob declarãdam duplicem eiusdem Filij relationem, quam vt genitus habet ad Patrem, & vt spirator ad Spiritum sanctum. Plura de hoc nomine *Ieoua*, & literis, quibus inscribebatur, legi possunt apud *Galatinum lib. 2. de Arcanis, cap. 6. & Vasq. disput. 59. cap. 2. & disput. 108. cap. 3.*

Hinc deducitur, non solũ Iudęos ex allatis scripturæ, & suorum Rabinorum locis, ac testimonijs conuinci posse; & non nisi insipienter in sua perfidia permanere; sed etiam Abulensis sententiam esse in Fide periculosam; primò quidem, quia Filij diuinitatem vetus Testamentum clarissimè testatur, vt videre est apud Auctores præcedenti Præludio allatos; & inter alia testimonia celebre est illud, *Dixit Dominus Domino meo, sede, &c.* Et illud Esaiæ *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & vocabitur admirabilis, Deus fortis, Pater futuri sæculi*, quæ verba Messiæ diuinitatem clarissimè ostendunt. Secundo quia tot ss. Patres veteris Scripturę testimonij ad Tri-

nita-

nitatis mysterium comprobandum vsi sunt, Vt *Greg. Nis. lib. de Trinit. contra Iudaeos, Athan. oratione 5. & 4. contra Iudaeos. Basilius lib. 5. contra Eunomium. Tertul. lib. de Trinit.* & alij plures. Tertio, quia Benedictus I. in sua Decretali probans hoc mysterium ex veteri Testemento aduerfus aliquos, qui id probari posse negabant, inquit, hos, *hisce testimonijs esse conuincendos.* Et idem fere habet *Alex. 1. in suis decretalibus.*

Cùm igitur sententia Abulensis his summorum Ponfic. decretis aduersetur, non satis in Fide tuta videtur.

PRAELVD. IX.

Haereticorum sanctissimam Trinitatem oppugnantium praecipua argumenta diluuntur.

PRimo obijciebant Ariani illud Prouerb. 8. iuxtà translationem 70. Interpretum *Dominus creauit me in initio viarum suarum*; quae sunt verba filij. Secundo illud Ecclesiastici 24. *Tunc dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* Tertio illud ad Colos. *1. Primogenitus omnis Creaturae* ergò Filius verè fuit à Patre creatus: ergo nō est Deus.

Resp. ad primum locum congruentius ad Textum Haebraicum legi secundum translationem D. Hieron. *Dominus possedit me*, vt *D. Basil. lib. cōtra Eunomium circa medium, & D. Epiphan. heresi 64.* & idem *Hieronymus in Epistola ad Cyprianū* obseruarunt. Idem autem est dicere *possedit me*, ac dicere, *genuit me*, iuxtà vsitatam Script. phrasim. Gen. 4. cum natus esset Caim dixit Eua *Possedi hominē per Deū*; si verò retineamus lectionem 70. Interpretū, qui legunt *creauit* me, ibi est sermo de Christo secundum humanam naturam, non secundum diuinam. Tertio textus graecus propriè habet *Praefecit me suis operibus*, in quo sensu propriè dicimus Magistratum creari.

Ad Secundum locum primo dicimus: *Euarestum Pontif. in Epistola 1.* non legere, qui creauit me, sed qui genuit me. Vel ad vtrumque locum dico processionem Filij Dei vtroque nomine generationis, & creationis nuncupari, vt maxima illius perfectio declaretur, quae omnes generationis & creationis perfectiones includit. Et ideò sub nomine generationis proponitur, vt significetur, quod sicut pater per generationē suam substantiā filio communicat, Ita Aeter. Pater filio; sub nomine creationis, vt significetur filij Dei processionem non esse ex seminis decisione, vel ex aliqua praeexistenti materia, vt in humanis contingit, sed esse simplicissimam quandam actionem absq; motu, & passione, & ideò in hoc creationi assimilatur; frequentius tamen sub nomine generationis proponitur; quia generationis, nō autem creationis definitio illi propriè conuenit. Ps. 2. *Ego hodie genui te.* Ecclesiast. 24. *Nundum erant abissi, & ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar.*

Ad secundum locum respondetur; dici

dici *primogenitum omnis creaturæ*, idest genitum ante omnem creaturam iuxtà illud Ecclesiast, 24. *Ego ex ore Altiss. prodiui primogenita ante omnem creaturã.* Alias vtriusque loci expositiones tradidimus in Tractatu de Incarnatione, disput. 7. nodo primo ad primum.

Obijciebant 2. nonnulla Vet. Patrũ testimonia, vt *S. Ignatij in Epistolis ad Tersenses*, Antiochenos Philippenses. Item *Irenei Dial. contra Triphonem*, & aliorum dicentium solum Deum Patrem esse verum Deum, & similia verba, quæ referunt *Vasq. disput. 109. c. 4. & Val. vbi supra §. 23.*

Resp. ly, vnum, & ly solum tenere se ex parte obiecti Dei, non ex parte Patris, atq; ita velle Patres excludere prçter vnum Deum Patrem, alios Deos, non verò velle excludere plures in eadem Deitate personas. Secundo illa, & similia nomina Patri tribuuntur, non quia Pater solus sit Deus, sed quia Pater solus habet naturam diuinam a se, & aliæ duæ personæ vi originis ab alio: Et hoc modo de solo Patre exponit Ambros. illud Pauli *Regi sęculorum immortali, & inuisibili, &c.* Tertio nomine Patris in Script. sæpè intelligitur tota sanctiss. Trinitas, vt cum dicimus *pater noster, qui es in Calis*, non enim nos solius Patris, sed totius Trinitatis filij sumus adoptiui.

Tertio obijciebant contra SS. diuinitatẽ Macedonij; primo illud Amos 4. *Ego Dominus formans tonitruum, & creans Spiritum*: ergo Spiritus sanctus est quid creatum, secundo illud ad Roman. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; sed qui petit ab alio, est illo inferior: ergo Spiritus sanctus non est Deus Tertio Illud Io. 15. *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre*; Qui autem mittit, est superior eo, qui mittitur; ergo filius est superior spiritu sancto, & cum Pater mittat Filium etiam, erit ipso filio superior, & ita solus Pater erit Deus, cum solus superiorẽ nõ agnoscat. Quarto Illud Io. 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quęcunq; audiet loquetur*, at si spiritus sanctus esset Deus à semetipso loqueretur; nec ab alio discere egeret.

Ad primum locum respõdetur. Per Spiritum intelligi ventum, vt apparet ex illa particula tonitruum, quæ simul cum spiritu, idest vento coniungitur. Ad secundum dico sensum esse, *Spiritus postulat* idest facit nos postulare gemitibus inenarrabilibus; vt exponit *S. Aug. lib. 1. cap. Maximini*; Vel per spiritum intelligi *Spiritum adoptionis*, seu gratiam iustificantem, quæ corda nostra ad Deum orandum excitat; iuxtà illud ad Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Ad secundum locum respondeo, quando quis mittit alium per modum imperij, tunc esse illo superiorem; at Filius, & Spiritus sanctus non mittuntur a Patre per modum imperij; sed per modum naturalis originis: missio enim est visibilis manifestatio processionis inuisibilis vnius Personę ab alia, vt inquit *August. lib. 2. de Trinit. cap. 5.* Ad 4. respondeo his verbis

non

non loquetur à semetipso, &c. significari Sp. S. processionē, per quā vna cum esſentia accipit scientiā à Patre, & Filio, neque eam habet à se, vt habet Pater.

Obijciebant quarto contra Personarū in eadem Deitate distinctionem Valentinus Gentilis, & ministri Transiluani hunc in modum; Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, nō est verus Deus: sed vnus Deus in essentia nec gignit, nec gignitur, nec procedit: ergo vnus Deus in essentia non est verus Deus sed Pater, Filius, & Spir. sanc. sunt verus Deus per vos; ergo nō sunt vnus Deus in essentia: sed plures Dij.

Respondeo distinguendo maiorē propositionem. *Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit*, non est verus Deus, stat dupliciter ly verus Deus vel non est aliqua persona ex tribus, & sic concedo maiorem; sed nego minorem; Si verò ly Deus sumatur pro natura diuina, vel pro indiuiduo deitatis, tunc nego maiorem, & concedo minorē; Nā etsi essentia diuina, vt indiuiduum, nec gignat, nec gignatur, nec procedat, est tamen verus Deus, illæ enim sunt operationes suppositorū nō autem Dei, vt Deus est; Quare est sophisma à persona ad essentiam pertrāsiens, in hoc toto Tractatu valdè obseruandum.

Secundo Pater est ingenitus, Filius est genitus: ergo non sunt vnus Deus. Probatur consequentia, quia secus idē Deus esset genitus, & non genitus quod implicat.

Respondeo nullam esse hic contradictionem quia in prima propositionis particula ly Deus accipitur pro Filio: in secunda pro Patre: nō repugnat autem de duobus suppositis realiter distinctis verificari vnum esse genitū; aliud ingenitum; esset autem contradictio, si de eodem Deo, vt Deus est, diceremus esse genitum, & ingenitum: at Deus, vt Deus, neq; est genitus, neque ingenitus; sed hæc nomina solis diuinis Personis conueniunt.

Tertio Generabile, & ingenerabile differunt plusquā genere, sicut corruptibile, & īcorruptibile, sed Pater est ingenerabilis, & Filius generab. ergo Pater, & Filius differunt plusquā generē.

Respond. quod est generabile per Motum, & productionē de nō esse ad esse differre plusquam genere ab ingenerabili. At generabile sine motu, & non per productionem de non esse ad esse, sed per comunicationem eiusdem naturæ, vt contingit in diuinis, non solum non differre genere, sed neque specie ab ingenerabili.

Quarto infinitum non est nisi vnū, quia continet omnia sub se: sed Persona in diuinis est infinita; ergo non est nisi vna Persona.

Respondeo Personam in diuinis esse infinitam simpliciter ratione diuinę essentię, quā includit, & secundū hanc rationē non multiplicari; at secūdū se singulas Personas esse infinitas, in proprio genere; Ver. gr. Paternitas est infinita in genere Paternitatis; quia includit perfectiones omnium paternitatū: & idem dico de filiatione, & spiratione

passiua: & ideò infinitas vnius Personę nō excludit, quin dati possint aliç duę Personę iuxta duos modos emanationis, quç in natura intellectuali reperiũtur, scilicet per cognitionẽ, & amorẽ.

Quinto aut Filius intelligit, aut nō: si nō ergo nō est Deus; si intelligit ergo producit aliud Verbum. Idem argumentum fit de Spir. sanc. Vel hic amat Patrem, & Filium, vel non; si non ergo non est Deus. Deus enim charitas est. Si amat, ergo producet alium amorẽ à se distinctum, & per cōsequens alium Spir. sanc. & hic alium vsq. in infinitũ.

Respondeo Filium intelligere quidem, sed eademmet Patris intellectione illi per essentiam comunicata, quæ intellectio cum in Patre habuerit terminum suæ fœcunditatis adęquatum, scilicet Verbum diuinum, quod est Filius Dei, ideò dum postea in Filio reperitur, non producit aliud verbum, secus primum Verbum non fuisset adęquatũ, & infinitũ. Cum igitur fœcũditas intellectionis diuinę fuerit totaliter exhausta in Patre per productionẽ infiniti Verbi; ideo dum est in Filio, nō gignit aliud verbũ, aut filiũ, nec in Spir. sanc. alium amorẽ, propter eãdem rationem. Et sic patet vnicũ dari filium, & vnicum Spir. sanctum in diuinis.

Sexto Intellectus, & Volũtas in Patre idem sunt, & similiter actus intelligendi idem sunt, ergo ij dem termini producti, scilicet Filius, & Spir. sanc. idem erunt, solaq; ratione distincti. Consequentia probatur. Termini realiter distincti exigunt actiones realiter distinctas; sed actus volendi, & amandi non sunt in Patre distincti, ergo nec Filius, nec S. S. erunt Pers. realiter distinctæ.

Resp. Minorẽ requiri distinctionẽ in principijs, quã in terminis; & ideò etiamsi Intellectus, & Voluntas, vel Intellectus, & amor, quæ sunt principia Filij, & Spir. sanc. idem sint, non sequitur Filium, & Spir. sanc. idem esse. Nego ergo Consequentiã. Ad Probationem respondetur. Illã maximã termini realiter distincti exigunt actiones realiter distinctas procedere in Creatis, nō Diuinis, quia in diuinis oĩa sunt vnũ, vbi non obstat relationis oppositio, sed actus intelligendi, & amãdi in Patre non opponuntur inter se relatiue, quia vnus non gignitur ab alio, & ideò vt sunt in Patre, sunt vnũ, & idẽ, & tamen habent distinctos terminos, nempè Filiũ, & Spir. sanc. omitto hic plura alia argumenta, quæ circa filij generationẽ, & Spir. sanc. processionẽ fieri possent, quoniã de his paulatim per varias difficultates agendum erit.

PRÆLVD. X.

De Philosophis, & Sybillis, quæ Trinitatis Mysterium agnouere.

NOn solum antiquis Patrib. & illustriorib. Rabbinis; sed etiã pluribus Philosophis, hoc arcanũ fuisse cognitũ satis est exploratũ, quã quidẽ cognitionem ex Hębreis, cum quib. versati sunt, vel ex sanctorum librorũ lectione hauserunt; vt *D. Aug. lib de Doctrina Christiana c.* 28. & *L.* 18. *de Ciu. Dei cap.* 37. & alij Patres tradiderunt.

Pri-

Primum itaque *Trimegistus in libr. qui dicitur Hmundus dialog.* 4, dixit Monas genuit monadem, *& in se suum reflexit ardorem*; Quibus verbis filij generationem, & spir. sancti processionem intellexit.

Plato lib. 6. de Repub. dixit. *Hunc me vocare filium bene dicito, quem ipsum bonum genuit sibi similem*, Et in Epistola ad Dionysium Regem, qui ipsum de natura Dei fuerat percunctatus sic loquitur. *De natura primi loquendum est per enigmata, vt si quod de ponto, vel terra perpessa fuerit, qui legerit, non intelligat. Sic ergo res habet, circa omnium Regem omnia sunt, & illius gratia omnia existunt; illeque est causa bonorum omnium secundum autē circa secundam, & tertium circa tertiam.* quibus vltimis verbis alias duas Personas diuinas insinuasse videtur *D. etiam August. lib. 7. Confess. cap. 9* refert, se in libris Platonicorum legisse *In principio erat Verbum, &c.*

Et *Plotinus librum scripsit de tribus Hyppostasibus*, à quibus omnia principium habent, in quo multa ex Platone de Trinitate cōcedit. idem Damarium, & alios Philosophos sensisse refert *August. Eugubinus lib. 1. de perhenni Philosophia cap. 6.* omninò legendus, qui toto illo libro plura de hac materia conscripsit.

At silendum hic non est Oraculum Delphicum, quod à Sacerdote Ethnico interrogatum. *Quis nam esset Deus ab hominibus colendus*, sic cogente Deo respondisse fertur. *Ne me vtinam supremum infælix ipse Sacerdos sciscteris de Sancto, ac supremo Genitore, ac sobole cara rebus magni induperantis, & flatu, Mundum, qui astrictum continet omnem.* quibus verbis clarissimè Patrem, Filium, ac Spirtum sanct. sub nomine flatus expressit, vt idem *Eugubinus cap. 19.* scribit.

Idem agnouisse, & prædixisse Sybillas, & præsertim Eritream pluribus testatur *Clemens Alex. lib. 6. Strom. Lact. Firm. lib. 1. Diuinarum institutionum c. 6. Et August. lib. 18. de Ciuit. c. 23.* & latius *Iulius Syrenus in opusc. de Prouidentia*, circa finem; & idem *Eugubinus li. 1 de Perhenni Philosophia cap. 25.* qui singularum Sybillarum testimonia ad verbum refert.

PRAELVD. XI.

De Exemplis, quibus Sanctiss. Trinitatis Mysterium declaratur.

PRimum Exemplum vulgatum est Animę rationalis, quę est vna in substantia, & trina in potentijs, realiter inter se distinctis: Ita Deus est vnus in essentia, & trinus in Personis. Quod Exemplum pluribus exponunt *D. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 5. & 6. & D. Thom. 1. par. quaest. 45. art. 6. & quaest. 93. art. 5.* Ceterum, quia nullum est in creatis exemplum, quod possit tale mysterium, vt in se est, repre sentare, vt fusè *Damasc. lib. 1. de Fide c. 9* scribit; Ideò exemplum istud, & alia afferenda in multis deficiunt: Nam potentiæ animæ sunt accidentia: Diuinæ

autem Personæ sunt substantiæ, deinde potentię animę habent entitatē realem ab anima distinctam. Diuinæ autem Personæ habent eandem naturæ diuinæ entitatem.

Secundū exemplum minùs vulgatū est Entis, vt ens est, quod tribus constat passionibus, Vnitate, quæ appropriatur Patri, Veritate, quæ Filio, & bonitate, quæ sanc. Spiritui conuenit. At hoc exemplum etiam peccat, quia istæ tres passiones sunt vna, & eadem entis realitas vario modo explicata, nec inter se realiter distinguuntur; sicut distinguuntur, inter se realiter tres diuinæ Personæ.

Tertium Exemplum Populare est triplicis Solis, quorum primus in Cælo apparet, Secundus in speculo illi oppositus, Tertius in aqua ex speculi reflexione: tunc, sicut vnicus est Sol, & tamen in tria realiter distincta supposita diuisus: Ita Deus est trinus in Personis, & vnus in essentia & natura. Sed hoc exemplum etiam corruit, quia hic triplicatur sol intentionaliter per species sensibiles, non autem substantialiter, vt in casu nostro, ibi multiplicantur entitates, hic vnica est entitas.

Quartum exēplum est eiusdem animæ, quæ si in tribus corporibus colloc aretur, tunc esset vna numero forma, & tria supposita corporea, ita in Diuinis est vna numero Deitas, & tria supposita distincta. Hoc exemplum præ ceteris accomodatum videtur; peccat tamen in hoc, quia tunc essent tria Corpora, non tria supposita, sed vnum solum cum suppositalitas à forma saltem principalius desumatur. In diuinis autem sunt tria supposita, eandem habētia naturam. Secundo in dicto casu esset quaternitas rerum, quæ in Diuinis locum non habet.

Quintum exemplum est cuiusdam herbæ, quam Trinitatem vocant, quæ teste *Lacuna in Discor. cap.* 117. sic dicitur, quoniam singuli ramusculi tria tātum folia ad Trinitatis mysterium exprimendum producunt: simile exemplum apparet in quadam arbore Santali nomine, quæ apud Brachmanos nascitur, ex quo ligno vno, & eodem hæc tria frigus, color, & odor distincta reperiuntur; hoc symbolo Barbaræ illæ gentes Trinitatem colentes vtuntur; solentque ad hoc mysteriū declarandum funiculum ex alijs tribus funiculis intextum in capite gestare, quorū singuli cōstant ex tribus lineis ad Personarum numerū declarandū; deinde vt vnitatē essētię significarent, extrema funiculi inter se nodo connectunt. Hic funiculus sic accommodatus à parentibus traditur filijs septimo suæ ætatis anno, quod propriæ religionis symbolum est, quo Brachmanes ab alijs Nationibus separantur. Eum rumpere nefas est, rumpunt tamen, cum Christianam Fidem veteri repudiata Religione suscipiunt. Apud Indos similiter sanctiss. Trinitat. ante nouam Euangelij lucem fuisse cognitam, & in summo honore habitam refert *Fedinand. Oycha 1. parte vitæ Christi* narrans, Idolatras illas Gentes adorasse

senem

ſenem quendam, & pulchrum adoleſcentem, ac in medio eorum ardenē ignem, quibus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, qui eſt amor notionalis, adumbrabant.

Sextum exemplum allatum ab *Andrea Cretenſi, oratione de Trinit.* eſt mulieris ſe in ſpeculo contemplantis, quæ viſam in ſpeculo imaginem in phantaſia, & intellectu format, ac illam cōtemplans, mirificè de illa delectatur, ac amore, vt de Narciſo Poetæ fabulantur, accenditur. Ita Ætern. Pater ſe ipſum in puriſs. ſpeculo ſuæ ſubſtātiæ contemplatus, perfectiſſimā ſui Imaginem nempè Filium, qui eſt *Imago Dei inuiſibilis, & figura ſubſtantiæ eius* efformauit, ac de illa valdè delectatus, eiuſdem perfectionis, ſimul cū Filio, Spiritum ſanctum produxit.

At non ſolum in allatis exemplis, ſed etiam in quacunque Creatura Trinitatis veſtigium apparet, vt *Aug. lib. 6. de Trinit. cap. vlt. & D. Thom. 1. par. quæſt.* 45. *art.* 7. monuerunt; Nam in qualibet Creatura ex D. Th. ſunt tria, Subſtantia, Species, & Ordo, ſecundum quem vnaquęq; Creatura ad aliud ordinatur; ſecundum igitur, quod quælibet creatura in ſe ſubſiſtit, repreſentat Patrem, quod eſt principium abſq; principio, ſecūdum quod habet formam, ſeu ſpeciem repreſentat Verbū, quia forma artificiati eſt ex conceptu artificis, ſecundū autē quod quęlibet creatura habet ordinem, repreſentat Spir. ſanc in quātū eſt amor, quia ordo effectus ad aliquid aliud eſt ex voluntate creantis: ſimiliter in quacunq. Creatura tria reperiuntur, Numerus, Pondus, & Menſura, iuxta illud Sap. 11. *Omnia feciſti in Pondere, Numero, & Menſura:* Menſura refertur ad ſubſtantiam rei ſuis principijs limitatam, & ſic repreſentat Patrem: Numerus ad ſpeciem, & ſic refert Filium, & Pondus ad ordinem refertur, & ſic Spiritum ſanctum repreſentat. Similiter in qualibet Creatura ſunt tria ex *Auguſt. lib. de Natura Boni cap.* 3. Modus; Species, & Ordo, quæ tria ad prædicta reducuntur, quatenus enim Creatura habet ſuum eſſe præfixum habet ſpeciē, quatenus habet eſſe finitum, habet modum quatenus habet habitudinē ad primā Cauſā, habet ordinem. Ita declarat *S. T. q.* 21. *de Verit. a.* 6. & 1. *par. quæſt.* 5. *art.* 5. Paulo aliter *Boetius lib. de Hebdomadibus* hæc declarat per ordinem ad triplicem cauſalitatē Dei erga Creaturas; Deus enim habet rationē cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis; quare Creatura, prout ad Deum, vt ad efficientem comparatur, habet eſſe, & modum præfixum, & ſic refert Patrem, quod eſt primum efficiens ad extra, & ad intra, prout comparatur ad Deum, vt ad cauſam exemplarem, habet ſpeciem, & ſic refert Filiū; prout cōparatur ad Deum, vt ad causā finalem, habet ordinem & ſic repreſentat Spiritum ſanctum, à quo cuncta ordinatè producuntur. Demum in qualibet Creatura relucet Diuina Potētia, Sapientia, Bonitas. Potentia refert Patrem, Sapientia Filium, Bonitas Spiri-



ritum sanctum, & sic patet in qualibet Creatura Trinitatis vestigiũ relucere.

Ceterum inter tot allatas similitudines prætereunda alia non est paucis cognita, ex mathematico corpore desumpta, quæ naturę Diuinæ simplicitatem, ac sanctiss. Trinitatis arcanũ delineatum continet. Ad cuius intelligentiam sciẽdum est Mathematicos quatuor Mathematici principia cõstituere corporis. Primum est indiuisibile punctum sed hoc nundum exprimit veram quãtitatis quidditatem Secundum est linea ex duobus punctis constans, at neq; hæc Mathematicũ corpus hucusque exprimit: Tertium est Triangulus ex tribus punctis, & tribus lineis conflatus, & hoc neque sufficiens est ad corpus Mathematicũ adæquatè repręsentandum, sed solum primam eius superficiem refert. Quartum est Piramis triangularis vndique æquilatera, quę ex quatuor punctis, & lineis sex constabit.

His positis videamus, qua ratione Mathematicum corpus primo naturã Diuinam de Trinitate repręsentet? Sicut igitur in quãtitate formanda requiruntur tot puncta, & lineæ, quæ tamen iuxta veriorem sententiam nullam faciunt in rè compositionem; sed nos Mathematico more in tot principia eam dissoluentes conceptibus inadęquatis in tot partes eam partimur: Ita licèt Diuinam naturam conceptibus inadæquatis in tot attributa diuidamus, nulla tamen ibi est compositio realis, sed perfectissima simplicitas reperitur; & sicut si à quantitate auferas punctum, vel quodcunque ex ijs principijs enumeratis, statim tota corruit quantitas, ita quacunq; minima perfectione à Deo ablata statim Deitas ipsa destruetur, ad cuius essentiam constituendam quęlibet perfectio necessariò requiritur, & sicut in quacunque minima quantitatis parte illa omnia quatuor principia continentur; Ita in quocunque Dei attributo cetera omnia continentur, quia quidquid est in Deo, Deus est. Vnde dici potest saltem in sensu identico, licèt non in sensu formali, Deus ęternitate est immensus, immensitate ęternus, &c.

Nec minùs Mathematicum corpus Trinitatẽ repręsentat; sicut enim primo loco ad eius cõstitutionem indiuisibile punctum præ requiritur, sic ante omnia intelligitur in Trinitate Diuina natura indiuisibilis, & simplicissima. Et sicut secundo loco addimus duo alia puncta ad extremitates vnius, & simplicissimæ lineæ: sic duas in natura Diuina concipimus emanationes, vnam per intellectum, & alteram per voluntatem: Et sicut post hęc duo puncta, quæ formant lineam, alia tria puncta constituentia triangulum super addimus: Ita post duas emanationes tres constituimus in Diuinis Personas: & sicut quarto loco addimus quatuor alia puncta, quibus tamen triangularis figura non perturbatur; sed potius ad corporis soliditatem reducitur, cum secunda illa figura corporis superficiem solum designaret;

Ita

Ita ad hoc arcanum cognoscendum quatuor dantur actus notionales, nempè generatio actiua, generatio passiua, spiratio actiua, & spiratio passiua. sed de his satis.

PRAELVD. XII.

De Miraculis, & supplicijs Hæreticorum, qui Trinitatem ausi sunt oppugnare.

CVm Iacob sub scala dormiens tres lapides capiti supposuisset, postea à somno excitatus; vnum esse lapidem comperit, vt ex ipsis sacri Textus verbis satis colligitur, in quibus habetur *Nocte supposuisse lapides, & mane inuenisse lapidem*, quibus symbolis Iacob occultum Trinitatis, & vnitatis arcanum ex diuina reuelatione accepit, vt ibidem *Nicolaus de Lyra, et Galatinus lib. de Antiquitatib. Hebreorum* adnotarunt. Cum item Dauid aduersus Goliat præliaturus, tres limpidissimos lapides delegisset, parta victoria vnum ex tribus factum reperit, vt ex antiquissimis Rabinis refert idem *Lyr. Reg. 1. 17.* vt ex hoc intelligeret, se inuocatione Trinitatis adeptam victoriam, sicut ipse sibi promiserat dicens, *Tu venis ad me, cum gladio, &c. Ego autem venio adte in nomine Domini*. Addunt alij, vt Ioseph Barsephas in suo lib. de Paradiso in medio lapidis, quo Gigantem prostrauit fuisse à Dauide scriptum nomen *Iesus*; Ex quo fit Trinitatis, & Incarnationis mysterium agnouisse, & vtriusque virtute hostem interemisse.

His similimum prodigium refert *Vincentius in Speculo lib. 24. c. 39.* nempè Ariana Hæresi grasante, cum Episcopus Vasconensis sacra faceret, tres aquæ guttæ cristallo dilucidiores, e Cœlo super altare deciderunt, quæ in vnũ coeuntes margaritam ex ipsis triangularem efformarunt, quæ Cruci affixa, smaragdos, & alia quæcunq; ornamẽta a se repellens, diuinæ naturæ vnitatem, ac personarum Trinitatem expressit. Idem in Concilio Niceno, in quo Ariana heresis profligata fuit, fere contigit; cum enim ibi Arius adesset, Nicolaus quidam Catholicus sic eum est aggressus. Quare tibi videtur in Creatore difficile, quod in creatura reperitur. Ecce laterem vnum, inuenies in illo tria distincta, Ignem, Aquam, Terram. quibus prolatis verbis statim a latere ignem sursum ascendere, aquã deorsum tendere, terram inter digitos illius, quasi in puluerem redigi omnes obstupescentes conspexere. Refert etiam Victor Vticensis, cum quorundam Catholicorum linguas Ariani Regis iussu auulsa fuisset, eos tamen quousque vixerunt, optimè sine lingua locutos fuisse. Vnde *S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 32.* scribit, se cum quodam Episcopo Sene, qui vnum ex illis viderat sine lingua loquentem sermonem habuisse.

Accedant denique supplicia Trinitatem oppugnantibus illata. Nam primo *Arius* cum Catholicis disputaturus ventrem exonerans, intestina ef-

fu-

cta sunt, esse filium Dei natura: ergo immediatum principium diuinarũ Processionum est natura Dei, non actus intellectus, & voluntatis.

Secundo *Arist. lib. 9. Met. t. 16.* differentiam ponit inter actiones transeuntes, & immanentes, quod ex transeuntibus aliquid sequitur: Immanentes autẽ esse steriles, nihilq; ex eis sequi: ergo actus intellectus, & voluntatis in Deo non habent fœcunditatem, & sic per eos non fiet processio.

Tertio fœcunditas proportionaliter Deo competit, & creaturis; sed creaturę non sunt fœcundę, vt intelligentes, nam etiam creaturæ mente carentes sunt fœcundæ, & producunt sibi simile: & homo est fœcũdus per quid prius, quam per intellectum; Et Angeli quãuis sint intelligentes nullam habent fœcunditatem, per quam sibi simile gignant. Ergo tota fœcũditas per se oritur ex natura diuina, & per accidens ex actib. intellectus, & volũtatis.

Quarto qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo rationis inter differentia secundum rationem; sed vbi natura, intellectus, & voluntas realiter distinguntur, productio attenditur iuxta naturam, non iuxta intellectũ, vel voluntatẽ, vt patet in homine: ergo similiter in Deo, in quo natura, intellectus, & voluntas sola ratione distinguntur, fœcũditas naturã sequetur.

Quinto si processiones fierent per actus intellectus, & voluntatis, esset in Deo potentia receptiua, & passiua: hoc repugnat; ergo sequela patet. Actus immanentes recipiũtur, & manent in eo, a quo procedunt, sed processio in diuinis fit per actus immanentes, idest per intelligere, & velle: ergo &c.

Sexto si processiones in diuinis fierent per actus intellectus, & voluntatis, ergo cuicunque conueniret intelligere, & velle, conueniret etiam generare, & spirare, sed filio, & spiritui sancto conuenit intelligere, & velle, ergo etiam isti generarent, & spirarent.

Vnica Propositio.

Respondeo Processiones in diuinis, immediatè proximè, & per se fieri per actus intellectus, & voluntatis. Dixi immediatè, & proximè, quia radicaliter, & remotè Durando concedimus, processiones oriri ex naturę diuinę fœcunditate; sicut enim in creatis præter naturam, quæ est principium remotum, dantur potentiæ, quæ sunt principia proxima agendi: Ita proportionaliter in diuinis est philosophandũ. Atque sic explicata conclusio ab omnibus Theologis amplexatur, vno Durando excepto, cuius sententia tamquam loqutionibus scripturæ, & PP. parum consona, vt temeraria, erronea, & hæresim sapiens communiter à Recentioribus notatur.

Probatur autem Conclusio primo à Priori. Processio in Diuinis debet esse vitalis & per operationem immanẽtem; sed hęc est tantum per actus Intellectus, & voluntatis: ergo, &c. Maior probatur, quia processio in diuinis debet esse perfectissima, & proportionata suæ naturæ; sed processio vitalis est

est perfectior non vitali, & actus immanens est perfectior transeunte, cum hic etiam in imperfectioribus Creaturis reperiatur. Est item accommodata naturæ diuinæ, quæ cum sit purè intellectualis, etiam actiones immanentes habere debet. Minor probatur; Nam in natura intellectuali, qualis est diuina, non alia est processio vitalis, & immanens, quam per actus Intellectus, & Voluntatis.

Secundo probatur ex nominibus, quæ Filio, & Spiritui sancto Scriptura attribuit; Nam Filius dicitur Verbum, & Sapientia, *Ecclesiast. 24. Sap. 4. &c.* dicitur etiam sermo Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus Domine à Regalibus sedibus venit*. Et vbi nos legimus in principio erat Verbum, legunt alij in principio erat sermo, sic Amb. Aug. Tertul. Lactant. Cypr. & alij, quos ibidē Cardinalis Toletus adducit. At Verbum, Sapientia, & sermo sunt effectus Intellectus, non autem solius naturæ, ergo, &c.

Respondet Durandus, Filium dici Verbum in scriptura, non propriè, sed secundum quandam adaptationē, quatenus sicut in humanis processio per Intellectum prior est processione per voluntatem; Ita similitudine quadam, quia processio filij in Diuinis est prior processione Spir. sancti; Ideò processio Filij dicitur esse per intellectum, & Spir. sancti per voluntatem.

Sed contra est primò, quia verba Scripturæ semper propriè accipienda, sunt, & non metaphoricè, quoties ea non repugnant alijs Fidei mysterijs, vel moribus, vt monet *August. lib. 3. de Doctrina Christiana c. 10.* At si dicamus Filium procedere per intellectū, & Spir. sanctum per voluntatem, hæc propositio neque repugnat alijs Fidei Mysterijs, nec moribus: ergo, &c.

Secundo *Athan. oratione 2. contra Arian.* Et *Cyril. in c. 1. Ioan.* docent Arianam Hæresim sapere, dicere Filium non esse propriè Verbum, quare sententia Durandi accedit ad hæresim *Alogianorum*, qui ex *Epiphanio Hæresi 51* nec Apocalypsim, nec initium Euangelij Ioannis recipiebant, quia vtrobique habetur Christum propriè esse Verbum.

Tertio Probatur ex incommodis, quæ ex Durandi sententia inferuntur, Nam si Filius, & Spir. sanc. a sola natura diuina procedunt, nulla est ratio, cur Filius dicatur Verbū, & Spir. sanc. amor, vt eum vocat *August. lib. 9. de Trinit. cap. 12. & 15.* Nam Verbum est terminus intellectionis, & amor volitionis. Secundo non esset ratio, cur Verbum a solo Patre procedat, & Spir. sanct. à Patre, & Filio: Item cur Spiritus sanctus sit posterior origine Filio, quod optimè in nostra sententia saluatur, cum operatio voluntatis supponat operationem Intellectus. Tertio non saluat Durandus, cur processio Spir. sanct. non sit generatio, sicur processio Filij: Item non saluat, cur duæ tantùm sint in diuinis emanationēs, & nō potius vnica, cum natura diuina sit vnica, & simplicissima;

Nos

Nos autem rectam huius rationem assignamus cum *D.Th. hic a.* 5. quia videlicet, in natura intellectuali, qualis est diuina, duæ sunt tantum operationes, vna per intellectum, & alia per voluntatem.

Satisfit Durandi Argumentis.

Ad primũ Respondetur, illos Patres nõ aliud velle, quàm Verbum produci natura, idest necessariò, & nõ liberè, sicut Deus liberè creaturas produxit; Nõ autem velle naturam diuinam esse principium immediatum, & proximum diuinarum processionum.

Ad secundũ. Qui volunt per actiones immanentes, necessariò produci qualitatem quandam intentionalem, respondent, *Aristot.* solum velle, actiones immanentes non producere aliquid exterius, & permanens post actionem, sicut fit in actionibus transeuntibus; Ver. gr. in domus ædificatione, quæ remanet post ipsam ædificationem, & in hoc sensu dixit *Aristo. Actiones immanentes esse steriles.* Verũ opposita sententia affirmans per actionem sensus exterioris nullam produci qualitatem intentionalem, quæ sit terminus illius, & immediatum illius obiectum longè probabilior est. Eam docet *S. Th. 1. contra Gentes, c. 100.* vbi dicit *per visionem non produci aliquid* & *quodlib. 5. ar. 9. ad 2.* inquit, *quod sensus exterior sentit per formam sibi ab obiecto impressam; ipse autem nullam formam producit*. Et idem tenet *Capreolus in 1. d. 27. quæst. 2. arti. 3.* & colligitur ex *Aristotele* loco citato, vbi ait *quod potentiæ visiuæ vltimis finis est visio, & quod præter visionem nullum est opus*, & ita iuxta hanc sententiam *S. T. ibidem lect. 8.* Philosophum interpretatur. Hinc etiam constat, cur actiones immanentes gramaticales à Philosophis appellentur, quia scilicet nihil producunt, quod sit ab ipsa actione immanente distinctum.

Dices omnis actio habet suum terminum.

Respondeo duplex est actio alia productiua, alia vnitiua obiecti cum sua potentia. Prima habet necessariò terminum. Secunda non habet necessariò terminum intrinsecum, sed sufficit, si habeat pro termino ipsum obiectum, circa quod tendit, vt patet in visione clara Dei, cuius terminus non est Verbum productum iuxta *D. Th.* sent. sed terminus illius est Deus clarè visus.

Instabis, si potest esse actio sine termino, sequitur hæc cõtradictio, quod esset actio, & tamen nihil ageretur.

Respondeo distinguo consequens, si intelligatur, quod nihil ageretur, idest nihil de nouo produceretur, concedo consequens; Nam in actione visiua præter visionem nihil de nouo producitur: si verò intelligatur, quod nihil ageretur, idest, quod illa actio ad nihil terminaretur, nego consequens, quia illa actio terminatur ad ipsum obiectum.

Aliter igitur dicendum est, Aristot. loqui, vel quantum ad necessitatem, vel quantum ad ordinem, vt exponit

& notionale. Cuicunque conuenit intelligere notionale, conuenit generare, concedo consequentiã: Cuicunque conuenit intelligere essentiale, cõuenit generare, nego consequentiã: In casu autem nostro intelligere essentiale conuenit omnibus diuinis Personis; non autem intelligere notionale, quod solum Patri conuenit, sicut velle notionale soli Patri, & Filio propriũ est. Est autem circa hoc grauis difficultas, an intelligere, & velle notionale, & essentiale sint duo actus ratione distincti, vel solum distinguantur vt includens ab incluso, quatenus intelligere notionale idem sit, quod intelligere essentiale, sed solum super addat relationem Paternitatis, qua de re disputatione quarta agemus.

DISPVT. II.

An Diuinæ Processiones sint veræ actiones.

RESpondeo esse veras actiones, quidquid *Mol. hic disput. 1.* dicat diuinas processiones esse quidem emanationes, sed nõ actionis, sed contra est, tũ quia *S. Tho hoc a.* vt patet legenti oppositũ dicit, & clarius *ar. 5.* ait, *Processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quę in agente manent, id verò in natura intellectuali esse tantùm duas.* Tùm quia actio de se abstrahit ab his imperfectionibus dependentiæ, fluxus, & potentiæ passiuæ, quæ in creaturis reperiuntur: ergo potest diuinis processionibus attribui. Tùm quia istæ processiones fiunt per actus intellectus, & voluntatis; sed isti fiunt per actiones immanentes. Tùm quia actio nihil aliud est, quàm cõmunicatio agentis; sed Pater se communicat Filio, & Spir. sancto. Tùm quia emanatio in creatis est etiam vera actio iuxtà veram Philosophiam. Sed Mol. concedit, diuinas processiones esse emanationes: ergo pariter cogitur cõcedere esse actiones. Tùm deni que, quia processiones in diuinis sunt secundum perfectissimũ modum communicationis: sed perfectissimus modus se cõmunicandi est per actiones immanentes. Nam actiones transeũtes imperfectissimis etiam creaturis conueniunt.

DISPVT. III.

An dicere in Diuinis sit idem quod intelligere, & spirare idem quod amare: & quomodo isti actus inter se distinguantur.

AD tituli intelligentiam sciendum est ex *Augũst. lib. 15. de Trinit. cap. 10.* quod sicut in nobis duplex est os, cordis, & corporis, ita est duplex dicere vnũ vocale, & aliud mẽtale: dicere autẽ nihil aliud est, quam proferre verbum, siuè mentale, siuè vocale. Quare dicere in diuinis nihil aliud est, quàm producere, seù generare Verbum, vt colligitur ex illo Ps. 2. *Dominus dixit ad me filium*

lius meus es tu, &c. & Psal. 84. *Eructauit cor meum verbum bonum*. Ita loquitur Æternus Pater propter infinitam sui intellectus fœcunditatem, deinde subdit, *Dico ego opera mea Regi*; quod idem est ac dicere Genero filium, per quem omnia opera mea facta sunt.

Secundo sciendum est, optima ratione mentis notitiam dici conceptũ prolem, & partum intellectus, Nam obiectum, quod transmittit speciem comparatur viro transmittenti semen, & ideò species vocatur semen obiecti, & Anima recipiens speciẽ obiecti cõparatur fœminæ. Vnde obiectum est veluti Pater, Anima veluti Mater, quę ex speciei receptione fœcundatur, & id, quod ex ambobus oritur, scilicet notitia, dicitur proles, & conceptus mentis. Ita latè idem *S. August. lib. 9. de Trinit. cap. 1. 2.*

Tertio sciendum est totam huius difficultatis resolutionem pendere ab illa philosophica quæstione, Per quod intellectus constituatur actu intelligens, an ipsa Verbi productione, an Verbo, & productione simul, an aliquo alio actu intellectus præcedente, vel subsequente ipsam verbi productionem, de quibus aliqua à nobis hic dicenda sunt, vt ex his vestigijs, saltem à longè olfaciamus modum, quo Pater intelligendo Filium suum gignit.

Opinio Scoti refertur.

Scotus igitur *1. d. 2. quæst. vlt. & d. 27. quæst. 1.* duas ponit in intellectu actiones inter se distinctas, quę licet ordinem, & connexionem inter se habeant, non tamen vna ab alia originem trahit. Prima est ipsum intelligere, & hæc actio non habet terminum, sed est sterilis, quia est actio immanens. Secunda est dicere, & hæc est fœcunda, & producit Verbum. Et sic secundum Scotum dicere non includit intelligere, concedit tamen dicere esse actum intellectus, licet non sit ipsa intellectio. Idem *quodlib. 14.* philosophatur de actu diuinæ voluntatis, itaut alius sit actus dilectionis in Patre, & Filio, & alius sit actus spirandi Spir. sanc. Ducitur autem Scotus ex iisdem Durandi fundamentis; Tùm quia intellectio est actio immanens; quæ ex *Aristot. 9. Met. t. 16.* est sterilis; Sed dictio est fœcunda, & productiua termini: ergo dictio, & intellectio non sunt idem actus. Tùm quia intelligere omnibus personis est cõmune: at dicere est proprium Patris, ergo non sunt ijdem actus; Verum hęc iam ex dictis soluta manent.

Opinio D. Thomæ præfertur.

Respõdeo igitur dictionẽ, seu Processionem formaliter includere actum intelligendi notionalem non solum in obliquo, sed etiam in recto, Ita *D. Thom. hic ar. 1. & 3. Et de Verit. quæst. 4 art. 2. Caiet. in hoc art. Capreol. in 1. dist. 27. conc. 2.*

Probatur Primo ex Patribus. Nam *Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7.* sic habet; *Verbum apud Deum sic est, sicut est in*

est in mente Verbum, sicut in corde consilium; cum enim mens apud se Verbum habet, vtique *cogitando habet; quia nil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare*, & Ansel. in Monolog. cap. 34. ità loquitur. *Quoniam autem idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, siuè dicere, necesse est, quod eodem modo sciat omnia, quæ sunt, qui ea dicit, aut intelligit.* Vbi vides hos Patres pro eodem habere dicere, & intelligere Patris.

Probatur secundo omnis actus intellectus est essentialiter intellectio; sed dicere per Scotū est actus intellectus: ergo dicere includit intellectionem. Maior probatur. Intellectus est essentialiter potentia intellectiua: ergo omnis actus eius elicitus erit intellectio; sicut omnis actus potentiæ visiuæ, & auditiuç est visio, & auditio: Ita omnis actus Intellectus est intellectio.

Tertio arguit *hic Caiet.* si dicere, & intelligere essent diuersi actus, nec haberent inter se rationē originis, vt docet *Scotus*: ergo posset intellectus dicere verbum, absque eo, quod intelligeret; At quomodo tunc diceret, seù loqueretur, si nihil intelligeret? Sequela patet; Nam si duo illi actus non habent inter se intrinsecam cōnexionem, nec vnus est causa alterius: ergo posset esse vnus sine alio, atque ita potuisset aliquis dicere, seù loqui mentaliter, absque cognitione, & Pater nō intelligendo potuisset exprimere Verbum, quod esse omninò impossibile quis non videt?

Quarto sermo, & sapientia genita sunt actus intellectus actu intelligentis; sed Filius dicitur proprijssimè sermo Patris, & sapientia Genita, vt præcedenti Disputatione demonstraui, ergo Filius formaliter producitur per actum intelligendi Paternum. Idem argumentum fit de Spir. sanc. qui cū sit proprijssimè amor, necessariò erit terminus diuinæ dilectionis, vt talis. est, ergo spiratio Spiritus sanctus sancti non est actus contra distinctus à dilectione, qua Pater, & Spiritus sanctus mutuò se diligunt.

Hinc omnia fere incōmoda, quæ contra *Durand.* inferrebamus, etiā cōtra *Scotum* dirigere possumus; Nam si dicere non includit intelligere, nec spirare actū dilectionis, sequitur primo non posse assignari rationem, cur secunda Persona sit filius, & non tertia. Item cur filius sit Patris imago, & non spiritus sanctus, nos autem ex ratione intellectionis, quæ obiecto assimilatur, & est eius imago, optimam horum omnium rationem art. 5. assignabimus. Item cur duæ sint tantū in diuinus emanationes, & non plures, nec pauciores, nos autem optimam rationem assignamus, quia in natura intellectuali qualis est diuina, duæ solum operationes immanentes reperiuntur, scilicet intelligere, & velle: quinimò alia etiam incommoda ex ista sententia deducuntur, vt quod Pater non posset in verbo suo seipsū, & omnia intelligere, vt Patres docent, neque posset Pater, & Filius in Spir. sanc. se ipsos, & omnia amare; neq; vlla

vlla esset ratio, cur verbum potius Patri, quam Spir. sancto creaturas repræsentaret.

Opinio Ludouici Molinæ refellitur.

Dixi autem supra Dictionem includere in recto intellectionem, vt recederem à Mol. hic art. 3. disp. 4. vbi docet, dicere includere intelligere essentiale solum in obliquo, & similiter spirare sit diligere solum in obliquo; itaut dicere non sit intelligere, sed intelligendo proferre Verbum, & spirare spiritum sanctum non sit diligere, sed diligendo producere.

Sed contra hunc dicendi modum immissa contra Scotū tela retorqueo. Tùm quia *D. Fulgentius, & Anselmus* si rectè eorum verba expendantur, æquè *Molinam, ac Scotum* torquent. Tū quia omnis actus intellectus est in recto intellectio. Tùm quia sermo, & sapientia est in recto terminus intellectionis; sed filius in recto est sermo Patris, & sapientia genita; & spir. sanc. est in recto notionalis Amor Patris, & Filij, ergo, &c.

Dicere, & intelligere notionale quomodo differant.

Respondeo secundo, Dicere, & Intelligere notionale sola ratione ratiocinata inter se differre, quatenus dicere importat relationem realem ad dicentem, intelligere verò importat solum respectum ad obiectum cognitū. Dicere enim est producere verbum, & ideò dicit relationem realem ad Patrem producentem. Intelligere autē dicit puram obiecti apprehensionem. Si tamen intelligere concipiatur, vt actio realiter egrediens ab intellectu, non distinguitur ab ipsa verbi productione, quæ dictio appellatur.

Intellectus an constituatur formaliter intelligens per verbum mentale, vt per formam.

Hinc duæ de natura intellectionis sententiæ refelluntur. Prior est eorum, qui dicunt intellectum constitui formaliter intelligentem per Verbum, quod vt qualitas intentionalis informat intellectum, & illum reddit formaliter intelligentem.

Sed contra est, tùm quia visio clara Dei, quam habent Beati, est intellectio, & tamen nullum est ibi creatum verbum vt suppono. Tùm quia Pater in primo signo rationis intelligit, antequam Verbum sit productum. Nam intelligere Patris est principium quo productionis Verbi: ergo in eo signo est intellectio sine Verbo: ergo intellectio vniuersaliter accepta non fit per Verbum. Tùm quia si intellectio fieret per Verbum, Pater indigeret Verbo ad intelligendum, quod esse falsum probat *Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 1. & lib. 7. c. 1. & lib. 15. c. 7.* vbi definit Patrem non esse sapientem sapientia genita. Tùm denique, quia filius, & spiritus sanctus intelligunt, neque tamen intelligunt per aliquod verbum commune, & essentiale secundum omnes: ergo, &c.

Ex

Ex quibus patet Verbum in Diuinis non esse formam, per quam intellectus formaliter fiat intelligens; Nam sicut sine forma non potest esse effectus formalis; Ita sine Verbo, quod est forma intelligendi, nulla dari posset intellectio; Et hoc idem proportionaliter in creatis intellectionibus dicendum videtur, cum istæ Diuinæ intellectionis sint participationes.

Intellectus Num fiat intelligens formaliter per Verbi productionem.

Altera sententia est eorum, qui dicunt, duas esse in intellectu nostro actiones. Prior est ipsa intellectio. Secunda est productio verbi; in quod Intellectus primo fertur; & per illud obiectum intuetur.

Sed contra tùm quia multiplicantur entia sine necessitate; tùm quia omnis actus intellectus est essentialiter intellectio: Tùm quia si per Verbi productionem intellectus obiectum in Verbo intuetur, ergo est formaliter intellectio, ergo productio Verbi, & intellectio non sunt duæ actiones: Tùm denique quia si productio Verbi, & intellectio essent duæ actiones inter se distinctæ, simili modo in Diuinis dicendum esset, alium esse actum dicendi, & alium esse actum intelligendi, vt dicebat Scotus, atque ita Verbum non ipsa intellectione produci, contra ea, quæ supra dicta sunt.

Intellectus qualiter fiat intelligens opinio Auctoris.

Verior igitur sententia est, intellectionem non fieri per Verbum necessariò, nec esse duas actiones, sed vnicam, & indiuisibilem actionem ab intellectu egredientem, quæ si habeat obiectum præsens, & vnitum in ratione speciei expressę, nullum producit terminum intrinsecum, & Verbum, sed ipsum obiectum sic vnitum est illi terminus, in quem immediatè fertur, & ideò obiectum tunc supplet locum Verbi, vt contingit in visione beata; & in ea quam habet Angelus de sua substantia, vt *Caiet. hic circa solutionem tertiæ dubitat. docuit:* Si verò obiectum vel sit absens; vel intellectui improportionatum, tunc eadem actio intelligendi ad Verbum terminatur; in quo talia obiecta, vt in imagine intuetur.

Ex his deducitur primo actum intelligendi, & verbum mentale saltem ex natura rei distingui probatur. Actus intelligendi potest esse sine verbo, vt dictum est; ergo ab illo distinguitur saltem ex natura rei: Secundo actus intelligendi interdum est id, quo producitur verbum, & comparatur ad ipsum, vt via ad terminum, vt causalitas ad causatum, sed via saltem ex natura rei distinguitur a termino, & actio ab effectu: ergo, &c. Hanc sententiam puto esse de mente

S. Thoma, *qui quæst. 34. art. 1. ad 2.* ait, *Cum dicitur quod Verbum est notitia non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu: sed pro eo, quod intellectus intelligit cognoscendo*. Et de Potentia quæst. 8, *De Diuinis relationib. ar. 1 in c.* ait *intelligens intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem cum intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua intellectus fit in actu, ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus; quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt. A re quidem intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu, & iterum conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat. Differt autem à specie intelligibili; Nam species intelligibilis, qua intellectus fit in actu, consideratur, vt principium actionis intellectus, cum omne agens agat secundum quod est in actu. Actu autem fit per aliquam formam, quam oportet esse actionis principium. Differt ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsum constitutum: intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmatiuam, vel negatiuam. Hæc autem conceptio intellectus in nobis propriè Verbum dicitur.* Hactenus D. Thomas, quibus verbis manifestè distinxit inter intelligere, intellectus, & & conceptionem, siuè verbum eiusdem. Et quæst. 4. de Verit. art. 1. *in C. & ad 1.* ait *verbum interius est id quod intellectum est, non ipsum intelligere*. Hinc cognoscant Recentiores, Verbum non esse id, quo Intellectus formaliter redditur intelligens; sed potius esse effectum intellectionis; atque ita posse dari intellectionem sine termino, & Verbo, vt in visione beata contingit.

Secundo deducitur, Actum intelligendi ex sua essentiali ratione non esse expressam obiecti similitudinem; sed solum Verbum esse talem similitudinem, vt rectè notauit *Capreolus in 4. d. 49 quæst. 5. a. 3 ad 3* & probatur; tùm quia similitudo pertinet ad prædicamentum ad aliquid; Nam omne simile est alieri simile; sed intellectio pertinet ad Prædicamentum actionis; ergo, &c. Tùm quia sicut generatio Petri non est imago Genitoris; sed Petrus genitus est Patris imago: Ita intellectio non est expressa, & formalis obiecti similitudo; sed solum Verbum. Quare cum dicunt Philosophi; omnis cognitio fit per assimilationem; hoc intelligi debet de omni cognitione Viæ non Patriæ. Deindè si nomen cognitionis sumatur pro notitia, & verbo admitto Axioma; si sumatur præcisè pro actu intellectionis, nego illud; Beati enim sine verbo intellectione creata Deum intelligunt; & tamen nulla potest dari similitudo creata Diuinæ essendiæ, vt 1. *par. quæst. 12. artic. 2. S. T.*

2. *S. Th.* demonstrat: ergo intellectio, vt sic, non est assimilatio obiecti; hæc enim sunt munera verbi; sed intellectio, vt actio est, solum dicit vitalem tendentiam in obiectum cognoscibile, secundum quam potentia vitaliter vnitur suo obiecto cognoscibili; & in hoc consistit formaliter intellectio, nempè in vitali, & actuali vnione intellectus cum suo obiecto. Cum autem intellectio ad aliquot verbum creatum terminatur, tunc talis intellectio dici potest obiecti assimilatio effectiua, non formalis, qualis est solum Verbum.

DISPVT. IV.

An intelligere, & velle essentiale, & notionale sint duo actus intelligendi, & volendi: vel vnus solus, & quomodo inter se distinguantur.

QVod intelligere essentiale, & notionale sint duo actus saltem ratione inter se distincti, ratione sæpè tacta suadetur, quia intelligere essentiale est cõmune tribus Personis; Intelligere autem notionale soli Patri proprium est. Et idem dic de Velle essentiali, & notionali.

Prima Propositio.

Respondeo nihilominus primo, intelligere essentiale, & notionale non posse esse duos actus intelligendi etiã sola ratione condistinctos. Et idem dico de velle essẽtiali, & notionali. Ita Bartholomeus Torres *1. par. quæst. 27 art. 5. in 2. parte Disputationis*. Probatur contra nõnullos Thomistas sic. In Deo non est duplex intellectus, & voluntas, essentialis & notionalis; sicut neque est duplex essentia, essentialis, & notionalis; ergo nec duplex intelligere: Consequentia probatur, quia secus possemus omnia diuina attributa multiplicare, affirmando ex his alia esse essentialia, alia notionalia. Tùm quia Æternus Pater non alio intellectu intelligit, quam essentiali, quem habet ab ipsa natura diuina; ergo neque aliam intellectionem habet, quã essentialem; præsertim cum in ipso nõ tàm sit intellectus, quàm ipsum intelligere in actu. Præterea, omne quod est in Deo, vel est absolutum; vel relatiuum; sed relatio vt sic non est actus intelligendi, vt clarum est; ergo præter intelligere essentiale non datur in diuinis alius actus intelligendi notionalis ab essentiali etiam solo intellectu distinctus.

Secunda Propositio.

Respondeo secundo. Intelligere notionale esse eumdem met actum intelligendi essentialẽ; sed cum hoc addito, scilicet prout est à se. Explicatur Conclusio. Intelligere essentiale, quod Filio, ac Spiritui sancto communicatur, non est à se, sed à Patre originem trahit: Intelligere autem notionale in Patre est à se; & ideò hoc non

illud generat, quamobrem, vt aliqua Persona diuina generet, non satis est, si intelligat, sed debet habere actum intelligendi à se, quia in eo signo tunc intelligimus, talem actum esse fœcundum, & nondum in actum generationis prodijsse; cum autem Filius, & Spiritus sanctus intelligunt intellectione sibi à Patre communicata, iam talis intellectio suum terminum adæquatum, & infinitum acquisiuit; & ideò cum infinitum in singulis generibus non sit nisi vnum, præter Filiū, & Spiritum sanctum, alium amorem, vel verbum multiplicari prorsus repugnat.

Tertia Propositio.

Respondeo tertio. Velle essentiale, & notionale distingui sola relatione. Explicatur Conclusio. Non possumus dicere, velle notionale distingui ab essentiali per hoc, quod illud sit à se, non istud, sicut dicebamus de intelligere essentiali, & notionali; Nam velle notionale in Filio non est à se, sed à Patre. & ideò clarius dicemus sola relatione distingui. Concipere enim debemus velle diuinū, vt est quid absolutum, non posse esse perfectū principium spirationis, sed quatenus coniunctam habet Paternitatem, & Filiationem, tunc constitui perfectum principium spirandi Spiritum sanctum, itaut relationes Patris, & Filij sint cōditio, sine qua non Pater, & Filius Spiritum sanctum non spirarent: & similiter relatio paternitatis, sit conditio, sine qua Pater filiū nō generaret. Quod autē filiatio, & paternitas sint cōditiones, sine quib. Pater, & filius nō spirarēt, indè probatur, quia amor est in patre, & filio, aut vt à Persona cognoscente per Verbū, aut vt in cognoscēte in se ipso, cum nihil volitū, quod non fuerit præcognitum. Sed Spir. sanctus est Amor: ergo ad sui productionem necessariò requirit personam Patris, & Verbi: ergo relatio paternitatis & filiationis erunt conditiones, sine quibus Spiritus sanctus non procederet.

DISPVT. V.

An actus intelligendi, & amandi sint principia quo Diuinarum Processionum, an potius ipsæ processiones.

Sicut in creata intellectione quinque distinguimus. Primo principium radicale quod, & hoc est Persona intelligens. Secundo principium radicale quo remotum; & hoc est anima intellectiua. Tertio principium proximum quo, & hoc est intellectus. Quarto actio, quæ mediat inter causam, & effectum, & hæc est intellectio. Quinto terminus intellectionis, qui est verbum productum: ita hæc quinque in generatione filij, & spiratione spir. sancti distinguenda sunt. Principium igitur filij radicale quod est persona Patris intelligentis: Principium radicale quo remotum est diuina essentia. Principium proximū

quo

quo est Intellectus diuinus. Verbum terminus productus. Nunc restat inquirere, An intellectus nudè consideratus sit principium quo, an verò vt est actu intelligens. & per cõsequens, An actualis intellectio Patris sit principium quo generandi Filium: vel potiùs sit ipsa actio, & productio, qua mediante ipse Filius gignatur.

Vnica Propositio.

Respondeo dicendum, quod circa hoc aliqui dixerunt, actus intelligendi & amãdi esse ipsas productiones filij, & spir. sancti, neque tales actus posse esse principium quo, sed tale principium esse intellectum, & voluntatẽ Patris, & filij Ita *Barth. Torres hic a 1. p. 2. Disput. Bannes, & Zumel ibidem.*

Alij verò, vt *Suarez lib. 1. de Trinit. c. 8. & Henriq. Quodlib. 6. quæst. 1.* docent, actum intelligendi, & amandi esse principium quo diuinarum processionum, non autem ipsas esse prosiones.

Nos autem Itali dicemus esse verũque secundum varios respectus. Ad cuius euidentiam considerandum est, intelligere actuale Patris dupliciter posse à nobis concipi. Primo, quatenus est actus secundus intellectus Patris, seù quatenus cõstituit ipsum actu intelligentem. Secundo quatenus dicit tendentiam ad terminum ex infinita sua fœcunditate. Primo modo dicimus, intelligere actuale Patris esse principium quo generandi filium; at secundo modo dicimus esse ipsam filij productionem. Vel aliter, & clariùs. Intelligere Patris dupliciter potest cõsiderari, vel actiuè, vel passiuè: actiuè quatenus est in Patre, passiuè quatenus communicatur filio. Primo modo est principium quo filij, at secundo modo est ipsa actio, & processio filij. Sicut enim per Aduersarios intellectus, vt est in Patre habet rationem principij productiui; vt est in filio habet rationẽ termini producti; Ita nos idem dicimus de ipso actuali intelligere, quod vt est in Patre habet rationẽ principij, quo producitur filius, vt autem emanat realiter à Patre, & filio cõmunicatur, habet rationem actionis, & productionis verbi.

Atq. sic explicata Conclusio probatur quoad primam partem, scilicet actuale intelligere, non autem nudum intellectum Patris esse principiũ, quo gignitur filius. Primo, quia intellectus Diuinus in patre non se habet per modum potentiæ sed est maximè in actu: ergo includit ipsam actualem intellectionem: ergo ipsa actualis intellectio patris erit principium quo, cum in patre non tàm sit intellectus quàm ipsum intelligere, vt sæpè dictum est.

Confirmatur idem argumentum. Pater, vt est principiũ filij est maximè sapiens; sed sapientia est actus intellectus; ergo pater vt est principium filij, includit formaliter intellectionẽ, & per consequens intellectio erit principium quo filij. Minor clara est. Maior probatur ex *D. August. locis præcedenti Disput. allegatis*, quibus probat

patrem

patrem non esse sapientem sapientia genita, sed Verbum esse sapientiam genitam ex sapientia generante; Neq; patrem producere filium ex indigentia intelligentiæ; sed ex intelligentia: ergo intellectus patris, vt producens filium includit sapientiam, & consequenter actualem intellectionem.

Altera pars nostræ sententiæ, scilicet actum intelligendi, & amandi esse actiones, & processiones, quibus filius, & spiritus sanctus producuntur, probatur contra Suarez sic. Omne, quod producitur productione aliqua producitur, imò ipsum producens productione fit tale; sed in diuinis nō aliàs productiones est assignare nisi intellectionem, & dilectionem, vt contra Durandum, & Scotum iam fuit ostensum, & admittitur ab eodem Suarez cap. 6. in fine; secus enim Verbū non esset intelligibiliter procedens, vt docet *S. Th. hic a. 3, ad 2.* Neq; in natura purè intellectuali aliæ sunt operationes præter intelligere, & velle.

Respondet Suarez, dum Verbum diuinum producitur, non mediare aliquid per modum actionis inter Verbum productum, & patrem producentem, sicut Thomistæ, inquit, dicunt, creationem esse ipsam diuinam volitionem, nec aliquid mediare inter creaturam, & illam volitionem.

Sed contra tùm quia Suarez non potest hoc exemplo vti, nisi renunciet doctrinę ab ipso in sua Metaphys. traditæ *Disp. 20. sec. 11. num. 11.* vbi habet actionem creatiuā esse aliquid in creatura distinctum ab ipsa ex natura rei, & mediare inter Deum & Creaturam productam. Tùm quia quomodo potest dari productū sine productione, & factum esse sine fieri, & quod emanat sine emanatione? Tùm quia Thomistæ non negant creationem esse actionem, sed cum ipsi existiment, actionem etiam transeuntem esse in agente, consequenter docent, creationem nihil aliud esse, quam efficacem Dei volitionem, secundū quā creaturæ producuntur. ergo similiter intelligere patris, per quod producitur verbum, erit per modum actionis & sic habemus intentum. Tùm quia S. Th. locis secunda Disput. citatis, docet diuinas processiones esse actiones, & idem dicit *hic art. 2. in c.* vbi ait *Verbum in Diuinis procedere per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ à principio coniuncto*. Et idem repetit *art 3. ad 3. & art. 5.* in corpore, *& ad 2. Et quæst. 41. a. 4. ad 3.* Neque *quæst. 41. art. 1.* negauit, Diuinas processiones esse actiones, vt Suarez existimat; sed solum docet non esse actiones, vt actio importat motum secundum primam sui nominis significationem: ergo ex D. Th Diuinæ processiones sunt actiones: si ergo hęc actio, vel quasi actio, qua producitur Verbum, non est intellectio, assignet mihi *Suarez*, si potest, aliam actionem ab intellectione distinctam, qua diuinum Verbum producatur.

Respondet, *Si aliquid est per modum actionis, hanc esse originem actiuam filij.*

Sed

Sed contra quia, vt ipse fatetur, origo actiua, vel est sola relatio personæ productæ vt fluentis à persona producente: vel est respectus personæ producentis ad productam, sed actio, qua producitur Verbum, non est relatio, quia hæc consurgit ad ipsam verbi generationem, in qua fundatur, & est ipsa posterior; ergo præter originem actiuam debet mihi Suarez assignare actionem, qua mediante verbum gignatur. Item hæc origo actiua, vt à nobis concipitur ratione distincta à Patre producente, a verbo producto, & a relatione filiationis consurgente, sanè non est aliud, quam ipsa notionalis Patris intellectio vt intelligitur à nobis ab eodem Patre emanate, & Filio cōmunicari, & ita habemus, quod volumus.

Diluuntur argumenta Aduersariorū.

Sed obijciunt Torres, & alij. Filius in Scriptura dicitur procedere ex *Ore, Vtero, Sinu, & Corde Patris*. At hæc nomina significant Patris Intellectū; ergo Intellectus Patris erit principiū, quo Filium suum generat.

Respondeo hęc nomina significare intellectum, sed pro dignitate subiectę Materię, scilicet intellectū in actu, ac proindè actualiter intelligentem.

Secundo obijciunt *S. August. lib. 15 de Trinit. c. 7.* vbi ait *Verbum procedere ex Memoria fœcunda Patris*; sed memoria solum dicit intellectum in actu primo constitutum: ergo solus Intellectus erit principium Verbi.

Respondeo: *Memoriam dici fœcundam* dupliciter, primo in ordine ad actualem intellectionem: & hoc nego in Diuinis. Secundo in ordine ad Verbi productionem, & hic est sensus *August.* vt patet ex locis eiusdem pro nobis supra allatis. Quare etsi memoria fœcunda in nobis sit solus Intellectus specieb. intelligibilibus pręparatus, non ita tamen res se habet in Diuinis, cum hoc in Patre imperfectionem diceret, quia sic ante Verbi productionē nō esset summè sapiens, Verbumq; ipsum produceret ad intelligendum; non autem ex actuali intelligentia, vt docuit *Augustinus*.

Obijcitur Tertio. Ita se habet productio Verbi in Diuinis, sicut productio Verbi mentalis in nobis; sed principium producendi verbum in nobis est solus intellectus; non autem ipsa intellectio: ergo, &c.

Respondeo negando Maiorem: Ratio disparitatis est quia Intellectus noster est potentia imperfecta, quæ ex sua essentia non est semper in actu: at in Patre non tam est intellectus, quàm intelligere: deindè Intellectus noster producit verbum ad intelligendum; At intellectus Patris non producit Verbum ex indigentia; idest vt intelligat, sed ex fœcunditate, & perfectione infinita suæ intellectionis.

Quarto obijcies. Idem non potest esse simul principium, & actio: quia tunc esset principium sui ipsius, & daretur processus in infinitum; sed intellectio Patris est actio, qua producitur

Filius

Filius: ergo non potest esse simul principium quo gignendi Filium.

Respondeo. Sicut in Diuinis Intellectus est simul principium, & terminus, vt dictum est, ità non repugnat in Diuinis, eandem Patris intellectionem secundum diuersos respectus esse simul principium, & actionem iuxta explicationem superius traditam.

DISPVT. VI.

Quid sit Viuentium generatio, & vtrum processio Filij vera generatio dici possit. D. Th. art. 2.

Duplicem tradit S. Th hic Generationis definitionem. Prior, quæ est communis omnibus rebus generabilib. & corruptibilibus, nihil aliud est quam *transitus de potentia ad actum, seu mutatio de non esse ad esse*, vel vt docuit *Arist. lib. 1. de Generat. Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente*. At hæc non est in Diuinis, quia nulla Persona diuina subiacet mutationi, aut transit de potentia ad actum, vel de non esse ad esse, cum hæc imperfectionem inuoluant. Posterior generationis definitio, quæ solis Viuentibus conuenit, est eiusdem, *Generatio est origo viuentis à viuente coniunctio in similitudinem naturæ eiusdem speciei*. Quam definitionem desumpsit S. Th ex varijs Aristotelis locis & præsertim ex illo *Sec. 4. Probl. 14. Generatio est processio Viuentis à principio vitæ coniuncto secundum rationem similitudinis in specie infima*; Et hæc propriè dicitur natiuitas, & genitum dicitur filius, & natum.

At hæc definitio duas patitur difficultates. Prior est quia ex Equo, & Asina generatur Mulus, vt verus filius, qui tamen non est eiusdem speciei cum genitoribus: ergo de ratione generationis non est, vt genitum sit genitori simile in eadē natura specifica.

Secunda est, quia vna arbor eiusdem speciei est ab alia, ratione seminis decisi, & habet omnes istas generationis conditiones, & tamen arbor genita non dicitur filia, nec generans dicitur Pater.

Ad primam difficultatem respondetur cum *Arist. lib. 12. Metaph. tex 18.* Genitum semper esse simile generanti secundum naturam, idest secundum naturæ ordinem, non autem quando generatio est monstruosa, & præter Naturæ ordinem, vt in generatione muli. Deindè S. Th. in allata definitione considerauit illud, quod euenit frequentius, & per se; per accidens autem contingit ex Equo, & Asina gigni Mulum, siquidem cum vnumquodq; sibi simile gignere intendat & semina sint specie inter se inquiorab diferētia, nō esset maior ratio, cur potius nuncupari deberet Equus, quàm Asinus; ideò ob impedimentum ortum ex commistione diuersorum seminū proles in tertiam speciem Mulinam degenerat.

Ad secundam difficultatem *Ioannes Ma-*

Maior in primo distinc. 13. quaest. prima, tali ratione motus apponit in definitione generationis has particulas. *Generatio est origo Viuentis cognoscitiui à principio cognoscitiuo*. Quæ particulæ clariorem redderent definitionem. Nos dicere possumus ly, *Viuens* sumi pressius pro viuente perfecto, quale est Viuens, quod cognoscit, siuè per sensum, siuè per intellectum; & hoc modo sub hac definitione non includuntur Vegetabilia.

Tertia Difficultas est, quid intelligat Sanct. Thom. per ly, vt à principio coniuncto.

Respondetur significari Viuens genitum debere aliquo modo generari ex substantia, vel de substantia generantis, vt fusè idem Sanct. Thom. explicat 4. *contra Gent. cap. 11.* Nam quæ vita carent, dum generant, aliundè materiam habent extra se, ex quo suos effectus producunt. At Viuens, dum generat, eius generatio versatur circa materiam, quam habet intra se, quam genito communicat; & ideò quælibet Viuentis corporalis generatio fit per seminis decisionem. Quare idem est dicere à principio coniuncto, idest decisa aliqua parte substantiæ, quæ priùs erat genitori coniuncta. Porrò per hanc particulam cognoscimus Creationem Angelorum, & animalium à Deo factam, non esse generationem, ac proindè Deum neque posse dici propriè Patrem creaturarum, neque istas filias Dei naturales, quia licèt creaturæ sint à Deo, quod est perfectissimè Viuens, magis, quam ab ipsis genitoribus, tamen non fiunt ex substantia Dei, vel ex aliqua eiusdem particula decisa, qualem Antiqui Philosophi Animam rationalem appellabant: deindè non conueniunt Angeli cum Deo in eadem specie infima; sed solum in genere intellectiuo. Præterea ex hac particula cognoscimus productionem Adami de limo terræ non fuisse generationem, vt patet ex dictis; Neque item formationem Euæ de Costa Adami, quia Adamus solum passiuè concurrit ad Euæ formationem præbendo materiam; & Deus solus illam postea efficienter efformauit: at ad generationem secundum communiorem sententiam, requiritur, vt generans vi actiua communicet genito suam substantiam.

Ex allata Viuentis definitione infert Sanctus Thomas Processionem Diuini Verbi esse veram Generationem; atque adeo Verbum esse verè filium; Nam processio Verbi est origo Viuentis à Patre Viuente, cum talis processio sit per actionem vitalem, scilicet per intellectionem; Est etiam à principio coiuncto, quia actio vitalis, & immanens manet in eo, à quo procedit; Est etiam per modum similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & hæc similitudo est secundum eandem numero naturá, quia in Deo idem est intellige-

re, & esse, sed Verbum habet intelligere Dei, ergo habet esse diuinum, & cõsequenter ipsam naturam diuinam. Porrò hæc conclusio est de Fide definita in *in Concilio Toletano in Confess. Fidei, & in Hispalensi Prouinciali 2. Can.* 13. Et in Symbolo Athanasij: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Idem etiam probatur ex Scriptura Isaiæ vltimo. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, & qui alijs generationem tribuo, sterilis ero.* Qui locus etsi à nonnullis exponatur de filiatione adoptiua Iustorum; tamen de Diuini Verbi generatione a Concil. Hispalensi intelligitur. Et cap. 53. idem Propheta habet, *Generationem eius quis enarrabit*, quem locum de æterna Verbi generatione interpretatur *D. Hier. ibidem*, ferè omnes Patres. Et Psalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Math. 3. *Hic est Filius meus dilectus.*

Proponuntur, & soluuntur obiectiones contra generationem Verbi Dei.

Obijcies primo; Vel Filius præfuit in Patre actu, vel potentia, vel nullo modo; si nullo modo, ergo ex nihilo esset factus, atque ita esset creatura; si actu, ergo fuit antequam gigneretur; si potentia, ergo in Deo esset potentia reducibilis ad actum, quod dicit imperfectionem.

Respondeo; Filium quantum ad naturam, præfuisse in Patre actu, quantum ad personalitatem præfuisse in Patre potentia, non quidem passiua, sed actiua, quæ semper fuit reducta ad actum, quia nullum fuit instans in tota æternitate, in quo Pater Filium suum intelligendo non generarit. Dum autem instatur; si quo ad naturam fuit actu in Patre, ergo Filius fuisset, antequam fieret; nego consequentiam, quia essentia Diuina non fit, dum Pater generat; sed communicatur Filio, & Spiritui sancto.

Obijcies secundo. Hæc generatio Filij, vel est præsens, vel præterita, vel futura; si est præsens, & non præterita; ergo filius non est adhuc perfectè genitus; sed adhuc est in fieri, & in generari, quod magnam in Deo dicit imperfectionem; si est futura; ergo filius nunc non est filius, sed futurus est filius; si est præterita, ergo fuisset facta mutatio in Deo, cum priùs genuisset filium, nunc verò ipsum non generet.

Respondeo Præsens, præteritum, & futurum esse differentias rerum successiuarum generabilium, & corruptibilium; & ideò non conuenire æternæ Verbi generationi, quæ est omninò permanens, & immutabilis, sicut est ipsemet Deus. Quare sicut in æternitate non est præsens, vel præteritum vel futurum; ita nec hæc generatio potest dici, vel præterita, vel futura, vel præsens, nisi per quandam accommodationem;

quatenus sicut præteritum rem esse perfectè productam demõstrat, Ita filius fuit semper ab æterno perfectè productus, & sicut præsens dicit quãdam consistentiam in esse, ita æterna illa generatio est immutabilis, & semper in suo esse consistens: & sicut futurum dicit perpetuitatem, ita æterna illa generatio Verbi perpetuò permanebit, & sicut semper fuit, & est, ita semper erit, sicut est semper Pater, ita erit se intelligens, & amans. Quare differentiæ istæ temporis secundum præsens, præteritum, & futurum secundum imperfectiones, quas inuoluunt, Deo non possunt attribui; sed solum secundum perfectiones, quas includunt.

Obijcies Tertio. Vel Pater genuit Filium suum existentem, vel nundum existentem: si existentem; ergo filius non fuisset à Patre per generationem genitus, cum ex vi illius generationis non existeret, sed ante illã extitisset: si nundum existentem: ergo filius aliquando non fuisset, & sic non esset Deus, qui semper fuit.

Respondeo vt supra ad primum. Patrem genuisse filium iam existentem, quoad naturam; sed quoad filiationẽ habuisse existentiam ex vi generationis, siuè filiatio existat existentia Diuinæ essentiæ, siuè existat existentia propria relatiua, ratione distincta ab illa, qua existit Diuina essentia, de qua quæstione infra disputabimus.

Instabis si filius generatur à Patre: ergo habet principium sui esse a Patre; sed duratio non distinguitur ab esse: ergo etiam habet principium durationis; ergo filius non esset æternus, & per consequens neque esset Deus.

Respondeo latere hic fallaciam; Nam licet duratio, & esse in Deo sint idem; nõ est tamen idem habere principium sui esse, & durationis; quia, illud tantùm significat habere esse ab alio; hoc autem significat incœpisse in tempore esse, itaut in aliquo tempore non fuerit. Primum conceditur; sed secundum à Catholicis est negandum. Quare licet filius acceperit à Patre tùm esse, tùm eius durationem æternam, non tamen filius in tempore esse incœpit, sed semper ab ęterno fuit, Paterque semper fuit principium esse filij, & durationis eiusdem.

Obijcies Quarto. Vel generare in Deo dicit perfectionem; vel non dicit: si non dicit; ergo generatio non est formaliter in Deo ponenda; cum in Deo solum formaliter reperiatur id, quod formaliter in suo conceptu perfectionem dicit: si autem generatio, vt sic, dicit perfectionem; ergo substantiæ perfectissimę, quales sunt Angeli, & Cæli generarent, cum tamen videamus, solas substantias materiales generare.

Respondetur generatio, vt abstrahit à creata, & increata dicit formaliter perfectionem; quia dicit communicationem propriæ naturę, quæ est maxima perfectio, cõmunicare enim est boni, & perfecti; vt autem gene-

ratio reperitur in Creaturis dicit perfectio nem mistam varijs imperfectionibus; quia infert passionem, motum, & decisionem seminis, & ideò non potest conuenire Angelis, qui sola creatione produci possunt. At generatio Diuina non habet istas imperfectiones; quia in Deo est communicatio eiusdem numero naturę sine motu, & passione; & ideò libenter concedimus generationem formaliter secundum suum conceptũ in Deo reperiri.

DISPVT. VII.

Cur processio Filij sit Generatio: Processio verò Spiritus sancti non item. *D. Th. art. 3. 4. & 5.*

CErtum est primo ex Scripturis præter Verbi processionem esse in Diuinis ponendam aliam processionem Spir. sancti, quod probat *D. Th. art. 3.* quia in natura intellectuali, qualis est Diuina, pręter actionem per intellectum ponitur alia operatio per voluntatem, quæ non minùs in suo genere est fœcunda, quam sit fœcundus intellectus: nec minùs Diuina essentia est diligibilis, quam sit intelligibilis, sed quia est infinitè cognoscibilis, producitur Verbum illam adæquatè repręsentans: ergo quia est infinito modo diligibilis, debet etiam produci Amor illi proportionatus, qui est Spiritus Sanctus.

Certum est secundò, Vt Fidei nostræ Dogma, Processionem Spiritus sancti non esse generationem. Probatur; quia persona via generationis producta dicitur filius, sed spiritus sanctus in Scriptura nunquam dicitur filius; quinimò ex eadem Scriptura habemus Verbum esse vnicum filium in Diuinis: Ex quo sequitur Spir. sanct. non esse Filium. Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, &c.* & cap. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitũ daret*; & alibi, *Vnigenitus, qui in sinu est Patris, ipse enarrauit nobis.*

At hæc ratio multas patitur difficultates. Quia idem filius dicitur Primogenitus, ex quo fit plures esse filios in Diuinis, *Ad Rom. 8. Vt sit ipse Primogenitus in multis Fratribus.* Et ad Colos. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis Creaturæ.* Sed sciendum est vsitata Scripturæ phrasi filium vnicũ etiam dici Primogenitum in hoc sensu, quatenus antè eum nullus alius fuerit natus, etiamsi post eum nullus alius nasceretur. Sic Luc. 2. dicitur B. Virginem *Peperisse filium suum Primogenitum*; Non quidem, quia B. Virg. post Christum alios pepererit, vt Eluidus, & alij Hæretici putarunt ex eo decepti; quia Ioan. & Iacobus in Euãgelio fratres Domini appellantur; sed quia ante Christum nullum alium filium pepererit. Similiter *Exodi 17. dicitur. Sanctifica mihi omne Primogenitũ, quod aperit vuluam*; sane Primogenitũ erat Deo sacrandum, etiamsi nullus alius fœtus nasceretur, solum quia ante omnem alium esset ortus. Accedit

Ver-

Verbum in Scriptura non dici simpliciter *Primogenitum*; sed semper cum limitatione, scilicet *Omnis creaturæ*, vel *in multis fratribus*. At vnigenitus dicitur simpliciter, & absolutè, vt intelligamus Verbum absolutè esse vnicum Dei filium; sed dici Primogenitum ante omnem Creaturam, & ante omnes prædestinatos, qui fratres eius dicuntur. Tandem hæc veritas fuit in omnibus Concilijs definita; vt *in Simbolo Athanasij*, vbi dicitur *Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens*. Idē habetur *in Concil Tolet. 1. in Confess. Fidei*, vbi inquit; *Non genitus Paraclitus, sed à Patre, Filioq; procedens*. Et in Concil. Tolet. 11. hæc habentur. *Hic etiā Spir. sanct. nec ingenitus, nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus; aut si genitum, duos filios demonstremus prædicare.*

At grauissima manet difficultas, an possit Theologica aliqua ratio diuersitatis assignari, quare potiùs processio filij, & non Spiritus sancti generatio dicatur. Et ratio dubitandi potissima est illa, quam proponit *D. Th. art. 4. in primo Argumento*. Quia omnes particulę definitionis generationis etiam Spir. sanct. conuenire videntur; Nam *Generatio est origo Viuentis à Viuente, vt à principio coniuncto in naturæ similitudinem*. Sed Spir. sanct. oritur Viuens à Viuente, cum sit Deus de Deo, qui est vita per essentiam, & oritur à principio vitæ coniuncto, quia oritur per operationem voluntatis, sicut Verbum per operationem intellectus; & oritur in similitudinem naturæ, cum eadem diuina essentia Patris, & Filij illi communicetur.

Hinc *Ariani, & Macedoniani* filij, & Spir. sancti diuinitatem negantes contra Catholicos triumphare se putabant, existimantes, impossibile esse Spir. sanct. esse Deum à Patre, & Filio procedentem, & non esse genitum, & filium. Vnde teste *Greg. Naz. orat. 5. de Theol.* Et *Athan. Epistola de Spir. sanct. ad Serap.* sic contra Catholicos arguebant. Aut spiritus sanctus procedit a solo Patre, & sic erit filius Patris, & frater filij: aut procedit à solo filio, & sic erit filius filij, & nepos Patris: aut procedit ab vtroq; & sic vterque erit parens illius, cumque vterq; non possit esse genitor, vnus eorum erit Mater, & alter Pater.

Ad soluendam hanc celeberrimam difficultatem non solum Veteres Patres; sed etiam Scholasticorum ingenia varijs modis elaborarunt, vt Hæreticis satisfacerent. Proponam itaq; breuiter solidiores responsiones, & tādem veriorem hic à D. Th. allatam, sequemur sententiam.

Cur processio Spir. S. non sit generatio veterum Theologorum explicatio.

Primus respondendi modus est, nō posse in hac vita reddi rationē, cur processio spir. sanc. non sit generatio, sed solum Deum scire specificam harum processionum diuersitatem, & ideo

rem

rem hanc à nobis esse simpliciter credendam. Ita *Magist. Marsil. Gregorius Ariminin. in 1. d. 13.* quos aliqua ex parte sequitur *Greg. de Val. hic puncto 4.*

Reprobatur.

At vrgeret Hæreticus, quia *1. Petri 3.* dicitur *Fideles debere esse paratos ad reddendam rationem eorum, quæ credunt*, quanto magis igitur hoc conuenit celeberrimis Theologis? Hinc *S. Augustinus qui lib. 3. contra Maxim.* dixit, nō posse huius rei reddi rationem, quod idem alij Patres non Scholastico, sed oratorio modo dixerunt; postea idem *August. lib. 9. de Trinit. cap. vlt. & lib. 15. cap. 26.* nonnullas huius rei rationes adducit. Deindè etiamsi rationes demonstratiuas hac in re inuenire sit prorsus impossibile, conari tamen debet Theologus ad Hæreticorum ora obstruenda saltem probabiles afferre, ne illis palmam sine pugna porrigat.

Explicatio Richardi de S. Victore reijcitur.

Secundus respondendi modus est *Rich. de S. Vict. lib. 6. de Trinit. cap. 8* & aliorum, qui hanc reddunt rationē cur processio spir. sanc. non sit generatio: Generatio, inquiunt, est communicatio naturæ, itaut genitus accipiat à generante potentiam communicandi eandem naturam; sed spiritus sanctus ita accipit à Patre, & filio diuinam essentiam, vt aliam diuinam personam producere nequeat: ergo eius processio non est generatio.

Sed contra est, quia ex nullo capite ostendi potest, hanc conditionem ad generationem requiri, etsi necessaria esset, potius dicendum esset ad generationem, opus esse, vt genitum habeat à generante virtutem generandi sibi simile, & hęc neq; filio in diuinis competit cum spir. sanc. non generetur, sed spiretur.

Explicatio D. Augustini difficilis.

Tertius dicendi modus affertur à *D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 27.* & est iste: filius non solet procedere à duobus, nisi vnus eorum sit Pater, & alter Mater, sed spir. sanc. hoc modo non procedit à Patre, & filio: ergo nō est filius, & per consequens eius processio non est generatio.

At contra instaret Hæreticus Christus secundum humanitatem fuit productus à Deo, & à B. Virg. & tamen Deus nō fuit Pater humanitatis Christi vt Præcedenti disputatione dictū est; ergo similiter spir. sanct. posset esse à filio, & à Patre, licet filius non esset Mater, sed vterq; posset esse Pater. Adde spir. sanc esse à Patre, & filio tāquam ab vno principio, vt omnes Catholici docent, ob vnitatem voluntatis, in qua residet fœcundissima virtus spiratiua: ergo non est necesse, vt alter eorum se habeat, vt Mater, & alter vt Pater, cum hæc in humanis solùm non in diuinis contingant.

Opi-

Opinio Molinæ, Vaſquez, & Torres præcluditur.

Quartus reſpondendi modus eſt Torres, Molinæ, & Vaſquez hic, qui dicunt filium dici genitum & non Spiritum ſanctum; quia ad generationem requiritur, vt genitum ſit imago generantis; ſed Filius procedit vt imago Patris ipſum repræſentans, Spiritus ſanctus autem, licèt ſit ex vi ſuæ proceſſionis ſimilis Patri in natura diuina, vtpotè illi conſubſtantialis, non tamen procedit, vt imago, ſed vt nexus Patris, & filij. Porrò ad generationem requiri, vt genitum ſit imago generantis, talemque eſſe quemcunque filium genitum, præter Patres, quos in huius rei confirmationē Vaſquez adducit, probatur ex *Ariſtot. 2. Pol. t. cap. 2.* vbi cum retuliſſet ſententiam Socratis, qui in Republ. Vxores, filios, & omnia communia faciebat ad rixas, & lites euitandas, poſtea eum ſic refellit dicens, Vetari non poſſe, quin ob ſimilitudinem non agnoſcerentur filij, & Fratres, & Patres, & Matres: & in huius rei probationem antiquā Populorum ſuperioris Lydiæ conſuetudinem adducit, qui cum mulieres cōmunes haberent, filios poſtea ſecundum rationē ſimilitudinis diuidebant. Et ita ſi hic Petrum referrebat, genitus ab illo dignoſcebatur, illique educandus tradebatur.

Sed contra eſt primò, quia iſti Auctores reddunt rationem ignoti per ignotius; Nam certius eſt ex Scripturis Spir. ſanc. non eſſe filium, quam non eſſe imaginem, cum illud expreſſè in ſacr. Lit. habeatur, non iſtud, & illud ſit de Fide, non iſtud: Quinimò aliqui Patres Græci, quos refert *S. Th. infra quæſt. 35. art. 2.* Durand. & alij Theologi, quos refert *Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 6.* concedunt, Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris, & Filij, & tamen nullus Catholicorum admittit Spir ſanc. eſſe Filium.

Secundo, Quod procedit ſimile producenti formaliter, eſt eius imago; ſed Spiritus ſanctus procedit, vt ſimilis in natura diuina Patri, & filio ex vi ſuæ proceſſionis, vt iſti Doctores, cum quibus diſputamus, expreſſè fatentur; ergo Spir. ſanc. ſecundum ipſos eſſet imago Patris, & filij: Atq. ita neſcio quomodo poſſint diſtinguere inter hęc duo, procedere vt imaginem, & vt ſimile formaliter ex vi ſuæ proceſſionis; Nam equus genitus non aliter eſt imago genitoris, niſi quia procedit ab ipſo, vt ſimilis in eadem natura ſpecifica Conf. Nam *S. Th. quæſt. 35. art. 1.* ac ſanctus Auguſtinus ab eodem relatus ad rationē imaginis nihil aliud requirunt, niſi vt aliquid procedat ſimile producenti in ſpecie, vel in aliquo ſigno ſpeciei; Nec verbum faciunt de repreſentatione, quam aliqui confingunt neceſſariam ad rationem imaginis; deindè hęc repręſentatio, vel eſt intentionalis, at hæc non pertinet ad generationem, vel eſt formalis fundata in vnitate naturæ ſpeci-

eificæ secundum quam filius in creatis dicitur referre Patrem : at sic est quod Spir. sanc habet eandem numero naturam Patris, & filij ex vi suę processionis, vt isti Doctores profitentur, ergo poterit eosdem repræsentare, ergo secundum ipsos sequitur Spir sanc. esse imaginem Patris, & Filij, atque adeò esse genitum, & eius processionem esse generationem.

Opinio Alexandri Pesantij, & Francisci Suarez non probatur.

Quintus respondendi modus est *Alexandri Pesantij hic, & Suarez lib. 11 de Trinit. cap. 5.* qui supponunt diuinam essentiam essentialiter constitui per actualem intellectionem, vt per differentiam quasi essentialem, volitionem verò docent consequi naturā diuinam, nec pertinere ad primam, & essentialem eiusdem constitutionē. Hoc supposito dicunt, Verbum dici genitum, quia generatio primò, & per se tendit ad communicationem naturæ, vt natura est; sed Verbo diuino communicatur intellectio ex vi suæ processionis, in qua intellectione ipsa natura essentialiter consistit; ergo communicatur illi natura Dei secundum proprium cōceptum naturæ diuinæ, atque ita processio Verbi erit vera generatio. Cum autem natura diuina communicatur Spir. sanc. non communicatur illi sub hac formali ratione, quatenus intellectio diuina est, sed per vim amoris; amor autem non constituit ipsam naturam diuinam, sed ipsam consequitur, & ipsam iam pręsupponit; & sic Spir. sanc non erit genitus, cum eius processio sit extra rationem, secundum quam Diuina essentia in suo esse constituitur.

Explicatur hoc magis. Generatio est via ad communicandum esse specificum genitoris; sed filius procedit formaliter per actionem, in qua consistit esse diuinum, scilicet per intellectionem, in qua supponitur consistere Diuina essentia: At Spir sanc. procedit per actionem, quæ consequitur ipsum esse diuinum, ergo Spiritus sanctus non erit genitus, sed solus filius.

Sed neque hic dicendi modus mihi omninò arridet; Primo quidem, quia supponit falsum, scilicet Diuinam essentiam constitui essentialiter per intellectionem; hoc enim est expresè contra *S. Th. quæst. 26. ar. 2. in c.* vbi ait *in Deo autem non est aliud esse, et intelligere secundum rem, sed tantū secundum intelligentiæ rationem;* ergo ex S. Thom. esse Dei non est intelligere in sensu formali, sed solum identice, *& ad 1.* Vbi cum obiecisset, quod si Beatitudo conuenit Deo secundum essentiā, non cōuenit ei secundum intellectum, respondet, *Deum esse Beatum secundum essentiam, & non secundum rationem essentiæ, sed magis secūdum rationē intellectus;* Vbi apertè quidditatem essentię ab intellectu, & ab intellectione distinguit. Idipsum tenent eius Discipuli, vt *Caiet. 1. par. q. 14. ar. 4.* vbi dum S. Th. ait *Intelligere Dei esse*

eius

tius esse, exponit *in* §. 2, quod, eum loqui in sensu identico, non in sensu formali. Idem habet *Ferr. 1. contra Gent. cap. 15. Et Capreolus in 1. dist. 13. a. 2.*

Secundo. Demus naturam diuinam constitui primò, & per se per actuale Dei intelligere, cur quæso non constituetur per velle Dei necessariũ? Nam si Deus, qui est purus actus carens omni potentia, claudit in suo essentiali conceptu intelligere in actu, eadem ratione etiam claudet velle in actu. Confirmatur. Nam sicut creaturæ æquè conuenit velle, ac intelligere; Imò hoc ordinatur ad illud, nec minùs esse volitiuum pertinet ad essentiam Angeli, quam esse intellectiuum: Ità similiter non minùs ad Dei essentiam pertinet actuale velle, sicut actuale intelligere, cum ipse etiã æquè sit volitiuus, ac intellectiuus. Hinc sapienter *D. Thom. 1. par. q. 19. ar. 1. in fine (non solum intelligere, sed etiam velle dicit esse ipsum esse Dei.)* Idem habet *art. 2. ad 1. Et quæst. 20. art. 3. ad 2.* ergo malè isti Auctores dicunt intelligere esse ipsam naturam Diuinam, velle autem ipsam cõsequi.

Tertio, Omnis intellectio supponit in primo signo rationis suum obiectum; sed obiectum Diuinæ intellectionis est ipsa diuina essentia, ergo ipsa diuina essentia supponitur ante intellectionem, ergo non constituitur formaliter per diuinam intellectionem, cum nulla res per aliquid essentialiter constituatur, quod ipsam essentialem constitutionem supponat.

Quarto, Si Spiritus sanctus non accipit a Patre diuinam intellectionem, quatenus intellectio diuina est, ergo non acciperet à Patre deitatem, vt deitas est; atque ità Spir. sanc. non esset formaliter Deus, nec esset Filio prorsus æqualis; hoc autem esse absurdum, quis non videt? Consequentia patet, quia deitas, secundum doctrinam istorum Theologorum essentialiter consistit in diuina intellectione, vt talis est; sed per eosdem Sp. sanc. non accipit à Patre diuinam intellectionem, ergo neque deitatem accipiet. Quod si Filius, & Spir sanc. in deitate participanda, quæ est tota ratio ęqualitatis in diuinis, non assimilantur, sed differunt, apertè sequitur, S.S. non esse Filio omnimodè ęqualẽ.

Aliorum Recentiorum explicatio oppugnatur.

Sextus dicendi modus est aliorum, qui dicunt diuinam intellectionem non esse ipsam diuinam essentiam sed eiusdem operationem; addunt tamen principium radicale intelligendi infinitum esse ipsam diuinam essentiam; principium autem volendi radicale esse proprietatem consequentem ad ipsam diuinam essentiam iam in suo esse constitutam. Quo posito dicunt, Verbum dici genitum, non autem Spirit. sanc. quia ad generationem requiritur, vt terminus formalis, & primarius generationis sit natura, sed Verbo cõmunicatur formaliter ipsum principium intelligendi radicale, in quo diui-

nã naturã consistere dictũ fuit: At per vellé cõmunicatur S. S. formaliter solum principiũ volitiuũ, quod diuinã naturam consequitur; ergo S. S. non est formaliter genitus sed solus Filius.

Sed hic modus magis displicet, Tũ quia diuina essentia ęquè constituitur primo, & per se per principiũ radicale volendi, ac constituatur per principiũ radicale intelligẽdi. Tùm quia si Sp. sanc. nõ cõmunicatur formaliter principium intellectiuum; ergo non esset formaliter Deus ex vi suæ processionis, vt supra arguebã. Tùm quia si Sp. sanc. ex vi suæ processionis non accipit à Patre principium intellectiuum, sequitur ipsum non esse veram Personam formaliter loquendo, sed solum esse suppositum: Consequens est absurdum, cum tres in diuinis fateamur Personas; sequelam probo: Persona vt distinguitur à supposito est intellectualis naturæ indiuidua substantia, sed Spir. sanc. per Aduersarios nõ habet formaliter ex vi suæ processionis naturam intellectualem, ergo sequitur ipsum non esse formaliter personam.

Opinio D. Th. approbatur, & illustratur.

Septimus, & optimus modus explicandi hanc difficultatẽ est ille, quẽ tradit *S. Th. hic ar. 4.* Et sequuntur omnes Thomistę, & sumitur ex differẽtia operandi intellectus, & voluntatis: Nam intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu per quãdã similitudinem: Voluntas autẽ fit in actu non per hoc, quòd aliqua similitudo voliti sit in volũtate; sed per hoc, quod habet quandam inclinationem ad rem volitam; Voluntas enim aliquid amans tota est propensa in obiectum amatum; vnde amor nihil aliud est, quã quidã impulsus, & tẽdentia in rem amatã, ac quasi põdus iuxta illud Aug. *Amor meus põdus meũ* Hoc posito sic declaratur, cur processio Filij sit generatio, nõ autem processio Sp. sanc.

Generatio est origo Viuentis secundum naturæ similitudinem, vt dictũ est; sed filius, non spir. sanc. gignitur, vt similis, ergo spir. sanc. non est genitus, sed solus filius Minor probatur. Qui gignitur intellectione, gignitur formaliter ex vi suę processionis vt similis, quia munus intellectus est assimilare sibi obiectũ, & fieri ipsum obiectum in esse intelligibili, sed filius intellectione gignitur, ergo filius erit genitus. Rursus, qui non per modum similitudinis producitur, sed per modũ impulsus in obiectũ, non est genitus; quia generatio tendit formaliter ad producendũ sibi simile, sed spir. sanc. cum producatur per amorẽ, non producitur per modum similitudinis, sed per modum impulsus, ergo spi. sanc. ex vi suæ processionis non erit genitus, & consequenter non erit filius.

Porrò hæc D. T. ratio cęteris anteponenda, non solum quia procedit per principia intrinseca sumpta ex diuerso modo operãdi, quem seruant intellectus, & voluntas in creatis, quia sumpta fuit ex *Aug. [illegible]* & *lib.* [illegible], *q. 27. & c. 4.* [illegible]

Ad euidentiam autem huius rationis multa hic obseruanda essent, quæ in ipsa argumentatorũ solutione clari us percipientur: Duo solum hic maximè sunt attendenda.

Primum est ratio, cur processio Sp. sanc. nõ sit generatio, sicut est illa Verbi, non potest sumi ab aliquo absoluto, quod sit vtrisq; commune, & multò minus ab ipsa Diuina essentia, quę eadem numero in vtrisque æquè reperitur. Neque item sumi potest à relatione filij, & Spir. sanc. diuersa. Nam cum generatio sit via ad communicandam naturam similem suo principio, ratione relationis, neque ipse filius esset genitus, quia vt filius est Patri dissimilis. Hæc igitur ratio diuersitatis non aliundè sumi potest, quam à ratione originis, secundum quam vna Persona diuerso modo ab alia procedit, & sic tota diuersitas, cur Verbum sit filius, non autem Spir. sanc. non aliunde sumi potest nisi ex eo, quod Spir. sanc. ex vi suæ processionis nõn producitur formaliter vt similis Patri, ac filio; Verbum autem genitum dicatur, quia ex vi suæ processionis habeat, quod sit suo principio perfectè simile.

Secundo obseruandum est, Verbum debere esse simile suo obiecto ex vi suę processionis, non autem per se esse simile principio intelligenti, cuius non est similitudo, nisi cum intelligens est simul res intellecta, vt in Diuinis contingit. Hinc constat, cum Anima format ignis notitiam, hanc non esse eius filiam, quia licèt ab eadem Anima, vt à principio vitæ coniuncto procedat, non est tamen similis animæ intelligenti; sed igni intellecto: similiter cum vna anima aliam animam intelligit, illa notitia non dicitur filia animæ intelligentis: Ratio est, quia notitia est per se similitudo obiecti ex vi suæ processionis: at hic per accidens contingit, animã intelligentẽ conuenire in eadem specie cum anima intellecta: At si anima se ipsam intelligeret, & notitia illa esset substantia viuens, sicut de facto est accidens, illa notitia esset verè filia animæ intelligentis & eius productio esset generatio, quia & procederet à principio vitæ coniuncto, & tunc ex vi suæ processionis talis notitia esset similis obiecto, & principio, à quo procederet. Quare cum Diuina essentia in Patre sit & principium intelligens, & simul res intellecta, & productio Verbi sit substantialis, ideò proprijssimè illa dicitur generatio, & Verbum dicitur verus Filius: At ex opposito si Angelus se ipsum amans produceret amorem substantialem, talis tamen amor productus non esset filius amantis, vel rei amatæ, nec eius productio esset generatio, quia amor productus non esset per se similitudo amantis, vel rei amatæ; sed potius esset naturalis quidam impulsus in rem amatam.

Tertio Obseruandum valdè est, etsi Spir. sanc. producatur similis Patri, & filio in eadẽ natura Diuina, cum vterq;

uã naturã consistere dictũ fuit: At per velle cõmunicatur S. S. formaliter solum principiũ volitiuũ, quod diuinã naturam consequitur; ergo S. S. non est formaliter genitus sed solus Filius.

Sed hic modus magis displicet, Tũ quia diuina essentia ęquè constituitur primo, & per se per principiũ radicale volendi, ac constituatur per principiũ radicale intelligẽdi. Tùm quia si Sp. sanc. nõ cõmunicatur formaliter principium intellectiuum; ergo non esset formaliter Deus ex vi suæ processionis, vt supra arguebã. Tùm quia si Sp. sanc. ex vi suæ processionis non accipit à Patre principium intellectiuum, sequitur ipsum non esse veram Personam formaliter loquendo; sed solum esse suppositum: Consequens est absurdum, cum tres in diuinis fateamur Personas; sequelam probo: Persona vt distinguitur à supposito est intellectualis naturæ indiuidua substantia, sed Spir. sanc. per aduersarios nõ habet formaliter ex vi suæ processionis naturam intellectualem, ergo sequitur ipsum non esse formaliter personam;

Opinio D. Th. approbatur, & illustratur.

Septimus, & optimus modus explicandi hanc difficultatẽ est ille, quẽ tradit *S. Th. hic ar. 4.* Et sequuntur omnes Thomistę, & sumitur ex differẽtia operandi intellectus, & voluntatis: Nam intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu per quãdã similitudinem: Voluntas autẽ fit in actu non per hoc, quòd aliqua similitudo voliti sit in volũtate; sed per hoc, quod habet quandam inclinationem ad rem volitam; Voluntas enim aliquid amans tota est propensa in obiectum amatum; vnde amor nihil aliud est, quã quidã impulsus, & tendentia in rem amatã, ac quasi põdus, iuxta illud Aug. *Amor meus põdus meũ* Hoc posito sic declaratur, cur processio Filij sit generatio, nõ autem processio Sp. sanc.

Generatio est origo Viuentis secundum naturæ similitudinem, vt dictũ est; sed filius, non spir. sanc. gignitur, vt similis, ergo spir. sanc. non est genitus, sed solus filius Minor probatur. Qui gignitur intellectione, gignitur formaliter ex vi suę processionis vt similis, quia munus intellectus est assimilare sibi obiectũ & fieri ipsum obiectum in esse intelligibili, sed filius intellectione gignitur, ergo filius erit genitus. Rursus, qui non per modum similitudinis producitur, sed per modũ impulsus in obiectũ, non est genitus; quia generatio tendit formaliter ad producendũ sibi simile, sed spir. sanc. cum producatur per amorẽ, non producitur per modum similitudinis, sed per modum impulsus ergo spi. sanc. ex vi suæ processionis non erit genitus, & consequenter non erit filius.

Porrò hæc D. T. ratio cęteris anteponenda, non solum quia procedit per principia intrinseca sumpta ex diuerso modo operãdi, quem seruant intellectus, & voluntas; sed etiã, quia sumpta fuit ex *August. lib. de Trinit.* & *lib. ... c. 27.* ...

Ad

Ad euidentiam autem huius rationis multa hic obseruanda essent, quæ in ipsa argumentatorũ solutione clarius percipientur. Duo solum hic maximè sunt attendenda.

Primum est ratio, cur processio Sp. sanc. nõ sit generatio, sicut est illa Verbi, non potest sumi ab aliquo absoluto, quod sit vtrisq; commune, & multò minus ab ipsa Diuina essentia, quę eadem numero in vtrisque æquè reperitur. Neque item sumi potest à relatione filij, & Spir. sanc. diuersa. Nam cum generatio sit via ad communicandam naturam similem suo principio, ratione relationis, neque ipse filius esset genitus, quia vt filius est Patri dissimilis. Hæc igitur ratio diuersitatis non aliundè sumi potest, quam à ratione originis, secundum quam vna Persona diuerso modo ab alia procedit, & sic tota diuersitas, cur Verbum sit filius, non autem Spir. sanc. non aliunde sumi potest nisi ex eo, quod Spir. sanc. ex vi suæ processionis nõn producitur formaliter vt similis Patri, ac filio, Verbum autem genitum dicatur, quia ex vi suæ processionis habeat, quod sit suo principio perfectè simile.

Secundo obseruandum est, Verbum debere esse simile suo obiecto ex vi suę processionis, non autem per se esse simile principio intelligenti, cuius non est similitudo, nisi cum intelligens est simul res intellecta, vt in Diuinis contingit. Hinc constat, cum Anima format ignis notitiam, hanc non esse eius filiam, quia licèt ab eadem Anima, vt à principio vitæ coniuncto procedat, non est tamen similis animæ intelligenti; sed igni intellecto: similiter cum vna anima aliam animam intelligit, illa notitia non dicitur filia animæ intelligentis: Ratio est, quia notitia est per se similitudo obiecti ex vi suæ processionis: at hic per accidens contingit, animã intelligentè conuenire in eadem specie cum anima intellecta: At si anima se ipsam intelligeret, & notitia illa esset substantia viuens, sicut de facto est accidens, illa notitia esset verè filia animæ intelligentis & eius productio esset generatio, quia & procederet à principio vitæ coniuncto, & tunc ex vi suæ processionis talis notitia esset similis obiecto, & principio, à quo procederet. Quare cum Diuina essentia in Patre sit & principium intelligens, & simul res intellecta, & productio Verbi sit substantialis, ideò proprijssimè illa dicitur generatio, & Verbum dicitur verus Filius: At ex opposito si Angelus se ipsum amans produceret amorem substantialem, talis tamen amor productus non esset filius amantis, vel rei amatæ, nec eius productio esset generatio, quia amor productus non esset per se similitudo amantis, vel rei amatæ; sed potius esset naturalis quidam impulsus in rem amatam.

Tertio Obseruandum valdè est, etsi Spir. sanc. producatur similis Patri, & filio in eadẽ natura Diuina, cum vterq; sit

G 2

sit Deus, non tamen produci vt similis in eadem natura Diuina formaliter ex vi suæ processionis, sicut ad veram generationem requiritur, vt inductione patet in quibuscunque creatis generationibus. Itaq, 4. distinguere possumus in Spir. sanc. processione. Primum ipsa ratio processionis abstractissimè accepta; Et hoc modo clarũ est, ipsam non esse generationẽ, secus quælibet productio rei etiam accidentalis esset generatio. Secundo potest considerari ista processio magis determinatè, scilicet vt est processio per amorem abstrahens à creato, & increato, & hoc modo neque est generatio, tũm quia secus etiam amor creatus esset generatio: Tũm quia processio per amorem non tendit ad sibi simile producendum, sed solum est impulsus in obiectum, & in illud transformatio. Tertio potest considerari ista processio Spir. sanc. adhuc magis determinatè; scilicet vt est processio substantialis infinita, & diuina; & neque hoc modo est generatio, quia vt sic præcisè considerata non habet trãsfundere naturam similem in aliã personam, sed solum habet, quod sit perfectissimus quidam impulsus substãtialis in rem amatam, nempè in Diuinam essentiam, vt diligibilem, & item in omnes creaturas possibiles, & futuras, si verum est Spir. sanc. produci non solum ex amore Diuinæ essentię, & item Patris, & filij, sed etiam ex amore harum Personarum erga ipsum Sp. sanc. & omnes creaturas: cum enim vnumquodq; determinetur per differentias proprias sui generis, ex hoc sequitur, quod sicut cognitio productiua verbi in genere est assimilatio, & dũ determinatur ad esse diuinũ, humanum, vel angelicum, determinatur ad talem, & talem assimilationem, & ad talem modum cognoscendi, scilicet per discursum, vel sine discursu, &c. Ita cum amor vt sic sit quidam impulsus in rem amatam, dum determinatur ad esse diuinum, determinatur ad esse perfectissimũ impulsum in tali genere impulsus. Quare sicut impossibile est amorem recipere differẽtias proprias cognitioni, Ita impossibile est, amorem etiam diuinum ex proprio genere, & ex propria differentia esse productiuum sui similis formaliter vt similis; Nã sicut implicat amorem Diuinum secundum proprium conceptum amoris Diuini esse cognitionem Diuinam, Ita repugnat, amorem Diuinum esse formalem assimilationẽ in eadem natura cum suo principio, vel cũ suo obiecto. Quarto denique considerari potest processio Spir. sanc. vt est in tali subiecto, scilicet in Deo, in quo quidquid est, Deus est; & hoc modo producit similem naturam; sed hoc modo nõ est generatio; quia quod sit productiua similis in natura, nõ habet ex vi suæ processionis, neque secundum rationem genericam, neque secundum rationem specificam, vti ad veram generationẽ requiritur, sed solum hoc habet ex parte subiecti. Itaque Spiritus sanctus

ctus neque vt est amor, neque vt tali amor producitur similis formaliter Patri, & Filio in eadem natura diuina; sed solum producitur similis ex eo, quod sit amor existens in Deo, in quo quælibet Persona producta necessario est Deus, cum non possit esse in Deo quid creatum.

Quarto obseruandum est, cum S. Th. docet id, quod producitur per intellectionem, esse simile suo obiecto, vel intellectionem esse assimilationē, loqui de intellectione fœcūda, & productiua Verbi, qualis est Diuina; & hoc sufficit ad intentum probandum; Non autem loqui de quacunque intellectione sterili, quæ non producit similitudinem, & Verbum, qualis est visio beata Sanctorum, talis enim intellectio, vt supra dictum est, non est formalis similitudo, cum nullam imaginem, & verbum producat.

His notatis non solum S. Th. doctrina radios suos magis diffundet, sed etiam facile erit ab argumentorū nubibus, quibus illam Recentiores obtenebrare conantur, dissoluere.

Obiectiones quæ contra D. Thom. rationem fiunt, proponuntur, & dissoluuntur.

Sed contra hanc D. Th. rationem multa obijciunt *Torres hic art. 2. in 4. parte commentarij: & Vasquez disput. 113. cap. 6.*

Primo, Vel filius procedit similis in natura, quatenus est ab intellectu vt sic, vel quatenus est à tali intellectu, scilicet diuino; Non primū, quia omnis processio per intellectum esset generatio: Non secundum, quia sic etiam Spir. sanc. esset Filius, cum à tali voluntate, scilicet diuina habeat quod sit Deus, atque adeò quod sit similis in natura producenti.

Pro solutione nota intellectionem in communi fœcundam esse viam, per quam intellectus suo obiecto assimilatur, quæ cōtrahitur ad esse increatum, & creatū tanquam per differentias diuidentes: prout contrahitur ad esse creatum, non est generatio: quia generatio est actio substantialis, at omnis intellectio creata est accidentalis; deinde non est perfecta & omnimoda sui obiecti similitudo; sed est similitudo deficiens, cum obiectum sit sæpè substantia, & ipsa sit accidens: At prout determinatur ad esse increatum, transit in substantiam, & est similitudo vndequaque perfectissima. Hoc posito.

Respondeo ad argumentum, filiū procedere similem in natura similitudine substantiali, quatenus est à tali intellectu diuino; Neque est eadem ratio de Spir. sanc. quia ipse procedit non per modum assimilationis substantialis, sed per modum impulsus substantialis.

Secundo instat idem Vasquez: Hæc est in quarto modo, Amor diuinus producit Deum: ergo producit sibi simile ex vi suæ processionis, ergo ità erit generatio, sicut processio filij.

Res-

Respondeo, Amor Diuinus producit Deũ, sed ex proprio modo operandi, scilicet per modum impulsus substantialis; non autem per modum substantialis assimilationis, sicut facit Diuina intellectio. Et ideò nego vtráque consequentiam. Respondeo secundo. Amor diuinus producit Deum non vt amor est, neque vt talis amor, sed ratione subiecti, in quo reperitur, quatenus implicat aliquid in vno, & vero Deo produci, quod non sit Deus; Et ideò amor productus non est genitus.

Tertiò instatur. Assimilatio per viam intellectionis est assimilatio intentionalis, non formalis, ergo quantumuis determinetur ad esse diuinũ, non proindè fiet intellectionem esse formalem similitudinem, qualis ad veram generationem requiritur, ergo ex intellectione non rectè S. Th. cõcludit, Verbum esse genitum & non Spiritum sanctum.

Respondeo cum eodem S. Th. *hic ad* 1. Quantò magis aliquid perfectissimo modo procedit processu intelligibili, tantò magis fit vnum cum eo, à quo procedit, & consequenter tunc erit perfectè simile, quando non solum erit simile intentionaliter, & repræsentatiue, sed etiam fiet vnum, & idem cum eo; Explicatur magis hoc S. Thom. dictum. Cum intellectus intelligendo fiat quodammodo ipsũ obiectum, quo perfectior erit intellectio, eo erit perfectior assimilatio cum suo obiecto; Tunc autem erit perfectissima assimilatio cum obiecto, quando fiet ipsum obiectum non solum secundum esse intentionale, sed etiam secundum esse reale, & formale. Cum igitur intellectio diuina Patris sit perfectissima, & infinita; ideò illa non est tantùm assimilatio repræsentatiua, & intentionalis sed realis, & formalis: Et ex hac radice S. Thom. optimè intulit, diuinam intellectioné esse generationem, cum per eam ex propria, & specifica sua ratione filio communicetur perfectissima similitudo sui obiecti primarij, quod est ipsa diuina essentia.

Quarto instatur. Amor ex sua ratione essentiali est vnitiuus, ergo si est infinitus in genere amoris, qualis est diuinus, erit infinitè vnitiuus, ergo fiet vnum, & idem cum re amata non secus, ac præstet diuina intellectio, ergo ex isto capite non rectè infertur diuinam intellectionem esse generationem, & non amorem.

Respondeo, Concedo totum Antecedens cum prima Consequentia, sed nego vltimas duas Consequentias, & ad euidentiam huius solutionis scito, quod volitio, seù amor, vt abstrahit à creata, & increata non dicit nisi impulsum, quare quò volitio, vel amor erit perfectior, eò erit perfectior impulsus, & ità infinitus amor facit quidem esse perfectam vnitatem, & identitatem cum suo obiecto, sed per modum impulsus. Cum autem amor, vt sic, non dicat assimilationem, ideò quantumuis augeatur, & per-

& perficiatur, nō habebis ex sua ratione reddere simile, vt habet intellectio. Et hinc est, quod processio per modū intellectionis est generatio, nō autem processio per vim amoris, vt fusius in tertio notabili dictum fuit.

Quinto instatur. Omne agens producit sibi simile; sed Pater, & filius sunt vnum agens per voluntatem, ergo dum producunt spir. sanc. producunt sibi simile in natura, ergo spir. sanc. erit vtriusque filius.

Respondeo omissa satis obscura solutione *Caiet. in hoc articulo*, dico illam maximam non habere locum in causa æquiuoca, nec item in potentia auditiua, tactiua, aut motiua, quæ producit vbi, quod est in alio Prædicamēto; Ipsa autem est in Prædicamento qualitatis. Nec similiter valere in agente per appetitum tàm sensitiuū quàm rationalem, cuius operandi modus est per impulsum, & naturale pondus in obiectum, non autem per modum assimilationis cum suo obiecto.

Sexto instatur. Sicut similitudo est de ratione Verbi, ità est de ratione amoris, quia omne animal diligit sibi simile, vt dicitur *Ecclesiast. 13.* Si igitur Verbum generatur ratione similitudinis, etiam Sp. sanc. generatur, quia procedit per viam amoris.

Respondeo cum *S. Thom. art. 4. ad 2.* quod similitudo aliter pertinet ad Verbum, & aliter ad amorem; Nam ad Verbum pertinet in quantum ipsum est quædam similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis; sed ad amorem pertinet, non quod ipse amor sit similitudo, sed in quantum similitudo est principium amandi; Vnde non sequitur, quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.

Septimo instatur licet amor non sit similis rei amatæ, est tamen similis voluntati, à qua vt à principio procedit, quia sicut voluntas est inclinatio ad bonum in actu primo, ità amor est inclinatio ad bonū in actu secūdo; sed Spir. sanc. procedit vt amor, ergo spir. sanc. ex vi suæ processionis erit similis suo principio, atq; adeò erit filius, & eius productio erit generatio.

Respondeo Amorem esse similem voluntati solum similitudine quadam proportionis; Non autem similitudine formali, cum specie differant; ad generationem autem non sufficit quæcunque similitudo, sed requiritur similitudo in eadem forma.

Octauo instatur. In humanis filius dicitur similis Patri ex vi suæ processionis, quia vi generationis recipit naturam Patris in specie eandem: sed spir. sanc. ex vi suæ processionis recipit eandem numero Deitatem Patris, & filij, ergo spir. sanc. erit verus filius. Minor probatur. Sp. sanc. ex vi suæ processionis procedit vt Deus, ergo procedit, vt consubstantialis suo principio, ergo ex vi suæ processionis habet, quod sit formaliter similis suo principio, & consequenter quod sit filius. Consequentiæ sunt claræ. Antecedens probatur, spir. sanc. ex vi suæ

pro-

processionis est substantia increata, ergo est Deus.

Respondeo concessa Maiori, nego Minorem. Ad probationem nego Antecedens: Nam spiritus sanctus ex vi suæ processionis non procedit vt Deus simpliciter, sed vt Deus spiratus; & ideò est consubstantialis suo principio, sed modo sibi proportionato, scilicet per modum perfectissimi impulsus; Non autem est consubstantialis, aut Deus ex vi termini formalis requirentis per se similitudinem in natura, vt contingit in Verbi diuini processione. Ad generationem autem requiritur, vt terminus generationis ex proprio modo suę processionis habeat assimilationē in natura cum suo principio, quod non contingit in spiritu sancto, qui producitur per amorem non requirentem per se similitudinem cum suo principio. Ad maiorem huius rei euidentiam scito, quod filius in Diuinis est Verbum, Verbum autem ex vi suæ processionis, vt terminus formalis illius est similitudo, & ità Verbum diuinum erit perfectissima Patris similitudo, quæ illum perfectè repræsentat: at spiritus sanctus, nec Patrem, aut filium repræsentat, nec ex specifica sua ratione habet, quod sit similitudo, sed solum quod sit perfectissimus impulsus.

Nono Instatur. Quod procedit simile generanti ex vi suæ processionis est genitum, & filius; sed spiritus sanctus hoc modo producitur, ergo, &c. Probatur Assumptum. Quidquid habet spir. sanc. id totum habet ex vi suæ processionis, sed spir. sanc. habet eandem naturam Patris, & filij; ergo habet eam ex vi suæ processionis, & consequenter eius processio erit generatio.

Respondeo concessa Maiori nego Minorem. Ad probat. nego Maiorem, vel claritatis gratia illam distinguo. Aliud enim est dicere; Si sp. sanc non produceretur, illud totum, quod habet, non haberet, atque adeò non esset Deus, sicut est Pater, & filius; & hoc verum est Aliud est dicere, Quidquid habet spir. sanc. totum id habet formaliter ex vi suæ processionis, siuè secundum rationem genericam, siuè secundum rationem specificam consideratæ; & hoc nego: Nam vt supra dictum est, spir. sanc. neq; vt amor, neq; vt talis amor habet, quod sit Deus Patri, & filio similis, sed habet solum quod sit perfectissimus impulsus; ex parte autem subiecti, in quo talis processio reperitur, habet quod sit Deus; quia quidquid est in Deo, Deus est, vt ex tertio notabili clarius constat.

Decimo, & vltimo instatur. Melior est processio per generationem, quam per non generationem; quia esse per generationem est perfectio maxima processionis; & ideò Verbo diuino conuenit. Si igitur sp. sanc. nō procedit per generationem, sequitur, processionem filij esse multò magis perfectā processione sp. sanc. Et cōsequenter sp. sanc. esse Filio inferiorē.

Ref-

Respondeo distinguendo Maiorē. Processio via generationis est melior negatiuè, idest nullus modus producendi perfectior reperitur, quam modus producendi per generationem, cō cedo: non autem est melior positiuè, quatenus modus procedendi per generationem positiuè excedat in sua perfectione quemcunque alium procedendi modum, & sic processio Spir. sanc. etsi non sit generatio, est tamen æquè perfecta, ac sit processio filij per viam generationis.

QVÆSTIO XXVIII.

DE DIVINIS RELATIONIBVS.

DISPVTATIO VIII.

An in Diuinis sint relationes reales originis secundum proprium conceptum relationis, scilicet secundum esse ad S. Th. Art. Primo.

Argumenta contra realitatem Diuinarum relationum.



PROBATVR in diuinis relationes originis non esse reales. Primo ex *Damasceno li. 1. de Fide c. 11.* vbi dicit, *in supersubstantiali Trinit. commune quidem, et vnum re consideratur; cognitione verò, & intellectu est quid diuersum, vel distinctum;* sed distinctio personarum fit per relationes, ergo relationes in diuinis sunt rationis non reales.

Secundo. *Boet. lib. de Trinit.* ait, *quod cum quis Prædicamenta in Diuinam verterit prædicationem, cuncta mutantur in substantiam, quæ prædicari possunt. Ad aliquid vero omninò nō potest prædicari*, sed si relatio esset in Deo realiter, vtiq; de Deo posset realiter prædicari, ergo &c. Et eodem lib. circa finem dicit, *similis est relatio Patris ad filium, et vtriusque ad Spir. sanc. scilicet vt eius, quod est idem ad id quod est idem;* sed relatio identitatis non est realis, sed rationis, ergo etiā diuinæ relationes non erunt reales, sed rationis.

Tertio omnis realis relatio posito fundamento, & termino fit per quandam resultantiam, sed relatio in diuinis nō potest fieri per resultantiā; quia hoc dicit imperfectionem, ergo, &c.

Quarto relatiua sunt simul natura, & intellectu; sed persona Patris in primo signo rationis est, antequam generet ac habeat filium, ergo Pater nō dicit realem relationem ad filium. Minor probatur. Nam actiones sunt supposirorum, ergo actio generatiua Patris præsupponit personam Patris iam constitutam.

Quinto sicut Deus est realiter Creator, & Dominus Creaturarum, & tamen nulla est in Deo relatio realis sed solum in Creaturis, ità similiter prima Persona poterit dici Pater, eo ipso,

quod est principium filij, etiamsi ipse ad filiũ nõ referatur, sed filius ad Patrẽ.

Sexto perfectum est, cui nihil deest, sed substantia diuina est perfectissima, ergo nihil, quod ad perfectionẽ pertineat, ei deest. Superfluum est igitur ponere in Deo relationes reales.

Septimo omne id, cuius esse est necessarium, est absolutum, sed diuinæ Personæ habent esse necessariũ, quia non possunt non esse, ergo diuinæ Personæ nõ includunt relationes reales. Maior probatur. Illud, quod est ens necessariũ, etiam remoto quocunque alio potest esse, sed relatiuũ non potest esse sine suo Correlatiuo, ergo omne ens necessarium est absolutum, non relatiuum. Confirmatur nam si in diuinis essent relationes reales, esset etiam dependentia realis, sed hoc est impossibile, quia dependentia dicit imperfectionem; omnis autẽ imperfectio est a Deo semouenda. Probatur sequela. Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, cũ totum esse relatiui sit ad aliud se habere, ergo inter correlatiua est mutua dependentia, Et sic etiam hæc dependentia in diuinis reperiretur, quæ prorsus repugnat.

Opinio Haruei circa naturam relationis, tàm creatæ, quàm increatæ.

In hac difficultate sunt quinque sententiæ. Prior est *Haruei Quolib. 10. quæst. 1. Et in 1. dist. 30. ar. 1.* dicentis relationem realem prædicamentalem (& idem etiam de diuinis relationibus philosophari debet) præter formas absolutas, seù præter fundamentum, & terminum solum esse extrinsecam quandam denominationem consurgentem ex positione fundamenti & termini; Nec esse realem habitudinem mediam inter fundamentum, & terminum.

Opinio Aureoli de eadem natura relationis.

Secunda sententia est *Aureoli apud Capreolum in 1. dist. 30. quæst. 1. art. 2.* dicentis relationem esse quidem mediam quandam habitudinem inter fundamentum, & terminum, sed hanc esse ab intellectu fabricatam, habentem tamen in re ipsa fundamentum illam fabricandi. Quare secundum istũ Auctorem, relatio similitudinis inter duo alba vel solum dicit ipsas albedines, & præter ipsas extrinsecam denominationem, secundum quam vnum album dicitur alteri simile, vel præter ipsas albedines ista similitudo nil aliud dicit, nisi actum intellectus tribuentem hoc nomen simile vni albo per conformium alterius albi.

Opinio Caietani, & Torres.

Tertia sententia est *Caiet. & Torres in hoc art.* qui dicunt in relatione duo esse cõsideranda. Primum esse *in*, quod habet ex eo, quod omnis relatio creata est accidens, cuius esse est inesse. Secundum esse *ad*. Dicunt igitur relationem non esse realem secundum esse *ad*, sed solum secundũ esse *in* quod in Diuinis transit in substantiam. Fundamentum est, quia *ad*, vt *ad* solum habet

bet respicere terminum, sed respicere terminum conuenit etiam relationibus rationis, ergo ratio *ad* vt *ad* nō est realis? Porrò etsi isti Auctores dicant *Ad aliquid* Prædicamenti realis constitui per *ad* vt est commune enti reali, & rationis; non tamen audent expressè affirmare relationes diuinas secundum esse *ad* non esse reales, quin potiùs *Torres q. 28. ar. 2. disp. 3. §. & reor Capreolum* id expresse negat. Solus ergo inter Scolasticos *Capreolus in 1 dist. 33. quæst. 1. ar. 3. ad 1. & 3. Aureoli contra tertiam Conclusionem* asseruit relationes diuinas secundum esse ad non esse reales, sed solum secundum esse In, quod in Diuinis transit in substantiam.

Opinio Nominalium.

Quarta sententia probabilis est relationem realem Prædicamentalem, præter formas absolutas dicere realem aliquam habitudinem mediam inter fundamentum, & terminum, sed hanc non esse à suo fundamento nisi ratione ratiocinata distinctam. Ità Nominales, quos sequitur *Suarez tom. 2. Metaphisicæ disp. 47. sec. 2.* & habet fundamentum *in S. Thom. 5. Phis. lec. 3. & in Opusculo 48. de Prædicamentis tract. de Prædicamento Ad aliquid*, vbi sic inquit *Non esse intelligendum, quod similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum*; Si enim similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione; fit autem aliquis alicui similis sine sui mutatione, vt patet. Nam si quis in India fieret modo albus, fieret similis mihi, & ego illi nulla facta in me mutatione. Differt autem hæc sententia ab illa Hæruei, & Aureoli; Nam Hęrueus volebat, relationem non esse habitudinem mediam, sed extrinsecam denominationem; at hæc sententia ponit relationem esse mediam habitudinem, & hanc consistere in intrinseca denominatione consurgente ex positione alterius termini. Insuper Aureolus ponebat quidem relationem esse mediam habitudinem, sed fabricatam ab intellectu; at hæc sententia docet hanc relationem esse realem, & existere in rebus ipsis nullo cogitante intellectu, sed tamen non esse distinctam à suo fundamento; itaut relatio intercedens inter Patrem, & filium nihil aliud sit, quam persona Patris connotans personam filij, vt à se productam, & relatio inter duo alba sit ipsum album connotans aliud album eiusdem speciei.

Opinio D. Thomæ, & Thomistarum.

Quinta sententia est relationē Prędicamentalem esse rem aliquam, vel saltem modum fundamento superadditum, ab ipsoq; re, vel ex natura rei distinctum. Hæc est sententia *S. Thom. hic ar. 2. ad 2. & de potentia q. 8. ar. 2.* vbi docet relationem in Creaturis facere cōpositionem, & esse rem

aliam à suo fundamento, secus autem in Diuinis, ex quo patet, retractasse sententiam, quam iuuenis locis supcit. docuerat. Eandem doctrinam sequitur *Cai. hic ar. 2. Ferr. 4. contra Gent. c. 14. Sotus in Prædicam. ad aliquid Iauel. 5. Metaph. quæst. 22.*

Prima Propositio contra Herueum, & Aureolum.

Respondeo primo relationem realem non esse extrinsecam denominationem, aut actus intellectus, sed realem habitudinem mediam existentem in rebus nullo cogitante intellectu, & connectentem fundamentum cum suo termino. Hæc est contra primam, & secundam sententiam. Et probatur breuiter. Tùm, quia secundum priores opiniones relatio non esset verum genus entis, nec reale Prædicamentum constitueret. Nam præter absoluta relatio nihil esset nisi vel denominatio extrinseca, vel ens rationis. Tùm quia intellectus concipiens duo alba existere, nundum concipit illa vt similia, dum ergo concipit illa vt similia, sanè aliquod obiectum reale habet præter formas absolutas, at hoc obiectum est ista realis habitudo medians inter fundamentum & terminum. Tùm quia res creata fit de non relatiua realiter relatiua, ergo fit relatiua per aliquam formam realem.

Secunda Propositio contra Nominales.

Respondeo Secundo relationē Prędicamentalē plusquam ratione ratiocinata distingui à suo fundamento. Hæc est *S. Thom. contra Nominales, & Suarez.* Probatur relatio Prędicamentalis est aliquid reale ex prima conclusione, sed hoc reale nō est realitas fundamenti, aut termini, ergo erit aliquid ab illis in re distinctū, Minor patet ex eo, quia tota realitas fundamenti manebat sine ista relatione, ergo relatio non est realitas fundamenti.

Respondebis Realitatem relationis non esse solum formam absolutā fundamenti, sed esse hanc vt connotantem suum terminum.

Sed contra. Nam vel ista cōnotatio est actus intellectus, vel denominatio quædam extrinseca, vel est aliqua forma realis, quæ de nouo fundamento aduenerit. Primum, & secundum dici non potest, vt patet ex dictis contra primam, & secundam sententiam. Si autem dicatur tertiū, habemus intentum. Nam sub isto nomine cōnotationis forma ipsa realis relationis, quæ de nouo fundamento aduenit, verbis obnubilatur, Confirm. Nullum clarius signum distinctionis modalis esse potest, quā cum aliquid potest esse sine alio, sed album modo est simile, modo non est simile alteri albo, ergo relatio similitudinis distinguitur ex natura rei à suo fundamēto.

Confirmatur secundo. Impossibile est Contradictoria de eodem successiuè affirmari, vel negari absq; aliqua sui mutatione, secus duæ propositiones de eodem respectu eiusdem essent simul veræ, & falsæ, sed album

modo

modo non habet relationem albedinis, siue similitudinis ad aliud album, modo eam habet, ergo facta est in albo, quod de nouo refertur, aliqua realis mutatio, & consequenter relatio saltem erit modus, qui de nouo illi aduenit.

Secundo probatur ex *Arist. 1. Physic. t. 62.* vbi *relatio sicut quantitas, & qualitas, etc. generatur secundum quid*, sed quod generatur secundum quid, habet propriam realitatem. ergo, &c.

Tertio Causa & Effectus distinguuntur plusquam ratione ratiocinata, sed fundamentum est causa relationis; nam posito fundamento & termino resultat relatio, ergo, &c.

Quarto relatio est intrinseca habitudo ad aliud, cuius totū esse est esse ad aliud; sed posito vno albo, forma albedinis alterius albi, cum sit quid absolutum, non est realis, & intrinseca habitudo ad aliud album, ergo præter formas absolutas necessariò assignandum est aliquid ab illis in re distinctum, quod sit realis, & intrinseca habitudo ad aliud, nullo prorsus cogitante intellectu.

Dices primo si relatio esset aliquid à fundamento distinctum, adueniret fundamento cum sui mutatione, at hoc est contra *Aristot. 5. Physic. t. 10.*

Respondeo *Arist.* solum velle ad relationem non dari per se motum, vel mutationem immediatè, sed median tè absoluto, non enim producitur immediatè relatio similitudinis, sed media productione vnius albi resultat in alio albo relatio similitudinis.

Dices secundo si relatio esset modus, non implicaret à Deo auferri, ponamus igitur, quod ab illo tollatur, tunc esset relatio, & non esset; Non esset ex suppositione, quod tollatur, esset autem, quia impossibile est manentibus duobus albis, illa non esse inter se similia.

Respondeo primo manente fundamento, & termino, fortè non posse tolli relationem etiam per absolutā Dei potentiā, quia sicut non potest tolli vnum correlatiuū ab alio, à quo realiter distinguitur manente relatione: ità implicat tolli relationem, manente fundamento, & termino; quia stante termino, fundamentum ex principijs intrinsecis habet, quod respiciat terminum.

Respondeo secundo & melius. Transeat posse tolli illam relationem. Et cum arguitur tunc etiam fore similia; distinguo; vel relatione fundamentali, vel formali. Primum concedo; secundum nego. Nam ablata relatione non manet amplius formalis similitudo, sed tantū fundamentalis.

Tertio dices. Inexplicabile est, quo modo posito vno albo in rerum natura, omnia alia alba loco remotissima acquirant nouam relationem similitudinis, quæ sit modus; Nam vel hæc relatio producitur a termino in fundamento & hoc non propter eorum distantiam, cum vnum sit in India, alterū in Sabaudiā. Vel producitur à fundamento, & hoc neque

que: Nam quorsum exigit terminum in India existentem, vt talem relationem producat?

Respondeo posito termino natura sua pullulare hanc relationem à fundamento, vt à causa, non secus ac posita anima pullulent eius potentiæ; Neque mirum est ad productionem relationis exigi existentiam termini; cum relatio essentialiter illum respicere debeat, & ipso posito cum ratione fundandi relationem sint omnia requisita ad eius resultantiam, vnde hoc argumentum potius ostendit, relationem non esse aliquid reale, quam non esse modum.

Tertia Propositio contra Caietanum, & Torres.

Respondeo Tertio relationem Prædicamentalem non solum secundum esse *in*, sed etiam secundum esse *ad* esse realem. Hæc est contra *Caiet. & Torres*; sed nostram sententiam sequitur *Socin. lib. 4. Metaph. quæst. 6. Bannes, Zumel, Molina. & Vasq. in hoc ar.* Et fauet *D. Thom. in 1. dist. 21. quæst. 1. art. 4. ad* 3. Et probatur primo. Relatio Prædicamentalis secundum id debet esse realis, secundum quod cõstituit reale genus entis, sed non constituit prædicamentum reale secundũ esse *in*, sed secundum esse *ad*, quæ est propria ratio relationis, ergo secundum esse *ad* erit realis.

Secundo forma, cuius effectus formalis est realis, etiam ipsa realis erit, sed effectus formalis relationis est realiter respicere terminum, hoc autem dicit *ad*: ergo relatio vt dicit *ad*, est realis.

Tertio Relatio, vt dicit *in*, est realis per Aduersarios, ergo etiam vt dicit *ad*: Probo Consequentiam. Relatio, vt dicit *ad* formaliter includit *in*, licet non ità expresse à nobis concipiatur, ergo si relatio est realis secundum esse *in*, talis etiam erit secundum esse *ad*. Antecedens patet; Nam si ly *ad* non includit *in*, sequitur, quod relatio secundum esse *ad* nihil esset in rerum natura; quia vt sic non est substantia, vt clarum est; Neq; est accidens, quia non inest, ergo esset nihil. Confirmatur omne prædicatum superius, & transcendens imbibitur in quibuscunque subiectis inferioribus, sicut ratio entis imbibitur in quibuscunq; differentijs entis, sed ratio accidentis est prædicatum superius, & transcedens, ergo vagatur per nouem prædicamenta, ergo imbibitur in relatione etiam secundũ quod dicit *ad*, & consequenter relatio, vt dicit *ad*, erit realis.

Neque vrget fundamentum Caiet. quod *ad* vt *ad* sit commune etiam relationibus rationis: Tùm quia relatio sola voce, & merè æquiuocè cõmunis est relationibus realibus, & rationis, non secus ac homo viuens, & homo mortuus in sola hominis voce conueniant. Tùm quia etiamsi daretur aliqua ratio communis relationibus realibus, & rationis, nego tamen *ad* vt *ad* prædicamenti realis esse aliquid commune relationibus

reali-

realibus, & rationis, sed in prædicamento reali reale erit.

Maior difficultas manet; Quia *D. Th.* Caietanisticę sententię adhærere videtur, *Nam quęst. 7. de Potentia art. 9. ad 7.* ait. *Quod ipsa relatio, quæ nihil aliud est, quam ordo vnius creaturæ ad aliam, aliud habet in quantum est accidens, & aliud habet in quantum est relatio, seù ordo. In quantũ enim accidens est, habet quod sit in subiecto, nõ autem in quã tum est relatio, vel ordo, sed solum, quod aliud sit quasi in aliud transiens, & quasi rei relatæ assistens; & ità relatio est aliquid inhærens, licèt non ex hoc ipso, quod est relatio; sicut actio ex hoc, quod est actio, consideratur vt ab agente; vt verò est accidens, consideratur vt in subiecto agente.* Et in 1 dist. 26. quæst. 1. art. 2. ad 3. ait *relationem ex eo quod est ad alterum non habere, quod sit res quædam, sed secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur, sicut Deus est substantialiter sapiens, sed quod sit talis, non habet à sapientia, vt sic; sed à sapientia habet, quod sit sapiens, ab essentia, quod sit substantialiter sapiens.* Idem repetit quæst. 7. de Potentia art. 8. & hac q. art. 2. ad 1. ait. *Relationes creatas secundum esse relationis esse rebus extrinsecus existentes, & affixas* ...

Respondeo ex eodem *S. Thom. dis. illa 26. in* (. ex. a. l 4. apertè colligi relationem secundum esse ad esse realem. Idem probatur ex *1. par. quæst. 34. art. 3 ad 3.* vbi concedit, *hoc nomẽ res vt importat relationẽ pluraliter de Deo prædicari, singulariter verò, si comparetur ad essentiam.* At si relatio diuina solum est realis, quatenus identificatur cum essentia, non possent in Diuinis esse tres res, quas tamen etiã *S. August.* concedit *lib. de Doctrina Christiana cap. 1.* dum ait. *tres res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus,* & in 1. dis. 25. quęst. 1. art. 4. ad 3. inquit, *quod relatio secundum quod est relatio, ponit aliquid in re, licèt illud non sit quid absolutum.* Quare dum oppositum dicere videtur, loquitur non de relatione secundũ rem, sed de nomine ipso relationis, quod non est res, vt exponit *Vasq. disp. 114. c. 3.* At quis sibi persuadebit D. Th. factum esse *Nominalem?* aut quomodo tot eiusdem distinctiones de solo nomine relationis verificantur?

Melius igitur dicunt aliqui D. Th. loqui non de relatione reali, sed de relatione in tota sua analogia, vt abstrahit à relatione reali, & rationis, quę vt sic non est res, neque accidens. At neque hoc dici potest; Tùm quia verba super relata eiusdem S. Th. opposi- tum conuincunt. Tùm quia, vt supra dictum est, sicut non datur aliquid commune enti reali, & rationis; Ità non potest dari aliquid commune relationi reali, & rationis, nisi solum nomen, cum merè æquiuocè inter se conueniant.

Respondeo igitur S. Th. loqui de relatione reali, vt præcisè dicit ad, voluitq; *S. Doctor* constituere discrimen inter alia Prædicamenta accidentis, & inter relationem, quod effectus alio-

aliorum accidentium sunt per solam inhæsionem, & comparationem ad substantiam; At relatio secundum expressā suā significationem non habet inesse subiecto, sed quasi transferre subiectū ad suum terminum, & in hunc illud conuertere. Et in hoc sensu dixit *S. Thomas* creatas relationes esse quasi subiectis assistentes, quatenus cum alia Prædicamenta absoluta, vt Quantitas, & Qualitas significent naturas, & realitates, vt subiectis alligatas, nec extrà illa egredientes: Relatio ex opposito significat rem quasi in transitu, & egressu à subiecto ad suum terminum, ac proinde quasi subiecto nō alligata, sed solum illi assistens videtur. Quæ responsio colligitur ex eodem *S. Thom. quæst. 8. de Potentia art. 2. in C.* quare cum idem *S. Thom.* dicit, relationes esse reales ratione fundamēti, in eodem sensu est exponendus. Vel dic, quod relationes sint reales per fundamentum causaliter, non formaliter; Nam si relatio creata est alia res à fundamento vt inquit *hoc art. 2. ad 2.* & sequuntur omnes illi Thomistę supra relati, quomodo S. T. potuit velle relationem esse realem solum ratione fundamenti? Alium igitur sensum, ac verba sonant, D. Th intendebat, qui alius esse non potest, nisi ille à nobis mox explicatus.

Quarta Propositio Relationes diuinas esse reales.

Respondeo Quarto directè ad quęstionem in Tit. propositam, in Diuinis necessariò ponendas esse relationes, quæ sint reales habitudines inter Personam producentem, & productam. Hæc Conclusio est de Fide definita *in Concil. Tolet. 2. in Edicto Iustiniani Imp. & in Tolet. 2. in Confess. Fidei,* & in *capite Firmiter de sum. Trinit. & Fid. Cath.* idem etiā docuerunt Patres, vt *August. lib. 1. de Trinit cap. 8. Ansel. lib. de Process. Spir. sanc. Boetius lib. de Trinit. circa finem,* vbi dicit, *sola relatio multiplicat Trinitatem.*

Secundo Probatur tribus S. Th. rationibus, quarum duas habet in hoc art. & tertiam tangit *quæst. 8. de Potentia art. 1.* Prior est. Prima persona est realiter Pater: & secunda realiter filius, sed Pater est Pater per paternitatem, & Filius per filiationem, ergo relatio paternitatis, & filiationis sunt in Diuinis reales. Minor est nota ex terminis, Maior est de Fide, & fusius supra probata.

Secunda ratio est, Vbi est origo vnius ex aliquo, quorum ambo sunt eiusdem ordinis, ibi est relatio realis; sed in Diuinis vna persona ab alia originē trahit, & sunt eiusdem ordinis, immò eiusdem naturæ, ergo, &c. Minor patet ex Script. alibi relatis. Maior colligitur ex *Arist. lib. 5. Met. cap. de relatione*, vbi enumerat tria fundamenta Prædicamentalis relationis, Quātitatem, actionem, & passionem, sed in diuinis est actio immanens, ergo & relatio realis. Confirmatur. Perfectior est generatio in Diuinis, quàm in Creatis, sed ad generationē in crea-

tis

tis sequitur relatio realis Patris, & filij, ergo multò magis in Diuinis.

Tertia Personæ in diuinis realiter distinguuntur, sed non distinguuntur per aliquid absolutum, ergo per aliquid relatiuum, ergo dantur in Deo relationes. Minor probatur. Quidquid absolutè in Diuinis prædicatur, significat essentiam, si igitur Personæ distinguuntur per aliquid absolutum, sequitur eas distingui per essentiã, quę fuit *hæresis Ariana*. Relinquitur, ergo quod distinguãtur per relationes reales; Si enim distinguerẽtur per solas relationes rationis, Pater, solâ ratione varijs dumtaxat nominibus à Filio, & Spiritu sancto distingueretur, quę fuit *Hæresis Sabelliana*.

Quinta Propositio. Relationes diuinas esse reales, etiam secundum esse Ad.

Respondeo quinto, & directè ad quæstionem. Relationes in diuinis esse reales etiam secundum esse *ad* consideratas; Hæc Conclusio non est de Fide definita, vt præcedens, arbitror tamen eandem ferè habere certitudinẽ, adeò vt opposita sententia periculosa satis in Fide mihi videatur. Probatur primo ex dictis. Relatio creata secundum esse *ad* est realis, ergo multò magis Diuina. Secundo Si relationes in Diuinis secundum esse *ad* non essent reales, totum sanctiss. Trinitatis Mysterium funditus euerteretur; Nam Pater, vt refertur ad Filium dicit, *ad* & secundum esse *ad* non esset aliquid secundum istam sententiam. Similiter nec Filius, nec Spir. sanctus, vt referuntur ad Patrem, essent aliquid, sed solum, vt dicunt essentiam, ergo in Diuinis sola diuina essentia reperitur. Confirmatur. In Deo solùm est essentia, & relationes, sed relationes, vt dicunt *ad*, nihil essent, sed solum essent aliquid, vt dicunt substantiam Dei, ergo in Deo solum est diuina essentia, & non relationes, neque esset Personarum distinctio, quæ sumitur à relatione, vt dicit esse *ad*, quod est totam Trinitatem euertere.

Refringuntur argumenta opposita.

Ad Primum respondetur cum *D. Th. quæst. 8. de Potentia art. 1. ad 1. Damascenum solum* velle in Diuinis Personis esse vnitatem ratione essentiæ, distinctionẽ verò ratione, idest relatione, quam sic appellauit *Damascenus*; quia non differt ab essentia rei, sed solum ratione.

Ad Secundum omissa *D. Th. resp. ble ad 1.* quæ difficilis est, vt ostendit *Suar. lib. 5. de Trin. c. 1.* nec tamen ipse affert meliorem, posse exponi *Boet.* sic, *Ad aliquid non prædicatur de Deo substãtialiter*, idest nõ essentialiter in primo vel secundo modo dicendi per se; Sicuti prædicantur omnia alia Prædicamenta, quæ in diuinã vertuntur prędicationem. Vel dic *Boetium* velle ad aliquid non prędicari de Deo vt vnus est, prędicari verò de Deo vt trinus est, cum ipse eodem lib. dicat per relationes Trinitatem multiplicari. Ad secũdum locum dico cum *S. Th. q. 8. de Po-*

tentia ar. 1. ad 2. quod relatio, quæ est in diuinis Personis, habet quidem similitudinem cum relatione identitatis, si vnitas essentia consideretur, sed si consideretur origo vnius ab alio in eadem natura, ex hoc oportet relationes prędictas esse reales. Ab hac responsione parũ differt alia eiusdem *S. Th. hic ad 2.* vbi docet, *Boetium*, solũ velle, quod sicut relatio eiusdem, ad se ipsum non diuersificat essentiã: Ità relationes Patris, & Filij non diuersificant essentialiter naturam diuinã, & in hoc solo comparauit *Boetius* relationem identitatis ad idem cum diuinis relationibus.

Ad tertium respondeo, Personam Patris prius à nobis intelligi esse, quã quod generet, at in re ipsa Pater, Generatio, & Filius sunt simul natura, & intellectu; Vel dic Paternitatem posse dupliciter considerari, vel vt est quædã forma hyppostatica, seù personalis; & hoc modo constituit personam Patris: Et in hoc etiam sensu Pater intelligitur prius esse, quam quod generet: Si autem consideretur paternitas, vt refert ipsam personam Patris subsistentem ad filium, tunc simul est natura, & intellectu cum Filio, & supponit ipsã personã Patris in esse personali constitutã, vt alibi latius dicemus.

Ad quartum respondeo in creaturis relationem esse per resultantiam, quia est accidens, quod supponit personam iam perfectè constitutam in suo esse, & ideò fiunt per quandam efficientiam. at diuinæ relationes nõ sunt accidentia, sed formæ hyppostaticæ, ideò non fiunt per resultantiam.

Ad quintum respondeo esse diuersitatem, quia Personę diuinæ sunt eiusdem ordinis, at Deus, & Creatura sunt diuersi ordinis, & ideò inter has non est relatio, realis sicut inter diuinas Personas reperitur; Ità *S. Th. hic ad 2.*

Ad sextum. Verum relatio in diuinis dicat perfectionẽ, alibi dicemus. Interim dic cum *S. Th. quæst. 8. de Potentia ar. 2. ad 8.* quod substantia Dei esset imperfecta, si aliquid ei inesset, quod non esset ipsa; at relatio diuina est ipsa substantia eius; & ideò neque est superflua, neq; diuina essentia ab alio, quam à seipsa sumit suam perfectionem.

Ad septimum respondeo, id, quod habet esse necessarium, non refertur ad aliud quod sit extraneum ab ipso, nihil tamen prohibet, ipsum referri ad aliud intra ipsum manens; Vnde illud esse necessariũ, quod habet, non illud habet per aliud; sed per se ipsum. Ità *D. Th. q. 8. de Potentia ar. 1. ad 10.* Quare in forma ad argumentum nego Maiorem. Nam ens necessarium potest simul esse absolutum, & relatiuum. Ad probationem respondeo, illam maiorem propositionẽ verificari de Ente necessariò absoluto, non de ente necessariò relatiuo. Vel dic Ens necessarium posse esse quocunq; alio remoto; Si hoc aliud habeat esse distinctum ab ipso; non tamen si habeat idem esse cum ipso, vt contingit in Diuinis, vbi omnes relationes habent idẽ esse diuinæ essẽtię.

Ad

Ad confirmationem nego interuenire in Diuinis dependentiã; aliud enim est, vnum correlatiuum neque esse, neque intelligi posse sine suo correlatiuo ob mutuam connexionem inter ipsa; aliud est, esse vnius physicè ab alio pendere. Primum habet locum etiam in Diuinis, at secundum neq; habet locũ in Diuinis neq; in creatis. Nõ in Diuinis, quia idem non pendet à se ipso, sed esse Diuinarũ relationũ est idem, scilicet esse diuinæ essentiæ, cum qua penitus identificatur, neq; in Creatis, quia omnis causa, a qua esse alterius pendet, est natura prior suo effectu. At correlatiua sunt simul natura, & cognitione, ergo esse vnius cor relatiui non potest physicè pẽdere ab alio correlatiuo.

DISPVT. IX.

An inter Diuinam essentiam, & relationes detur aliqua actualis distinctio in re ipsa ante omne opus Intellectus.

S. Thom. art. 2.

Pars affirmans probatur primo. Quando duo ità se habent, vt vnum in aliquo supposito sine alio inueniatur, tunc distinguuntur inter se in re ipsa, ante opus intellectus, sed diuina essentia est in quolibet supposito diuino; Paternitas autem non est in Filio, nec filiatio in Patre, & Sp. sanc. nec spiratio passiua in Patre, & Filio, ergo inter has relationes, & diuinam essentiam est distinctio aliqua realis, vel modalis. Maior probatur. Nullum maius signũ distinct. in re ipsa habemus, nisi cùm vnũ extremũ potest esse sine alio, sed diuina essẽtia est in filio sine paternitate, ergo paternitas à diuina essẽtia re ipsa distinguitur.

Secundo Pater, & Filius differunt inter se realiter, vt est de Fide. Aut igitur differunt sola realitate diuinę essẽtiæ, aut aliã ab ipsa. Non primum, quia sic different Deitate, & sic essent plures Dij; si autem dicatur secundum habetur intentum. Nam illa alia realitas est paternitas, & filiatio, ergo paternitas, & filiatio dicunt aliam realitatem à realitate diuinæ essentiæ, & cõsequenter non sunt à parte rei idem.

Tertio Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; sed relationes sunt idem cum diuina essentia, ergo sunt eædem inter se, & sic Personę nõ distinguerẽtur inter se realiter, sed per solã rationẽ, quę est hęresis Sabelliana

Quarto Quod est realiter pluribus communicabile, non potest esse id, quod est realiter incommunicabile, sed diuina essentia est realitas plurib. personis cõmunicabilis, Paternitas autem est realiter incõmunicabilis, ergo diuina essentia, & paternitas non sunt idem. Confirm. Impossibile est, duo contradictoria de eodẽ respectu eiusdẽ verificari; sed si relatio esset eadem res cum diuina essentia, de eadem re contradictoria verificarentur. Nam essentia est ad se, relatio ad aliud, essentia est communicabilis, relatio incommunicabilis, essentia est vna, re-

lationes ſunt quatuor, Pater generat, eſſentia non generat, vt definitur in Capit. *Damnamus de ſumm. Trinit. & Fide Cathol.* At hæc omnia ſunt Contradictoria, ergo de eadem diuina eſſentia contradictoria verificarentur, ſi idem eſſet cum ſuis relationibus.

Quinto *Aug. 7. de Trin. cap. 1.* dicit; *quod omnis res, quæ relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo, ſeu relatione;* & ex hoc concludit in Patre præter paternitatem eſſe aliquid, ſcilicet eſſentiam, & cap. 6. inquit. *Quod Deus nõ ex eo Deus eſt, quo Pater eſt, ſed Deus eſt Deus Deitate, & Pater paternitate:* & Anſel. lib. de Proceſſ. Sp. ſancti c. 2. ait, *Non eſt idem, eſſe Deum, quod eſſe Patrem,* ergo Paternitas, & Deitas à parte rei contradiſtinguuntur.

Sexto, Quæ differunt definitione, differunt & natura rei, ſed diuina eſſentia & diuinæ relationes differunt definitione, ergo differunt ex natura rei.

Septimo Probatur ex regula Anteprædicamentali, cum aliquid de aliquo prædicatur per ſe, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de ſubiecto, vt ſi homo eſt animal, & animal eſt viuens, vel ſubſtantia, etiam ſequitur hominem eſſe viuentem, & ſubſtantiam. Sed in diuinis paternitas includit eſſentiam, & de illa prædicatur, ergo filiatio includetur in paternitate, & de illa prædicabitur, ex quo ſequitur totum myſterium Trinitatis euerti.

Octauo Si eſſentia & paternitas ſunt idem, tunc iſta propoſitio eſſet vera, eſſentia eſt paternitas, vt etiam cõcedunt Aduerſarij. At hoc eſſe falſũ ex hoc ſyllogiſmo expoſitorio ſic probatur: Hæc eſſentia eſt paternitas, & nullo modo realiter differunt: Hæc eſſentia eſt filiatio, & nullo modo realiter differunt, ergo paternitas non differret realiter à filiatione, quod eſt hæreticum.

Referuntur quatuor Theologorum placita.

In hac difficultate, ſunt quatuor ſententiæ. Prima eſt *Gilb. Porretani Pictauienſis,* qui floruit tempore Eugenij iij. Pontif. & Conrad. iij. Imper. qui docuit, diuinas relationes, & perſonalitates eſſe tres res æternas ab inuicem, & ab eſſentia numero diſtinctas, eidem diuinæ ſubſtantię aſſiſtentes, non inhærentes; Vnde ponebat in Deo quaternitatem, ſcilicet tres relationes perſonarum, & diuinam eſſentiam realiter inter ſe diſtinctas, vt refert hic *S. Th. & S. Bernard. ſerm. 8. in Cant. & lib. de Conſid. ad Eugenium* & latius idem ſcribit *Prateolus verbo Gilbertus,* quidquid *Vaſq. hic. diſp. 120 c. 1.* velit Gilb. in hoc errore non fuiſſe, ſed in alijs, quos ipſe ex quibuſdam Hiſtorijs refert, ſed & iſtos, & illos habuiſſe veriſimilius eſt.

Secunda ſententia ponit diſtinctionem non quidem realem, ſed ex natura rei ante omne opus intellectus inter relationes & diuinam eſſentiã.

Ita

Ita *Scot. in 1. dist. 8. quæst. 1. & dist. 13 quæst. unica.* Et eandē distinctionē statuit inter diuina attributa & diuinā essentiā, *distinct. 8. quæst. 4. §. Circa tamen*. Idem senserunt Nominales, nec non *Durand. in 1. dist. 33. quæst. 1. num. 33* qui vocat hanc distinctionem non realem, sed quæ est inter rem, & modum rei.

Tertia sententia cōstituit talem esse identitatem inter relationes, & diuinā essentiam, vt nec re, nec ratione vllo modo distinguātur. Tribuitur *Aureol. in 1. dist. 2. & nonnullis Nominalibus*.

Quarta sententia verior docet diuinam essentiam, & relationes eandem habere realitatem, & identitatem, sed tamen inter se virtuali quadā distinct. distingui, quā aliqui appellant quidditatiuam, alij rationis ratiocinatæ, quæ non opponitur perfectæ identitati, & simplicitati diuinæ. Ità *D. Th. hic ar. 2.* quem non solum omnes eius Discipuli sequuntur, sed etiam alij extrà ipsius Scholā, vt *Torres hic disp. 3. Molin. Vasq. Greg. de Val. & Suar. lib. 4. de Trinit. cap. 4.*

Obseruationes pro explicanda D. Th. opinione.

Notandum primo, Quęcunq; inter se distinguuntur, distingui vel in re ipsa, vel per intellectum. Distinctio in re duplex est; alia vt res à re, alia vt res à modo. Distinctio per rationē duplex est, alia rationis ratiocinantis, quam facit intellectus nullo supposito fundamento in re ipsa, vt cum eundem conceptum de eadem re bis repetit, vt cum dicit, Syluius est idem sibi ipsi, & concipitur quasi duo, cum sit vnus. Vel distinguit vnum, vt subiectum, & aliud vt prædicatum si. Quare in hoc, & similibus casibus intellectus nil magis concipit in subiecto, quam in prędicato. Alia est distinctio rationis ratiocinatæ, quæ tunc contingit, quando vna res simplex non potest vnico conceptu adequatè exhauriri, & ideò vtimur pluribus conceptibus inadæquatis, quibus illam rem simplicem, quasi in plura obiecta partimur, cum in re ipsa vnum sint. Quare hæc distinctio nō est merè fictitia, & voluntaria, sed habet magnum in re ipsa fundamentum.

Notandū secundo Distinctionem quidditatiuam, essentialem, & formalem idem prorsus significare, & illa dicitur, quæ rei definitionem explicat, sed distinctionem formalem à *Scotistis* accipi pro distinctione ex natura rei, seu modali, quæ conuenit rei actu ante omne opus intellectus, a *Fonsec. lib. 5. Met. cap. 15. q. 2. sec. 5.* accipi pro distinctione actuali media inter modalem, & realem, quæ maior sit, quàm rationis. Ab alijs distinctionē formalem cōmuniter accipi pro distinctione rationis ratiocinatæ, eandē esse entiā in plures partes diuidentis, vt cū in eadem anima rationali mens nostra concipit esse substantiam, esse viuens, esse sensitiuum, &c. qui tamen

gra-

gradus per rationem distincti eandem animæ essentiam adæquatè constituunt. Hi conceptus dicuntur distingui formaliter, quibus respondent plures conceptus obiectiui, quorum distinctio in esse cognito oritur ex distinctione conceptuũ formalium. At Caiet. distinctionem inter diuinam essentiam, & relationes, vel inter attributa vocauit *Formalem non formaliter, sed eminenter, & virtualiter*, ità 1. par. q. 39. art. 1. & de Ente, & essentia q. 12; & alibi vocauit hanc distinctionem *virtualem, & eminentialem*. Pro cuius declaratione, quæ ad rem nostram valdè facit.

Notandũ est Tertio distinctionẽ rerũ duplicẽ esse, actualem, & virtualẽ: Actualis est ante opus intellectus, & supponit pluralitatem rerum quarum vna in re sit extra aliam, & reducitur ad distinctionem rei à re, vel rei à modo. Virtualis est eadem cum distinctio rationis ratiocinatæ, nihilque aliud dicit, quam pluralitatem perfectionum, quæ perfectam inter se vnitatem, & identitatem habeant iuxtà illud: *Quæ sunt dispersa in inferioribus congregantur in superioribus*. Quare virtualis distinctio ità dicitur, quia sua virtute præstat omne id, quod pręstat actualis distinctio demptis imperfectionibus. In actuali autem rerum distinctione duo sunt consideranda: vnum quod dicit perfectionem, aliud quod dicit imperfectionem; illud quod dicit perfectionem est id, quod conflatur ex rebus actu distinctis, per illas valdè perfici: illud, quod dicit imperfectionem est res illas subiectum suum ità perficere, vt vna perfectio non sit alia, quandamq; inter se compositionem facientes. Si igitur plures perfectiones in vna re simplicissima iungantur cum perfecta identitate inter se, illæ perfectiones non actu, sed virtute inter se distinguentur; quia ablatis imperfectionibus præstant omne id, quod præstat actualis rerum distinctio & sic in Deo contingit; Etenim sicut Deus, quia est virtualiter calidus potest calefacere quidquid potest calefacere ignis, sed demptis imperfectionib. & ideò Deus nõ calefacit per virtutem accidentalem caloris, vt facit ignis: Ità quia attributa, & relationes diuinæ sunt ab essentia virtualiter distinctæ, possunt præstare omne id, quod in creaturis pręstant plures perfectiones, sed demptis imperfectionibus, scilicet dempta rerum distinctione, quæ diuinę simplicitati opponitur. Et hinc est quod attributa, & relationes, etsi idem sint cum essentia, possunt oppositas, & contradictorias Enunciationes fundare ob istam virtualem distinctionem. Vndè sicut si Paternitas actu ab essentia Dei distingueretur, optimè intelligeremus, communicari essentiam, non communicata Paternitate: Ità quia Paternitas est virtualiter ab essentia distincta optimè intelligimus essentiam communicari non communicata Paternitate, Essentiam esse vnam, Relationes esse quatuor, Iustitiam non esse

se

& Misericordiam, & sic de ceteris attributis.

Notandum quarto. Omnia argumenta pro parte opposita allata solum probare, ante omne opus intellectus esse in re ipsa radicem, & fundamentum distinguendi essentiam à relationibus, & vnum attributum ab alio; Non autem probare esse in ipso Deo pluralitatem rerum actu distinctarum; Quod si Scotus per suam distinctionem formalem, & ex natura rei nihil aliud intellexit, quam hanc virtualem, & fundamentalem distinctionem, quæ, quia rei conuenit nullo cogitante intellectu, ideò non incongruè dicitur distinctio ex natura rei, sanè nec nobis nec D. Th. aduersatur. Hisprælibatis.

Prima Propositio contra Gilbertum Porretanum.

Respondeo primo relationes, & personalitates Diuinas non distinguitur realiter à diuina essentia. Hæc Conclusio est de Fide contra *Gilb. Porretanum*, qui errorem suum in Rhemensi Concilio reuocauit, vt refert *hic S. T.* & *S. Bern. serm. 80. in Cant. & lib. 5. de Consideratione ad Eugenium.*

Probatur Primo ex illo communi Axiomte. *In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio*, quod sumptum est ex *Concil. Tolet. 2. & ex Florent. in oratione Bissarionis* facta pro vnione Græcorum, & Armenorum cum Ecclesia Romana, *Et ex D. Boetio lib. de Trinit. c. 1. & 2. & ex Sancto Anselmo libro de processione Spir. sanct.* At sic est, quod relationes in ordine ad essentiam non dicunt oppositionem, ergo sunt vnum quid cum essentia, ergo non distinguuntur realiter ab essentia.

Secundo Probatur ex *Concil. Rhemensi*, in quo definitur, *Ne aliqua ratio Theologica diuideret inter naturam Diuinam, & relationes, & ne Pater solum dicatur Deitate esse Deus, sed etiam ipsa Deitas.* Verum sciendum est Rhemense Concil. non inueniri inter edita Concilia sub *Eugenio iij.* sed sub *Leone iij.* vbi nulla huius erroris fit mentio; nihilominus certum est, aliud fuisse *Rhemense concil. sub Eug. iij.* cui *S. Bernar.* (vt ipse vbi supra refert, interfuit, qui etiam eundem Gilberti errorem latè refellit. Huius Concilij manu scriptum ex Gallia *Iacob Amiatus Episcop. Antisiodorensis* misit ad *Greg. xiij* cuius verba transcripsit *Vasq. disp. 20 cap. 2.* apud quem multa scitu digna ad huius rei historiam pertinentia curiosus Lector reperiet.

Tertio Probatur ex *Concil. Later. sub Innoc. iij.* & habetur in Capite *Damnamus de summa Trinit. & Fide Cath.* vbi definitur *non esse in Deo quaternitatem rerum*; At secundum Gilbertum esset in Deo quaternitas rerum actu distinctarum, nempè tres relationes Personarum, & diuina essentia, quarum quælibet esset vera res, si realiter ab alia distingueretur.

Neque approbo expositionem *Duran.*

raudi num. 36 dicentis, Conciliū contra *Abbatem Ioachinū* damnasse solum quaternarium numerum Personarum in Diuinis, non autem quaternitatem rerum; Nam Concilium absolutè dicicit (rerum) deindè subdit, *Quia quælibet persona est illa res*, nempè substantia, seu essentia diuina, quibus verbis Conciliū manifestè exclusit quācumque distinctionē realem, vel modalem inter essentiam, & relationes personales. Adde quod nullus Hæreticus posuit in diuinis quaternariū numerum Personarum, Et ideò quæso, occasione Concilium istud huiusmodi errorem damnauit? Etenim Ioachinus ponebat tres diuinas Personas esse vnum collatione, sicut plures personæ dicuntur vnus Populus, non autem volebat esse vnum vnitate essentiæ, imponebat autem Magistro Sententiarum; quem Magistrum Papæ vocat, quod poneret rerum quaternitatem in Diuinis, & quod diceret Pater generat, sed essentia non generat, filius generatur, sed essentia non generatur: Si igitur essentia non generat, neque generatur, neque spirat, neque spiratur; ergo inferrebat Ioachinus, essentia est alia res à Patre, Filio, & Spiritui sancto, cum Pater generet, & spiret, Filius generetur, & spiret, & Spir. sanc. spiretur, quæ omnia diuinæ essentiæ non conueniunt. Porrò Concilium Magistri doctrinam approbauit, & hanc rerum quaternitatem, quam malè Ioachinus ex Magist. doctrina colligebat, reprobauit, Non igitur Concilium quaternarium numerum Personarum in diuinis, sed potius rerum damnauit.

Quartò Probatur duabus rationibus, quas latè S. Bernard. vbi supra prosequitur. Prior est. Quod constat ex rebus realiter inter se distinctis, vel est compositum, vel aggregatum per accidens; sed ex Gilberto persona Patris constat ex relatione, & diuina essentia, quarum quælibet est vna res ab alia distincta, ergo, &c. Maior patet, quia quod constat ex rebus actu distinctis, illud sanè non est simplex, ergo compositum, vel aggregatum per accidens: sicut acervus lapidum, quod nefas est de diuinis Personis cogitare.

Secunda ratio. Quod est alia res à deitate, illud est creatura, iuxtà *August. lib. 1. de Trinit. cap. 6.* Creatum enim & increatum diuidunt ex æquo ens, sed diuinæ relationes secundum Gilbertum sunt alia res à deitate, ergo essent creaturæ, hoc autem esse impossibile ex eo constat, quia persona Patris constaret ex aliquo creato, quod est absurdissimum.

Tertiā sumo Paternitatē, & de illa Gilbertū interrogo: Vel est accidens, & hoc non, quia maximam diceret in Deo imperfectionem: Vel est substantia, si substantia, vel completa, vel incompleta: si completa ergo non poterit cōstituere personam Patris; quia ex duobus entibus in actu non fit vnū per se, si incompleta, ergo paternitas esset quædam entitas incompleta. Ex quo duo absurda infero. Primo se-

mo sequitur, ipsam Deitatem non esse substantiã, & ens infinitè perfectũ, Nam quod est perfectibile per aliud à se distinctum,& est realiter capax cõplementi substantialis non est substantia in se completa, & infinitè perfecta; At huiusmodi esset Deitas, ergo, &c. Secundo sequitur ipsam personã Patris non esse Deum. Probo sequelam. Deus est ens vndequaque infinitè perfectum; sed persona Patris non esset huiusmodi, ergo neq; Deus: Assumptum probo. Ex imperfectis nõ consurgit ens infinitè perfectum vndequaque, sed Deitas, & Paternitas essent entia incompleta, & imperfecta, ergo persona Patris ex illis cõsurgens non esset infinitè perfecta, atque adeò non esset Deus.

Secunda Propositio contra Durandum, & Scotistas.

Respondeo secundo inter essentiã; & relationes non esse actualem distinctionem, siuè hęc formalis, siuè modalis, siuè ex natura rei appelletur. Hęc Conclusio est contra *Durandum, & Scotum*; & probatur primo ex dictis; Si quis enim rectè perpendat Concilia, & rationes contra *Gilber.* adducta, æquè ipsum, ac *Scotistas* torquere facilè intelliget.

Secundo Probatur ex *Conc. Florent. sess.* 18. in quo hęc legimus, *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundum autẽ modum intellectionis nostræ differre videntur; Nam Persona, & substantia, proprietatibusq; cõsistit, quę tametsi ratione, ac secundum nostram intelligentiam, vt supra dictum est, differant, ipsa tamen substantia cum Personis communicat, proprietates verò nequaquam communicabiles sunt, quod quidem ex relationis vi creditur euenire.* Et sess. 19. hæc habentur. *In Patre quidem Paternitas est, ac substantia tribus diuinis Personis communis: Patris verò persona non nisi ratione ab ipsa Paternitate, substãtiaq; differt, cum ab alijs duabus Personis re quoque differat.*

Ne quis tamen ob hæc putet sententiam Scoti Hęresis labe infectam esse, Tùm quia Scotistę eam publicè patrocinantur: Tùm quia præallegata verba nõ sunt Concilij definitiones, sed cum in illo magna orta esset inter Grecos,& Latinos controuersia. Vtrũ S.S. à Filio sicut à Patre procederet, quæst. ista duob. Theologis disputanda tradita fuit *Joanni*, qui Latinorum partes tuebatur, *& Mario Ephesio, qui Græcos patrocinabatur.* Cum autem Ioan. coram toto Concilio suas rationes proponeret, inter multa, etiam pręcitata verba pronunciauit; quib. cum Concilium annuisse videatur, ideò D. Th. sententia nostrę Fidei magis consona videtur; non item illa Scoti, pręsertim cum rerum quaternitatem in Diuinis astruere, ac diuinam simplicitatem penitus eneruare videatur.

Respondent Scotistæ Relationes cum Diuina essentia non componere etiamsi inter se ex natura rei distinguãtur, quia, inquiunt, compositio fit ex

K actu,

actu, & potentia: At diuina essentia non est potentia receptiua relationũ, neque istæ actuant, sed potius terminant naturam diuinam.

Sed contra Diuina essentia terminatur per relationes ex natura rei ab eadem distinctas, non secus ac humanitas per suam subsistentiam, sed humanitas cum sua subsistẽtia verè componit saltem illa compositione, quæ simplicitati quomodolibet opponitur, ergo idem faciunt relationes cum diuina essentia. Confirmatur illa est potentia, quæ actuatur & determinatur ad vltimum suum esse substantiale; sed diuina essentia in re ipsa actuatur, & determinatur vltimatè per relationes; ergo est ibi actus, & potentia, & consequenter compositio. Confirmatur secũdo Compositio nihil aliud est, vt hic à nobis accipitur, quam rerum distinctarũ vnio, sed hic est vnio relationis, & essentiæ, quæ ex Scoto in re distinguuntur, ergo in diuinis esset vera compositio.

Respondet secundo *Durandus*. Inter rem, & modum non esse compositionẽ, quia modus nõ est res, sed quid rei, vel potius res secundum quid, relatio autem se habet, vt modus cum diuina essẽtia, & ideò inter hæc non est vera cõpositio. Affertq; exemplũ ex diuinis relationib. inter se comparatis; Nam tres relationes diuinæ sunt inter se realiter distinctę, & tamẽ diuinã simplicitatem nequaquam diminuunt.

Sed contra tùm quia si exemplum valeret, iam *Durandus* concedere cogeretur, res etiã realiter distinctas, quales sunt diuinæ relationes, non cõponere; Tùm quia ideò relationes inter se non componunt; nec diuinam simplicitatem extenuant, quia illæ inter se opponuntur; at cum diuina essentia non opponuntur. Et ideò exẽplum non est ad rem. Tùm quia omnis modus habet suam quidditatẽ, & formalitatem, quæ non est quidditas rei, cuius est modus; igitur est ibi numerus, & pluralitas in vnũ collecta: at hanc nos vocamus cõpositionem, quę simplicitati, & identitati aduersatur. Tùm deniq; quia quis sanè negare audebit simpliciorẽ rem illam nõ fore, in qua esset omnimoda rerũ idẽtitas sine vlla rerum inter se distinctione etiã ex natura rei? At persona Diuina est vndequaq; simplicissima, vt habetur in *Capit. firmiter de sum. Trin.* ergo Personalitates, & relationes Diuinæ, à diuina essẽtia nullo modo in re distinguũtur, sed perfectiss. gaudent identitate.

Accedat tandẽ *Boetij li. de Tri.* pręclarissima sententia, qui dixit, *hoc esse Dei propriũ, vt in ipso habens sit id, quod habetur*, idest persona, quę habet naturã, sit idem cum natura. Et *Damasc. lib. de Fide c. 11.* inter alia hæc habet. *Tres personæ sunt omninò idem excepta oppositione relationum*: & infrà *Diuinitas est in Personis, vel vt exactius*, inquit, *loquar Personæ sunt Diuinitas*, At si distinguerentur modaliter, falsę essent tales prędicationes, sicut falsa est hæc; Homo est humanitas, Plura apud *S. Bernar. serm. 80. in Canticam*.

Ter-

Tertia Propositio ad mentem D. Thomæ.

Respondeo Tertio. Inter relationes, & diuinam essentiam intercedere solam distinctionem virtualem, seu rationis ratiocinatæ; & idem sentiendum est de distinct. attributorũ tùm inter se, tùm ab eadem diuina essentia. Hæc est contra *Aureolum*, vbi supra,& probatur primo sufficienter argumentis Scoti, qui saltem hanc virtualem distinctionem euidenter conuincunt. Secundo idem constat ex *Concilio Rhemensi, & Florentino* prællegatis, dùm dicunt, relationes ab essentia diuina differre secundum modum intellectionis nostræ. Tertio distinctis conceptibus formalibus respondere debent distincti conceptus obiectiui; sed nos vno conceptu apprehendimus diuinam essentiam, vt communẽ omnibus Personis; & alio conceptu concipimus eam esse relatiuam, & incommunicabilem, ergo & conceptus obiectiui erunt inter se ratione distincti. Deniq. istæ duæ propositiones sunt diuersæ, Pater est Pater; & Pater est Deus: At non aliam diuersitatem habent, nisi quia in prima propositione prædicatum est idem re, & ratione cum suo subiecto; & ideò similes propositiones, vt futiles,& nugacitate plenas in nostris Scholis non admittimus: at in secunda propositione prædicatum est quidem idem re, sed tamen ratione diuersum à suo subiecto; ergo Paternitas, & Deitas saltem ratione ratiocinata distinguũtur, & hoc negare insipientia quædam mihi videtur.

Dices primo, quod est in se indiuisũ, nõ potest per aliquid extrinsecũ diuidi; sed diuina essentia, & relationes sunt vna indiuidua res; ergo non possunt per nostrum intellectũ distingui.

Respondeo concludit nostrum intellectum non posse ponere in ipsa diuina essentia, vt est in se, aliquã realem distinctionem; sed non concludit, eandem diuinam essentiã, vt nobis in hac vita obijcitur, non posse cõceptibus inadæquatis concipi, atque ità quasi per partes apprehendi. Neque tamen dum intellectus noster inter relationes, & deitatem distinguit, verè decipitur; quia non iudicat essentiam, & relationes à parte rei distingui, Imò oppositum expressè iudicat, sed solum iudicat esse in re ipsa fundamentum quoddam distinguendi relationes à diuina essentia, vel ob sui imperfectionem, & diuinæ essentiæ eminentiam non posse eandem diuinam naturam adæquatè exprimere, nisi per plures conceptus formales, & obiectiuos partiales, & inadæquatos.

Dices secundo *S. Anselmum cap. 16. Monologij*, habere hæc verba. *Quidquid est in Deo, est vnum etiam consideratione*; & lib. de Incarnatione cap. 3. circa finem ait, *Illud est simplicius, quod nec actu, nec intellectu, quam illud, quod saltem intellectu dissolui potest*; & talem concludit esse Deum.

Respondeo *S. Anselmum* velle in diuinis omnia esse vnum *consideratione indicatiua non autem apprehensiua*; siquidem nos Viatores diuina attributa, & perfectiones pluribus conceptibus apprehendimus. Ad secundum locum similiter respondeo loqui de dissolutione, in qua intellectus iudicat, hoc non esse illud; seu loquitur de re, in qua intellectus inuenit in re ipsa aliud, & aliud; & hoc minùs simplex est eo, in quo intellectus nõ inuenit aliud, & aliud vt in Deo. Ex quo patet distinctionem rationis diuinæ simplicitati non derogare, siquidem nos supponimus, diuinam essentiam, & relationes esse omninò idem in re, sed ob sui eminentiã non posse à nobis, nisi per plures, & distinctos conceptus adæquatè concipi.

Diluuntur argumenta contra identitatem essentiæ, & relationum.

Ad primum nego Maiorem; sufficit enim ad veritatem illius propositionis, quod vnum non adæquatè, & cõuertibiliter identificetur cum alio, vt proindè vnum possit esse sine alio; sic autem se habet diuina essentia cum Paternitate, cum qua non adæquatè, & conuertibiliter identificatur, sed inadequatè, cum etiam identificetur cum filiatione, & spiratione passiua, & ideò non est mirum, si diuina essentia in filio sine paternitate esse possit. Respondeo secundo, quando vnum potest omnibus modis ab alio separari; itaut simpliciter sino illo existat, tunc concedo distingui ab illo plusquam ratione ratiocinata; At diuina essentia non potest simpliciter esse sine paternitate, nec paternitas sine diuina essentia; siquidem essentia, vt etiam est in Filio, non desinit esse in Patre, nec verè à paternitate seiungitur; & ideò negandum est inter diuinam essentiam, & paternitatem verã modalem distinctionem intercedere.

Ad secundum tale argumentũ non plus concludit, quam distinctionem virtualem; Dico igitur Filium à Patre distingui non pura essentiæ realitate, sed alia virtualiter, & fundamentaliter ab eadem diuina essentia distincta, sed in re prorsus cum illa indiuisa.

Ad tertium Varij variè tale Axioma interpretãtur. Ego solidiores ex S. T. expositiones desumptas solum adducam. Respondet igitur *S. Th. hic q. 28, ar. 3, ad* 1. Tale Axioma. Quę sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, esse verum, quando ea sunt eadem vni tertio re, & ratione, non autem esse verum, quando ea sunt eadem vni tertio re; sed ratione diuersa sunt. Porrò diuina essentia, quamuis sit idem in re cum paternitate, differt tamen ab illa ratione, & ideò non valet inferre ex identitate reali paternitatis, & essentię identitatẽ filiationis, & paternitatis. Et dat exemplum *S. T.* de actione, & passione, quę sunt idẽ re cum motu, sed nõ inter se. Nam actio, & passio secundum S. Th. realiter distinguuntur, quia passio est in subiecto

cto patiente, & actio est in agente, quod in actionibus transeuntibus a subiecto realiter distinguuntur, hæc tamen actio, & passio vni motui coniunguntur. Clarius exemplū dat idem *S.Th.q.8. de Potentiā ar. 2. ad 10.* de instanti præsenti, cui coexistunt præteritum,& futurum, licèt non inter se, sed hęc doctrina aliqualem patitur difficultatem. Tùm quia actio,& passio formaliter, siuè realiter non distinguuntur, Quod si realiter distinguerētur, satis percipi non posset,quomodo eidē motui postea identificārētur. Tùm quia iam haberemus aliquale Trinitatis exemplum; si tale Axioma etiam in creatis non vniuersaliter procederet. Tùm quia hac ratione dictum Axioma solum locum haberet in synonimus, quę sola sunt idem re,& ratione, nec vnquam ex identitate extremorum cum aliquo tertio liceret inferre identitatem eorum inter se,cū tamen *Aristot. lib. 7. Top. cap. 1 loco 4.* prędictum Axioma inter locos communes argumentorū enumeret. Respondetur igitur secundo cum eodem *D.Th. in 1. dist. 33. quęst. 1. ar. 1. ad 2. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se* ea identitate,qua sunt eadem vni tertio, sunt etiam inter se eadem, non verò alia identitate alterius rationis;sic igitur paternitas,& filiatio sunt eadem vni tertio, nempè diuinæ essentiæ, sed identitate essentiali,& sic sequitur eadem identitate essentiali inter se esse idem,quod concedimus;nō verò sequitur esse idem identitate relatiua, idest paternitatem esse filiationem. Hanc expositionem germanā vocat *Caiet. hic art. 3.* & eam etiam approbat *Scot. in 1. dist. 1, quęst. 7. ad 1.* sed videtur easdem,quas prima, pati difficultates, sic enim nunquam ex identitate extremorum vni tertio liceret inferre identitatem eorum inter se contra *Aristotelem* loco citatato.

Duobus igitur alijs modis ad prędictum Axioma respondendum videtur. Primo igitur, & facilius dicere possumus, Tale Axioma in diuinis locum non habere ob eminentiam diuinæ substantiæ, quæ simul est relatiua & absoluta: Nec aliter veritas talis Axiomatis probari potest,nisi inductione facta in Creaturis; Ex qua nihil probaretur. Respondetur secundo, & melius. Quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, & conuertibiliter, sunt eadem inter se, concedo Maiorē sed nego essentiam diuinam identificari adæquatè, & conuertibiliter cum filiatione, & paternitate. Quæ autem sunt eadem vni tertio inadæquatè, & non conuertibiliter,sunt eadem inter se, nego istam Maiorem,& Minorem concedo. Quare sicut non valeret sic arguere, Syluius est idem cum quidditate hominis. Petrus est idem cum quidditate hominis, ergo Syluius est Petrus. Ità neq. valet ista, Pater est idē cum essentia,filius est idem cum essentia, ergo filius est Pater. Neque aliter ille prior syllogismus peccat, nisi quia cum quidditas hominis saltem per rationem sit pluribus communis,

non

non est idem adæquatè, & conuertibiliter cum Syluio, ac proindè non rectè infertur, ergo Syluius est Petrus. Ità cum diuina essentia sit realiter pluribus diuinis Personis communis, nō est idem adæquatè cum vna sola persona; & proindè ex hac idētitate personarum cum essentia, non rectè infertur identitas personarum inter se. Quæ responsio licèt re ipsâ à præcedēti non differat, quia aliud exemplum adæquatum in Creatis inueniri non potest, ceteris tamen præferenda mihi videtur.

Ad quartum distinguo Maiorem: Quod est realiter communicabile pluribus, non potest esse idem; idest non potest verè identificari cum re incommunicabili, nego Maiorem; & concedo Minorem. Quod est realiter communicabile non est id, quod præcisè secundum suum conceptum est incōmunicabile, cōcedo istam Maiorem, sed nego Minorem, scilicet diuinam substantiam, vt præcisè significat essentiam simul esse communicabilem, & incommunicabilem; siquidem secundum essentiā est communicabilis, secundum relationes est incommunicabilis. Quare hoc argumentum virtualem solum, non autem modalem infert distinctionem inter eandem diuinam essentiam, & relationes.

Ad cuius rei maiorem explicationem sit hoc exemplum: Esse hominem, & esse animal, & esse hunc hominem, & esse hoc animal sunt vna, & eadem realitas, vt ex Metaphysica suppono, & tamen animal communicatur etiam Brutis; non autem ratio hominis illis communicatur: Itē ratio hominis communis est omnibus hominibus; at esse hunc hominem non est omnibus hominibus commune, sed vni proprium; & tamen, vt dictum est, hæc omnia, sunt vna, & eadem entitas. Ità multò minùs implicat vnam, & eandem realitatem infinitam, & eminentissimam, qualis est realitas diuinæ substantię, esse simul communicabilem secundum vnam rationem, & secundum aliam esse incommunicabilem.

Ad confirmationem nego Minorem; Nam contradictio est negatio vnius de alio respectu eiusdem prædicati: At nos dicimus, diuinam essentiam, & relationes esse diuersa prædicata, & ideò omnia illa verificari de eadem re secundum diuersa prædicata, quæ Deo ob suam eminentiā conueniunt. Vel dic vitari Contradictionem, si opposita de eadem re prædicentur, quando res illa ità est vna, vt virtute sit multiplex, qualis est diuina substantia. Exemplum est in luce, quæ cum sit simplicissima quædam qualitas, tamen de eadem verificatur, quod sit simul calefactiua, & exsiccatiua, & illuminatiua; item de eodem calore verificatur, quod sit visibilis ab oculo, & intelligibilis ab intellectu; Neq; tamen esse visibile, & esse intelligibile in eodem calore ex natura rei distinguuntur; cum ipsum esse visibile secundum suam rea-

lita-

litatem sit etiam intelligibile, siquidē ab intellectu cognoscitur, & de illo lu culenter ratiocinatur.

Postremò respondemus esse incom municabile, & esse communicabile, esse in se, & ad aliud, non esse prædicata vera, & rigorosa contradictione affecta; nam commune non opponitur propriò contradictoriè, sed contra riè, & absolutum non opponitur relatiuò contradictoriè, sed relatiuè; At essentia communicabilis est absoluta, & communis trib. personis; relatio paternitatis est quid propriū personæ Patris, igitur nulla est hic oppositio con tradictoria. Solutio est *Sanc. Thomæ in 1. dist. 34. art. 2. ad vltimum*; vbi sic fatur. *Dicendum quod communicabilitas, & incommunicabilitas non sunt opposita proprietates, sed sic differunt, sicut habere proprietates, & non habere: quia enim persona habet proprietatem relatiuā, ideò distinguitur, & est incommunicabilis, sed quia essentia caret illa proprietate, ideò cōmunis est, & communicabilis pluribus, et ideò non distinguit ad inuicem*. Hactenus S. Doctor, ex cuius verbis habemus propria à communibus tàm in diuinis, quam in humanis non opponi contradictoriè: non enim homo, & hic homo opponuntur contradictoriè, sed vt commune à proprio, vt vniuersale à particulari, vt includens ab incluso distinguitur.

Sed insurgit adhuc Scotus. Dum Pater Æternus essentiam suam, & simul paternitatem intelligit, vel ista duo obiecta intelligit, vt vnum re, vel vt duo in re ipsa diuersa; Si primum dicas, ergo à parte rei ipsissima res erit paternitas, & essentia, ergo communicata essentia, communicabitur relatio, & tolletur personarum distinctio, quæ fuit Hęresis Sabelliana. Si dicas secundum, habetur intentum. Nam illa Patris cognitio est intuitiua, consequenter est rei existentis: dum ergo intuetur essentiam non esse relationem, necessariò sequitur hæc duo esse à parte rei nullo cogitante humano intellectu diuersa. Respondeo cum Caietano in hoc art. Deum Patrem intelligere essentiam, & suam Paternitatem, vt vnum in re obiectū omninò idem, sed virtute, & perfectione multiplex: & hoc sufficit vt communicata essentia non communicetur relatio, vel clarius dico, Patrem Æternum, dum se ipsum intuetur, verè cognoscere habere realitatem quandam indiuisam, indistinctam, & simplicissimam, quę ex sua eminentia & infinita perfectione habet, quod simul sit communicabilis, & incommunicabilis. Itaq; Æternus Pater non intuetur inter essentiam, & paternitatem distinctionem vllam, sed simplicissimam identitatem complectentem plures perfectiones virtute sola non actu distinctas. Quare distinctio non est in re ipsa idest in Patre, sed in nostro solo intellectu, qui eandem eminentissimam diuinam realitatem in plura ex sua intelligendi imperfectione partitur, quæ in re sunt vnū, & idem. Itaq; tota contradictio, quam Scotistæ ma-

ximè

ximè vrgent, non est in re ipsa, sed in ordine ad nostrum intellectum, qui in diuinis rebus cęcutiens in plura diuidit, quæ in re sunt vnum, apprę̨hendit vt distincta, quæ in re sunt idem: attentè ergo considerandum est in argumentationibus, ne fiat transitus ab essentia diuina, vt manet in se ipsa, cum perfectissima identitate, ad eandem, vt more viatorum à nobis per plures conceptus formales appræhensam, quibus respondent plures conceptus obiectiui, qui in re ipsa sunt vna, & eadem realitas. Hinc apparet inanem esse illam argumentationem. Si essentia & paternitas sunt omninò idem in Patre, ergo sicut relatio ita, & essentia refert, ac multiplicat Deitatē. Respondeo enim peccat consequentiam, quia transit ab esse identico ad esse formale, siquidem ità essentia, & relatio sunt idem identitate reali, vt secundum modum concipiendi nostrum sint plura virtute, & perfectione formali, sed hæc pluralitas & distinctio non est in rebus ipsis, quæ perfectissimam habent identitatem, sed in nostro intellectu, qui illam simplicissimam identitatem in plures conceptus obiectiuos inuiè separauit.

Sed vrgent sæpè Scotistæ. Paternitas in Patre non est in virtute, & in potentia, sed in actu, ergo dat esse distinctum in actu; ergo manet distinctio actualis inter essentiam, & paternitatem. Respondeo paternitatem esse in Patre actu, sed non habere esse distinctum actu ab esse diuinę essentię, consequenter nulla est distinctio actualis inter essentiā, & diuinas relationes, sed perfectissima identitas.

Ad quintum rectè concludit *S. August.* præter essentiam etiā in Diuinis reperiri relationem virtualiter ab illa distinctam, quatenus relatio apta nata est ab intellectu viatoris ità inadæquatè concipi, vt non nisi sub conceptu relationis concipiatur, non autē sub respectu diuinæ essentię, quamuis si eadē diuina substantia à nobis adæquatè cōciperetur, concipienda etiam à nobis esset, vt res quędā simplicissima, quę ob suam infinitam eminentiā est simul absoluta, & relatiua; cōmunicabilis, & incōmunicabilis. Et hoc modo Deus, & Beati euidentissimè Deum Diuinamq; substantiam concipiunt.

Ad sextum distinguo Maiorem. Quæ differunt definitione adæquata, distinguuntur ex natura rei, transeat ista Maior: Quæ differunt definitione inadæquata distinguuntur ex natura rei nego Maiorem. Diuina autem essentia, & relationes distinguuntur definitione inadæquata non adæquata; siquidem si Diuina substantia capax esset adæquatè definitionis, sanè definienda esset, quod sit simul relatiua, & absoluta, cōmunicabilis, & incommunicabilis, quoniam vtramq; rationem secundum suam realitatem indiuisibiliter, & simplicissimè includit.

Ad septimum, & octaum patebit sequenti Disput. quid sit respondendū.

DIS.

DISPVT. X.

De Regulis dignoscendi fallacias syllogismorum in Diuinis.

QVoniam dictum fuit, Axioma illud, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, locum in diuinis non habere, hinc nonnulli dixere, artem syllogizandi solum in creatis, non autem in hoc Trinitatis Mysterio procedere; quia putant fundamentum omnium syllogismorum esse prædictum Axioma, ablato autem fundamento omnia corruunt. At hoc dici nequit, Tùm quia lumen Fidei lumini naturę non aduersatur; Nec gratia naturā destruit, sed potius perficit; Tùm quia hoc esset Fidem nostram, & totam Theologiam penitus abrogare, quæ tota arti innititur syllogismorum.

Sciendum est igitur, artem syllogisticam non inniti tali principio; *Quæ sunt eadem*, *&c.* intellecto de identitate reali, & hoc probatur, Tùm quia *Aristoteles lib. 7. Top. cap. 1. loco 4.* solum illud enumerauit inter locos cōmunes argumentorum. Tùm quia fiunt plures veri syllogismi, in quib. medius terminus non realiter identificatur cum maiori, vel minori extremitate, vt proindè in conclusione inferratur, esse eadem inter se; vt si dicas quod oculis videtur, est reale: Paries videtur, ergo paries est realis; Nam visio non identificatur cum pariete viso. Similiter si dicas, Quod calefacit, debet esse calidum; Ignis calefacit, ergo debet esse calidus. Vel qui producit aliquid ex nihilo, infinitæ est virtutis; Deus producit omnia ex nihilo, ergo, &c. In his, & similibus syllogismis clarè apparet mediū terminū non identificari realiter cum extremis. Nam nec calefactio identificatur cum Igne, nec creatio cum Deo, nec visio cum pariete viso.

Ars igitur syllogizandi in prima figura, ad quam aliæ duæ reducuntur, fundatur in illo principio *Arist. 1. Prior. c. 1. dici de omni, & dici de nullo*, idest, Quidquid prædicatur de omni subiecto, prædicatur de omni contento sub illo. Et quidquid negatur de aliquo subiecto, negatur etiam de omni contento sub illo; Vel si sit sermo de quibuscunque figuris syllogismorum, ars syllogizandi fundatur in illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio identitate vera enūciationis, sunt eadē inter se eadem vera enunciationis identitate.* Hinc dum quis syllogizat, primo loco assumit medium terminnm, deindè maiorem, & minorem extremitatem cum medio termino in duabus præmissis connectit, & quam veritatem enunciationis extrema habent cum medio, eandem habent in conclusione inter se. Quæ omnia seruatis regulis rectè syllogizandi etiam in diuinis locum habent. Verùm quia sæpè plura sophismata fieri possunt, ideò ad ea cognoscenda sequentes regulas tradémus. Sit igitur.

Prior Regula.

In hoc Mysterio diligenter animaduertendū est, vt medius terminus completè distribuatur, & non tantū incompletè. Hic defectus apparet in hoc syllogismo, Omnis essentia diuina est Pater, Filius est essentia diuina, ergo Filius est Pater. Nā medius terminus, qui est essentia diuina, incōpletè in minori propositione distribuitur, & ideò argumētū cauilosū est. Velut si dicas. Omne animal fuit in Arca Noe, Syluius est aliquod animal, ergo Syluius fuit in Arca Noe. Hic vides ly, omne animal incompletè distributū esse pro generibus singulorum, non pro singulis generum, & ideò sophisma est. Quodsi medium in Maiori propositione distribueretur completè, diceretur; omnis res, quæ est essentia diuina est Pater, filius est omnis res, quæ est essentia diuina, ergo filius est Pater. Tunc argumentum, quantū ad artē syllogizandi validum esset, sed peccaret in materia, quia eius maior propositio falsissima est.

Secunda Regula.

Cauendum est in syllogismis de Deo Trino, ne argumentum fiat à termino non negato ad terminum negatum, qui defectus apparet in hoc syllogismo. Pater est Deus, filius non est Pater, ergo filius non est Deus. Hic vides ly Deus in Maiori non affici negatione, in conclusione autem affici negatione, & ideò cum medius terminus non rectè cum maiori extremitate distribuatur, sophisma est, Vt si dicas, Syluius est homo, Philibertus non est Syluius, ergo Philibertus non est homo.

Tertia Regula.

In hoc Trinitatis arcano syllogismus expositorius locum non habet, Ratio est, quia in syllogismo expositorio medium debet esse perfectè singulare, & incommunicabile: vt si dicas Hoc currens est hoc album, Hoc currens est Syluius, ergo Syluius est hoc album. Hic rectus syllogismus expositorius est, quia medium est perfectè singulare, & incommunicabile. At in diuinis tametsi diuina essentia sit perfectè singularis, est tamen realiter cōmunicabilis pluribus personis, & ideò non potest esse medium syllogismi expositorij. Hinc apparet istum syllogismum vitio non carere: Hæc essentia est Paternitas, & nullo modo realiter differunt; Hæc essentia est filiatio, & nullo modo realiter differunt, vt est de Fide, ergo paternitas & filiatio nullo modo realiter inter se differunt: Hoc sophisma est, quia medium, quod est hæc diuina essentia, propter suam infinitam fœcunditatem est commune tribus Personis. Idem dic de hoc syllogismo. Hic Deus est Pater: Hic Deus est Filius, ergo filius est Pater; Nam etiam hic Deus in concreto licèt sit singularis, tribus tamen personis communis est, & ideò vitiosus est syllogismus iste.

Velu-

Veluti ſi dicas. Homo eſt Syluius; homo eſt Ariſtoteles, ergo Ariſtoteles eſt Syluius, hic, quia ly, homo eſt communis ſingulis indiuiduis, ſaltem ratione, vitium arguendi committit. Ità ſimiliter, quia ly hic Deus eſt communis communitate reali tribus Perſonis, ſophiſma committitur.

Quarta Regula.

Non licèt in Diuinis arguere à ſenſu identico ad ſenſum formalē; Committitur enim in tali ſyllogizandi ratione fallacia, quam Logici vocant Accidentis, quæ tunc contingit, quando ob diuerſitatem prædicati, & ſubiecti, quod vni conuenit, alteri attribuitur: Vt ſi dicas homo eſt ſpecies, Syluius eſt homo, ergo Syluius eſt ſpecies, cum tamen Syluius ſit indiuiduū ſpeciei. Hæc regula ſumitur ex *S. Th. quæſt. 8. de Potentia, art. 2. ad 6.* ex cuius defectu apparet, ſequentes ſyllogiſmos eſſe vitioſos, Pater eſt ſpirator, Filius eſt ſpirator, ergo Pater eſt Filius. Item Deus, vel eſſentia non generat ex *Cap. Damnamus de ſum. Trinit.* Pater eſt Deus, ergo Pater non generat. In his, & ſimilibus argumentis conceſſa Maiori, & Minori, Conſequentia neganda eſt, quia Pater eſt ſpirator, & Filius eſt ſpirator, & Deus non generat, & Pater generat, Et hæc eſſentia eſt Pater ſolum identicè, non autem proprietate formali, quia differunt ſecundum proprios conceptus. Conſequētia autem tranſit à ſenſu identico ad ſenſum formalem. Quare vt hic ſyllogiſmus eſſet validus, ſic eſſet formādus. Pater eſt idem cum ſpiratore, Filius eſt idem cum ſpiratore, ergo aliquid quod eſt idem cum Patre eſt idē cum Filio, nēpè ſpiratio actiua. Si autē quis ſic argueret. Eſſentia eſt idem cum Patre, eſſentia eſt idem cum Filio, ergo Filius eſt idem cum Patre: eſſet ſophiſma, ſiquidem in Concluſione inferendum eſſet, ergo idem cum Filio eſt idem cum Patre; non autem inferre licebit, ergo Filius eſt idem cum Patre. In qua Concluſione nouus additur terminus, qui cum medio termino diſtributus non fuit, atq; ità hic ſyllogiſmus ex quatuor terminis conſtat. Declaratur hoc magis; Tunc rectè medium diſtribuitur cum maiori, & minori extremitate, quando ſemoto medio maior, & minor extremitas iungūtur in concluſione inter ſe abſq; vlla eſſentiali mutatione à præmiſſis diuerſa. Hæc enim eſt lex perpetua ſyllogiſmorum. At in noſtro caſu medium erat eſſentia, quæ bis repetitur; Maior extremitas erat, idem cum Patre: Minor extremitas, erat idem cū Filio: At in Concluſione Minor extremitas, quæ erat idem cum Filio, mutatur & dicitur, ergo Filius eſt idem cum Patre, cum tamen dici deberet, ergo idem cum Filio eſt idem cum Patre. Mutata autem extremitate nouus additur terminus; atque ità ſyllogiſmus ille ex quatuor terminis cōſtaret.

Ex quibus omnibus ſufficienter ſatisfactum eſt ſeptimo, & Octauo argumento præcedentis diſputationis.

DISPVT. XI.

An natura Diuina sit de essentia Diuinarum relationum; et è contra relationes sint de essentia Deitatis.

PRobatur Relationes pertinere intrinsecè ad essentiam Deitatis. Primo, ex Patribus, qui docent, Diuinitatem esse Patrem, Filiū, & Spiritum sanctum. Ità *S. Athan. ser. 4. contra Arianos, & Greg. Naz. oratione in sancta lumina.*

Secundo ex *S. Th. quæst. 27. 1. par. ar. 2. ad* 3. vbi ait *in perfectione Diuini esse omnia includi, & ipsum Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi*. Ex hoc sic arguitur. Quicquid essentialiter conuenit Diuino esse, etiā essentialiter conuenit deitati, sed diuino esse competit essentialiter esse Patrem, Filiū, & Sp. sanc. ergo hoc idē competit diuinę essentiæ Major est clara, Minor est sancti Th. & confirmatur, quia esse infinito conuenit essentialiter omnis perfectio Dei, ergo.

Tertio, hæc propositio, Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus est propositio per se, quia neque conuenit illi, vt accidens, neque vt propriū, ergo prędicatum est de essentia subiecti, & ità erit propositio in primò modo dicendi per se.

Quarto, Paternitas est de essentia Patris, sed Pater non habet aliam essentiam, nisi diuinam, ergo Paternitas est de essentia Dei.

Quinto, probatur deitatem esse de essentia relationum. Primo ex *S. Th. 1. par. quæst. 33. art. 3. ad 1.* vbi ait *In Diuinis cōmunia esse de conceptu propriorū.* Et idem docet *Ricardus de sanc. Vict. lib. 1. de Trinit. cap. 1.*

Sexto, Paternitas est ens reale, sed non est ens creatum, ergo increatum, sed ens increatum intrinsecè deitatem includit, ergo deitas est de essentia omnium, & singularum relationū.

Tres Theologorum dissidentes opiniones.

In hac difficultate tres legi sententias oppositas. Prima asserit, relationes intrinsecè claudi in conceptu deitatis. Ità *Caiet. 1. par. hac quæst. 27, ar. 2. circa solutionem tertij argumenti. Bannes 1. par. q. 28. art. 2. dub. 3. ad 6. arg. Greg. de Valentia hic q. 4. punc. 1.* & nouissimè dum hæc sub prelo manent *Theodorus Forestus* Ordinis Cappucinorum *tract. de Trinit. disput. 4. de distinctione inter essentiam, & relationes cap. 3.*

Secunda sententia est *Belarm. tom. 1. lib. 2. de Cristo cap. 9. ad finem. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 5. 6. & 7. Torres quæst. 28. art. 2. dis. 3. Zumel ibidem.* Qui omnes dicunt relationes non esse de conceptu intrinseco deitatis, sed tamē deitatem esse de intrinseca ratione relationū, tàm secundum rem, quā secundū cōceptus nostros.

Tertia sententia, quàm veriorem iudico, negat deitatem esse de essentia relationum, & è conuerso. Ità *Scotus,*

tus, Durandus, Gab. quos refert, & sequitur *Vasq. disp. 121. cap. 2. & Molin. hic. disp. 6. conclus.* 4. & hanc coniector esse etiam *D. Thomæ* sententiam, vt ex multis eiusdem testimonijs infrà ostendam. A qua opinione non discordat *Caietanus quæst. 39. art. 6.* vbi dicit hanc propositionem: Pater est Deus non esse per se formaliter, sed identicè; consentiunt *Antonius Ayossa tract. de Trinit. quæst. 28. disp. 7. art. 2 Didacus de Montua disp. 14.* eiusdem tractatus.

Obseruationes circa propositam quæstionem.

Vt propositę faciliori pede petrãsseamus difficultatis lapidem, propriusq; veritatis metam attingamus, obseruandum primo loco est, hanc quęstionem in duplici sensu agitari posse. Primo considerando essentiam *Dei*, & relationum secundum esse, quod à parte rei habent. Secundo secundũ esse, quod habent, prout à nobis Viatoribus concipiuntur. Et vtroq; modo ista controuersia procedit.

Notandum secundo, simile quæsitum excitari etiam de diuinis attributis, An, scilicet, diuina essentia essentialiter omnia attributa includat, & an vnum attributum omnia alia essentialiter claudat: itaut sapientia diuina nõ tàm sit sapientia, quàm omnipotentia, immensitas, &c. & è conuerso. Hanc quæstionem hic non dirimimus, quia propriam in Tractatu de *Deo* Vno sedem habet; Ex dicendis tamen patebit nos in negatiuam partem propendere, licèt sit alia ratio relationum, & alia attributorum *Dei*; Nam relationes solum pertinent ad extensiuam, vt ità loquar, *Dei* perfectionem, & nihil aliud sunt, quàm diuinæ naturæ incõmunicabilitates, & ideò prorsus sunt extrà diuinam essẽtiam; & è contra; At diuina attributa ad intẽsiuam *Dei* perfectionẽ spectant, omnibusq; diuinis Personis cõmunicabilia sunt.

Notandum tertio, nomen essentiæ dupliciter à Metaphisicis sumi, tàm in Creatis, quàm in Diuinis. Primo pro omni re, & omni modalitate, quæ suo modo propriam habet essentiam, vt quantitas, figura, &c. Secundo Pro aliqua substantia, quæ sit radix omnium accidentium, proprietatum, & operationum, quæ in tali substantia reperiuntur. Nomine igitur diuinæ essentiæ intelligimus substantiam radicaliter infinitam, in omni genere entis perfectissimam, quæ sit radicale principium omnium attributorum, relationum, operationum tàm ad intrà, quàm ad extrà. Non autem nomine diuinę essentiæ intelligimus omnem realitatem, quę in *Deo* reperitur; Nos enim hoc nomen essentiæ *Deo* attribuimus per comparationẽ ad essentias creatas: essentia autem creata, propriè illa est, quæ est adęquatum, & radicale principium omnium perfectionum, & operationum; Et idem, proportione seruata, in *Deo* concipimus,

mus, quod eò clarius elucet; quia omnes dicunt has esse veras. Essentia diuina est communicabilis; relatio incommunicabilis; essentia non generat, Pater generat. In quibus, & similibus locutionib. semper præscindimus naturam Dei à realitate relationum. Ex quibus euidens est essentiam Dei non idem significare, ac totam entitatem, vel realitatem Dei; hæc enim nomina res, realitas, vel entitas; quia transcendentia sunt, significant omne illud, quod in aliquo realiter reperitur, siuè essentiale illud sit, siuè non. Et hoc attentè obseruandum est, quia sæpe in disputationibus fit transitus à substantia Dei prout significat principium radicale omnium perfectionum, relationum, & operationũ, ad substantiam Dei, prout significat omnem realitatem substantialem, quæ in Deo reperitur.

Notandum quarto, Aliud esse, aliquid substãtialiter de aliquo prædicari, & aliud essentialiter de eodem prædicari; Nam substantia, & personalitas creata de humana natura substantialiter prædicantur, & etiam intrinsecè, vt contradistinguuntur à prædicatione accidentium extrinseca, non tamen prædicãtur essentialiter; vnde humanitas Christi habuit totam suam essentiam creatam in ratione humanæ essentiæ perfectam, licèt propria subsistentia creata caruerit. Quarè Verbum non prædicatur de Christi humanitate essentialiter, sed personaliter, vt in Tract. de Incarnatione dictũ fuit. Hinc fit, quod licèt relationes, & diuina attributa de Deo substantialiter prædicentur, quia nullum accidens est in Deo, non tamen essentialiter prædicantur, nec pertinent ad intrinsecam diuinæ naturę essentialem constitutionem, nec è contra.

Notandum quinto, relationes Patris, Filij, & Spir. sanc. posse dupliciter considerari; primo in abstracto; secundo in concreto, nempè prout cum diuina essentia tres personas constituunt. His prelibatis sit.

Prima Propositio.

Respondeo primo, Si Deus accipiatur adæquatè secundum omnem realitatem, quàm habet a parte rei in se ipso, proculdubio includit intimè omnes diuinas relationes, conclusio est *Caietani quæst. 1. 2. ar. 2. circa solutionem ad 3.* vbi docet impossibile esse, posse adæquatè definiri Deum, si definibilis esset, nisi comprehenderentur, & essentia, & relationes, & quidquid formaliter est in Deo. Quare definiẽdus esset Deus adęquatè secundum rem cõsideratus quod sit vnus, & Trinus, omnes perfectiones formaliter simplices includens, in hoc sensu adduci potest *S. Athanas. oratione contra Gregales Sabellij*, vbi ait, *Plenitudo, & integritas Deitatis est Pater, vt Pater, Filius, vt Filius, & Spir. sanc. vt S.S.* Ceterũ, vt monuimus in tertia obseruatione nomen Deus in hoc sensu nõ significat essentiam præcisè, sed omnem

nem realitatem in Deo existentem. Diuina autem essentia significat præcisè formam supersubstantialem, & supereminentialem, quæ sit radicale principium omnium diuinarum emanationum, & relationum, consequenter diuina essentia non potest in suo formali conceptu diuinas relationes includere in actu, sed solum in radice.

Secunda Propositio.

Respondeo diuinam essentiam esse de essentiali ratione Patris, filij, & Spiritus sancti, vt hæc sunt supposita, relatiua in concreto considerata. Probatur. Omne totum includit essentialiter suas partes ex quib. constituitur, sed Pater constituitur per paternitatē, & Deitatem, ergo Deitas, & paternitas sunt de essentia Patris. Vnde sicut de essentia hominis est esse animal, & rationale, ita de essentia Patris est esse Deum ingenitum, de essentia filij esse Deum genitum, & de essentia Spir. sancti esse Deum spiratum. Quare hæc Propositio Pater est Deus est in primo modo dicendi per se, quia est prædicatio naturæ de suo supposito.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertio, Relationes diuinas in abstracto non esse de intrinseca, & essētiali ratione Deitatis in abstracto consideratæ. Hæc est contra primam sententiam, Et mihi certissima videtur, nisi fiat in terminis æquiuocatio, vt moris est. Probatur primo. Quod est de essentiali ratione alicuius, sine illo nec concipi, nec consistere potest, sed diuina essentia est in Patre, in quo non sunt relationes filij, & Spiritus sancti, ergo istæ relationes non sunt de essentia Deitatis?

Confirmatur. Pater prius origine est perfectè Deus, antequam generet, aut spiret, sed in eo signo diuina essentia non claudit filiationem, & spirationem passiuam, ergo filiatio, & spiratio passiua non sunt de essentia Deitatis. Confirmatur secundo, Nam in Cap. *Damnamus de sum. Trinit.* definitur, *Patrem communicare Filio totam suam substantiam, & non partem*: At Pater non communicat filio suam paternitatem, ergo Paternitas est extra essentiam diuinę naturæ.

Similiter, in eodem Cap. *Damnamus* dicitur, *Essentiam nec generare, nec generari*, sed Patrem generare, & filium generari, ergo Paternitas, & filiatio, & idem dic de spiratione passiua, non sunt de essentiali conceptu Deitatis; neque in re ipsa, neque secundum nostros conceptus.

Secundo, vel omnes relationes diuinę sunt de essētiali ratione Deitatis, vel solum aliquæ: Non secundum, quia non est maior ratio, cur vna potius relatio, quàm alia ad Deitatis essentiam pertineat. Non primū, quia sic nulla Persona diuina seorsim accepta esset verè Deus. Et probatur quia qui nō habet omnia essentialia Deita-

tis

tis non est verè Deus, sed quælibet diuina Persona, verbi gratia, Filius nō haberet Paternitatem, & Spirationem passiuam, quæ essentialia Deitatis essent secundum istam sententiam, quā impugnamus, ergo nulla diuina Persona esset verè Deus.

Tandem hanc sententiam expressè docet *S. Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 6. Boet. lib. de Trinit.* & fauet valdè D. T. *1. p. quæst. 33. art. 3. ad 1.* vbi ait *in Trinitate propria non esse de conceptu communium*, sed relationes personales sunt proprietates Personarum, ergo non sunt de conceptu diuinæ essentiæ, quæ est aliquid commune singulis diuinis Personis.

Quarta Propositio.

Respondeo quarto, neq; diuinā essētiā esse de intrinseca ratione relationum, si in abstracto sumantur. Hæc Conclusio est contra secundum sententiam. Et probatur. Nullum communicabile est de intrinseco conceptu incommunicabilis, sed diuina essentia est communicabilis, relationes sunt incommunicabiles, ergo diuina essentia non est de conceptu relationum. Minor est clara. Maior probatur; quia si communicabile essentialiter clauderet incommunicabile, ergo idem secundum idem respectu eiusdem esset simul essentialiter communicabile, & essentialiter incomunicabile; atq; ità duę contradictoriæ essent simul veræ.

Secundo, Quod est virtualiter, & ratione ratiocinata ab alia re distinctum, non potest essentialiter illam includere, secus esset distinctum, & non esset distinctum; sed diuina essentia à suis relationibus virtualiter, & ratione ratiocinata distinguitur, ergo diuina essentia non potest essentialiter includere relationes, sed omninò istę erunt extra diuinam essentiam.

Nec vrget exemplum *Suarez* allatū *de Ente*, quod licèt ratione ratiocinata ab esse per se, & ab esse in distinguatur, tamen ratio accidentis, & substantiæ intrinsecè sunt ens. Hoc enim exēplum non videtur accōmodatū; Nam ens est quid transcendens, à quo nihil reale præscindere potest, cum omne reale sit necessariò ens; At diuina essentia non est prædicatum transcendens, sed est determinatum ad talem naturam, & est quid absolutum; & ideò diuinæ relationes à diuina essentia possunt rectè præscindi; Itaq; sicut rationale non est de essentia animalis, neque animal de essentia rationalis, secus omne animal esset rationale, ità si diuina essentia esset de essentia paternitatis, quęlibet diuina persona habens diuinam essentiam esset Pater, quod est hæreticum.

Tertio, Si relationes intrinsecè diuinam essentiam includerent, sequitur, eas non constituere cum essentia personas, At hoc est falsum, ergo, &c. Probatur sequela. Relationes constituunt Personam, quatenus illi adueniunt, illamque modificant, & reddunt

dunt incommunicabilem, sed si intrinsecè Diuinam essentiam includerent, non illi aduenirent, non illam modificarent. Nam idem sibi ipsi non aduenit; nec idem suam essentiã modificat, sed aliud ab essentia sua saltem virtualiter distinctum.

Quarto, De quidditate Diuinæ naturæ est, non solum non esse productã ab alio, tamquàm à causa, sed neque vt à principio, sed de quidditate relationũ est, esse productas ab alio, vt à principio, vel esse principium aliarum, vt Paternitas, ergo Diuinæ relationes non claudunt essentialiter Diuinam naturam, cum inter se quidditatiuè differant.

Accedat deniq; *S. Th. q. 8. de Potentia art. 7. ad 6.* vbi apertè negat has propositiones esse per se: *Essentia est Paternitas, & Paternitas est essentia.* At si Paternitas essentialiter includeret Diuinam essentiam, vtiquè talis propositio esset per se. Porrò verba S. Thomi hæc sunt. *Ad Sextum Respondetur, quòd ratio illa tenet in Prædicabilibus per se, per se autem prædicatur aliquid de aliquo, quòd prædicatur de eo secundum propriam rationem: quòd verò non secundum propriam rationem prædicatur, sed propter rei identitatem non etiam prædicatur per se. Cum ergo dicitur essentia Diuina est Paternitas, non prædicatur essentia diuina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei; & similiter nec essentia de Paternitate, vt iam dictum est, quia alia est ratio essentiæ, & relationis, et ideo in prædicta propositione est fallacia Accidentis; licèt enim in Deo nullum sit accidens, est tamèn quædam similitudo accidentis, in quantum ea, quæ de se inuicem prædicantur secundum accidens; & differunt ratione, sunt vnum. Hactenus Sanctus Thomas.*

Euertuntur Argumenta Aduersariorum.

Ad primum Patres illi loquuntur in sensu identico, nõ in sensu formali: Vel loquuntur de Diuinitate non in abstracto, vt nos loquimur, sed in concreto, vt significat Deum, quem docent à parte rei esse Patrem, Filium, & Spir. Sanc. non autem præcisè spectarunt id, quòd Diuinæ naturæ est essentiale, vt Methaphisici faciunt.

Ad secundum. Esse diuinum sumitur dupliciter: Vel præcisè prout significat essentiam Diuinam; Vel pro omni realitate, quæ in Diuinis reperitur. Diuus Th. hoc secundo modo loquitur, nõ autem primo modo, iuxtà quem sensum, nego illam Maiorem propositionem, magis enim patet esse Diuinum, quàm essentia Diuina; quia illud significat omne illud, quòd in Deo reperitur: at hoc significat naturam Dei, vt præcisè est principium, & radix omnium perfectionum, & operationum, tàm ad intra, quàm ad extra; vt fusius in tertio notabili dictum fuit.

Ad Tertium; Nego *propositionem illam esse per se*; neque tamen est per accidens; vt ly per accidens significat contingenter; quia paternitas necessa-

tiò Deo conuenit. Quare illa propositio est per se identicè non formaliter, vt docet *Sanctus Thomas 1. par. quæst. 39. art. 6. ad 2.* & ibidem *Caietanus* Vel dic, illam propositionem non esse accidentalem, sed solum admodum accidentis; Nam vt ait Sanctus Thomas *dict. quæst. 8. de Potentia, art. 2. ad 6.* licèt in Deo non sit verum accidens, est tamèn quædam similitudo accidentis, & tales sunt Diuinæ relationes, quæ quia adueniunt naturæ perfectissimæ, & omnimodè completæ imitantur accidentia, quæ adueniunt rei in actu, qamuis ipsæ relationes in se substantiales sint. Vel dic illam propositionem dici etiam per se, in qua non tantùm prædicatum est essentiale subiecto, sed etiam est personale; sicuti ista est per se. Syluius est suppositum. Ità similiter in hac, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, prædicatur esse personale de natura in concreto.

Ad Quartum, Nego minoré; Nam relatio habet propriam definitionem, ergo & esentiam transcendentalitèr acceptam.

Ad Quintum, Dum Sanct. Thom. dicit. *Communia esse de conceptu propriorum* loquitur de communibus in concreto sumptis, non in abstracto, seù quod idem est, loquitur de proprijs, idest de Personis, vt dicunt quid constitutum ex personalitate, & Diuina essentia; Et in hoc sensu rectè docuit de conceptu Patris Filij, & Spirtus Sancti esse Deitatem iuxtà primam, & secundam Conclusionem.

Ad Sextum, Concedo relationes esse ens increatum: & cum infertur, ergo sunt Deus, nego consequentiã, Nam latius patet esse ens increatum, quàm Deitas, quia illud dicitur etiam de attributis, & relationibus Diuinis, non istud. Vel dic & meliùs, quod est ens increatum, per modum alicuius totiùs substantialis, quod sit radix omnium perfectionum, & operationum, tàm ad intra, quàm ad extra illud est essentialitèr Deus: At quod est ens increatum per modum alicuius consequentis Deitatem, neque est adæquatum, & radicale principium omnium perfectionum, & operationum, nego tale ens esse Deum. Vel tertio dic tale ens esse Deum identicè, non formaliter; Vel Quarto dic tale ens esse aliquid Dei, non autem esse essentialiter ipsam quidditatem Diuinæ essentiæ, vt à nobis viatoribus concipitur.



DIS-

DISPVT. XII.

An Spiratio actiua in Deo sit relatio realis, vel rationis.

D. T. art. 4.

Ratio dubitationis est, quia Sanct. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 14.* tradens, quomodo Spir. sanc. à Patre, & Filio distinguatur, dat exemplum creaturæ, & Creatoris, quæ realiter distinguuntur, sed inter Deum, & creaturas mutua relatio nequaquam intercedit, sed solum ex parte creaturæ se tenet, ergo neque spiratio actiua erit realis, sed solum passiua tenens se ex parte personæ spiratæ.

Secundo, si Pater, & Filius haberent ratione vnius spiratoris, sequeretur, Patrem, & Filium magis inter se, quàm Spir. sanc. assimilari, siquidem Pater, & filius non solum in essentia forent inter se similes, sicuti cum Spir. sanc. conueniunt, sed etiā essent similes in ratione spirandi. At hoc est contra perfectam diuinarum Personarum æqualitatem.

Tertio, Si spiratio actiua esset relatio realis, sequitur eam esse formam accidentalem: at hoc est falsum, ergo sequela probatur. Quod aduenet rei post perfectā, & personalem eiusdem constitutionem, est accidens, sed relatio actiua adueniret Patri, & filio, iam constitutis in actu personali per suas proprias relationes personales, ergo spiratio actiua aduenjens esset forma accidentalis.

Quarto, Si Spiratio actiua esset relatio realis, essent igitur in Diuinis quatuor relationes: At hoc dici nequit, ergo &c. Assumptum probatur, quia si in Diuinis essent quatuor relationes, essent etiam quatuor res. At hoc est contra definitionem *Concil. Later. in Cap. Damnamus* sequela patet, nam multiplicato prædicato inferiori multiplicatur etiam prædicatum superius, sed relatio est prædicatum inferius, res est prædicatum superius, & maximè transcendens, ergo multiplicatis relationibus, multiplicantur etiam res, atque ità in Diuinis essent quatuor res.

Notandum spirationem actiuam sumi dupliciter. Primo pro notione, & origine reali, secundum quam tertia persona Trinitatis realiter spiratur. Secundo sumi pro ipsa relatione, quæ ex Spir. sanc. processione in Patre, & filio, tamquam in vno spiratore consurgit. Porrò iuxta hanc distinctionē duas hic ponam conclusiones.

Prima Propositio.

Respondeo primo, spirationem actiuam, vt dicit originem, & notionem, non esse posse aliquid rationis, sed necessariò esse aliquid in Deo reale. Hæc Conclusio est de Fide definita in *Concil. Florentino sess. 14.* vbi dicitur, *Patrem, & Filium vna spiratione producere Spir. sanc.* vbi nomine vnius spi-

us spirationis intellexit Concil. vnam originem realem, non autem realem relationem, vt ex contextu est manifestum. Idem patet ratione; quia illa est origo actiua realis, qua mediante Persona realis producitur, sed media spiratione actiua producitur Spir. sanc. ergo ipsa realis esse debet.

Secunda Propositio.

Respondeo secundo, spirationem actiuam, vt dicit relationem, non esse aliquid rationis, sed veram formã realem. Hæc Conclusio non est expresse de Fide; Est tamen apud omnes Theologos communis, & probatur, tùm quia quando est origo vnius ab alio eiusdem ordinis, tunc in vtroque extremo realis relatio consurgit mutua, vt Disp. 10. dictum fuit, sed spir. sanc, trahit realem originem à Patre, & filio, & est eiusdem ordinis, & naturæ cum vtrisq; ergo sicut in spir. sanc. consurgit realis relatio eiusdem ad Patrem, & filium, vt est de Fide, ità consurgit in Patre, & filio relatio ad spir. sanctum, quam actiuam spirationem inopia vocabulorum Theologi appellant. Tùm quia si spiratio actiua non esset relatio realis, neque inter Patrem, & filium ex vi originis mutua realis relatio consurgeret, at hoc est hæreticum, ergo &c. Tùm quia omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio, sed si spiratio actiua non esset relatio realis inter filium, & spiritum sanctum, nulla esset oppositio re latiua, ergo neque spiritus sanctus à filio realiter distingueretur, sed essent vna, & eadem Persona.

Respondetur argumentis contra realitatem spirationis actiuæ.

Ad primum respondeo tale exemplum à D. Augustino in hoc sensu adduci, quatenus sicut omnes tres Personę Diuinæ sunt vnum principium creans res omnes propter essentię vnitatem: ità Pater, & filius sunt vnũ principium spirans spir. sanc. propter voluntatis eiusdem vnitatem; Non verò comparauit D. Aug. originem spir. sanc. cum origine creaturarum à Deo in hoc alio sẽsu, videlicet quod sicut in Deo creatore non consurgit relatio ad creaturas; ità neque in Patre, & filio realis relatio ad spir. sanctũ consurgat; huius enim rei disparitatẽ decima Disputatione attulimus, quia creaturæ, & Deus sunt diuersi ordinis, Diuinæ autem Personæ sunt eiusdem ordinis, & naturæ.

Ad secundum respondetur, In ratione essentię Diuinæ eandem esse in omnibus Diuinis Personis cõuenientiam, At secundum rationem notionalem, & relatiuam non esse inconueniens, maiorem esse conuenientiã inter Patrem, & filium, quam inter spir. sanc. neque hoc tollit Personarũ æqualitatem, quia hæc sufficienter saluatur per vnitatem eiusdem essentiæ æquè ab omnibus Diuinis Personis participatam.

Ad

Ad tertium respondetur, spirationem actiuam in re substantialem esse, quia cum ipsa diuina Essentia identificatur; secundum autem nostros cōceptus habere similitudinem accidentis, vt allata ratio conuincit: hoc tamē non est absurdum, vt ex S. Th. *quæst. 8. de Potentia art. 2.* præcedenti disputatione docuimus; Et idem in Diuinis atttibutis manifestè constat.

Ad quartum, Hæc ratio plures torsit Theologos: Aliqui dicunt relationes in Diuinis esse quatuor, Non autem esse quatuor res, quia res significat entitatem intrinsecam; ideò cum dicitur esse quatuor res in Diuinis, sensus esse videtur, In Diuinis esse quatuor intrinsecas entitates, quod dici nequit: At cum dicitur esse quatuor relationes reales, nō facit sensum, esse in Diuinis quatuor entitates intrinsecas, sed solum sensus est spirationem actiuam esse entitatem diuersam à Paternitate, & filiatione solum extrinsecè, ratione termini connotati, qui est spir. sanc. At responsio ista non satis arridet. Tùm quia si filiatio, & spiratio actiua sunt intrinsecè vna res, & solum extrinsecè ratione terminorum sunt diuersæ, vel sunt vna res absoluta, vel respectiua: Non primum, vt clarum est; Nec secundum, cum spiratio actiua, & filiatio sit duplex relatio saltem inter se ratione distincta. Tùm quia sicuti sunt plures termini: Ità sunt plures relationes reales, habentes diuersam rationem fundandi, quarum quælibet est vera res.

Melius alij respondent; posse quidem in Diuinis concedi esse quatuor relationes reales, non autem esse quatuor res, quia esse quatuor res significat illas res realiter inter se esse distinctas, & plurificatas: at cum dicimus esse in Diuinis quatuor reales relationes, non significamus, eas esse inter se realiter distinctas, solumq; quaternarium relationum numerum realiter constituere in hoc sensu, quatenus tales relationes non sunt per nostrum intellectum confictæ, sed ex natura rei habent suos terminos realiter respicere. Et cum instatur; Multiplicato inferiori, multiplicatur superius; Respondent, hoc axioma valere, quando multiplicatur inferius secundum rem, non verò secundum rationem, vt contingit in proposito, cū relatio spirationis actiuæ sola ratione à paternitate, & filiatione distinguatur, sed hæc responsio patitur etiam difficultatem, sicut enim multiplicatio prędicato inferiori secūdum rem, multiplicatur prędicatum superius secundum rem: Ità multiplicato inferiori secundum rationem, multiplicatur prędicatum superius secundum rationem, idest vt ratione distinctum.

Quare non veremur nos asserere in Diuinis esse quatuor res sed cum hoc addito, nempè sola ratione distinctas singulę enim relationes, sicut etiā singula attributa sunt verę res, ergo quatuor relationes sunt quatuor res, quod sanè Concilio non aduersatur, quod solum contra Abbatem Ioachinum

num excludere à Diuinis intendebat, quaternarium numerũ Personarum, vel potiùs quaternirarem rerum ab inuicem realirer distinctarum, non autem sola ratione.

DISPVT. XIII.

An spiratio actiua distinguatur à Paternitate, & Filiatione realiter, vel ex natura rei, vel sola ratione.

PRobatur has relationes re ipsa inter se distingui. Primo quando vnum extremum sine alio esse potest, tunc re ipsa inter se distinguuntur, sed si Parer non spirarer spir. sanc. adhuc filium generaret, & de facto in priori originis filium generat, antequam simul cum filio genito spirer spir. sanc. ergo generare potest esse sine spirare, ergo generare, & spirare non sunt idem realirer.

Secundo, sicut se haber generare ad generari; Irà spirare ad spirari, & ex commutata proportione, vt se habet generari ad spirari, sic generare ad spirare, sed generari, & spirari realiter distinguuntur, ergo etiam generare, & spirare realiter distinguunrur.

Tertio, Hæc propositio est falsa, Paternitas est spiratio, vt docer *S. Th. 1. p. q. 32. art. 2. ad 2.* At si essent idem à parte rei, posser saltem in sensu identico admirti, sicuri idem S. T. hanc vt veram concedit, sapientia est Boniras, ergo Paternitas, & spiratio actiua non sunt re ipsa idem.

Quarto, Quæ sunt idem vni tertio, sunt eadem inter se, saltem ea identitate, qua inrer se sunt idem; sed spiratio actiua est idem cum Paternitate, & filiatione, ergo filiatio, & Paternitas realirer inter se non distinguerentur, quod est hæreticum, Neque dicas essentia est idem cum Parre, & cum filio, & tamen Parer, & filius nõ sunt idem inrer se; Nam essentia cum sit simpliciter infinita, porest identificare sibi oppositas relationes, etiam realirer inter se distinctas; Ar spirario actiua non est infinita simpliciter, ergo non poterit esse idem cum Paternitate, & filiatione; quæ inter se realiter distinguuntur.

Confirmatur hoc argumentum. Duę res absolutæ inter se realirer distinctæ non possunt identificari cum tertia re absoluta, ergo neque duæ relationes, vt Paternitas, & filiatio poterunt tertiæ relationi nẽpè spirationi actiuè idenrificari.

Quinto, Omne quod distinguitur ab alio numericè, distinguitur ab illo realiret, sed spirario actiua numericè distinguirur à Paternitate, & filiatione, ergo realiter Maior probatur, quia quæ distinguuntur numericè, distinguuntur entitate, quæ distinguuntur entitate, distinguuntur realiter. Minor probatur. Quæ distinguunrur specie distinguunrur eriam numero, sed spiratio actiua distinguitur specie à Paternitate, & filiarione, ergo etiam numero, Maior est clara, Minor probatur. Prima ex *S. T. 1. par. quæst. 32. ar. 2, vbi*

2. vbi dicit *generare, & spirare differre specie*. Secundo idem patet ratione, quia terminis correllatiuis specie distinctis correspondent relationes specie distinctæ, sed Filius, & Spiritus Sanctus sunt termini correlatiui specie, vel quasi specie distincti, ergo etiam relationes illis respondentes, quæ sunt generatio actiua, & spiratio actiua, erunt specie distinctæ, quod si specie distinguntur, ergo numero, ergo realitèr.

Tria Scolasticorum dissidia referuntur.

In hac difficultate tres inuenio sentẽtias. Prima est *Durandi in 1. dist. 13. q. 2.* ponẽtis distinctionem realẽ, quàm ipse vocat rei à re inter spirationem actiuã, & inter Paternitatem, & Filiationem. Idem sentit *Herueus Quodl. 7. Carthusianus in 1. dist. 27. quæst. 1.*

Secunda sententia est *Scoti Quodlib. 5. art. 2. §. Circa tamen Ochami, & Gab. in 1. d. 27. quæst. 1.* ponentium inter spirationem actiuam ex vna parte, & inter Filiationem, & paternitatem ex altera, distinctionẽ ex natura rei ante omne opus Intellectus.

Tertia sententia rectã veritatis metam attingens est *S. Thom. 1. par. quæst. 32. art. 3. ad 3.* ponentis solam distinctionem virtualem, & rationis ratiocinatæ. Præceptoris doctrinam sequntur omnes eius Discipuli, necnon *Torres ibidem Molina ibidem disp. 2. Vasq. disp 138.* Vnde hæc sententia ab omnibus ferè Theologis acceptatur, quàm duabus assertionibus explicabo.

Prima Propositio.

Respondeo primo, Spirationem passiuam realitèr distingui à spiratione actiua: Et idem dicendum est de alijs relationibus mutuis, quæ ad inuicem oppositionem inter se habent. Ità *S. Thom. hac quæst. art. 3.* Et est de Fide. Et probatur, tùm quia inter producens, & productum substantiale, & totale est realis distinctio relatiua, & mutua. Tùm quia de Fide est, Diuinas Personas realitèr inter se distingui: sed hæc distinctio in Diuinis habetur per relationes oppositas, ergo oppositæ relationes in Diuinis realitèr inter se distinguntur.

Secunda Propositio.

Respondeo Secundo, Spirationem actiuam nullo modo in re distingui à Paternitate, & Filiatione. Hæc conclusio ità certa est, vt opposita Durandi sententia non solum falsa, & temeraria, sed etiam in Fide parum tuta ab omnibus ferè Theologis iuremeritò reprobetur.

Probatur primo eisdem argumẽtis, quibus supra ostensum est intèr relationes, & Diuinam essentiam, nullam esse actualem distinctionem; Nam si spiratio actiua distinguitur realitèr à Paternitate, & Filiatione, esset in Deo rerum quaternitas, daretur realis compositio, vel aggregatum per accidens in Diuinis,

nis, aliquid verè creatum in Deo constitueretur. Nam quod distinguitur realiter à Deitate, non potest non esse aliquid creatum, sed spiratio actiua à Deitate realitèr distingueretur, sicut distinguitur à Paternitate, & Filiatione, ergo esset aliquid creatum. Ex quo fieret etiam Spir. Sanct. esse aliquid creatum. Nam Spiratio actiua, & passiua sunt in eodem ordine, mutuóquè sibi respondent, sed Spir. Sanct. constituitur per spirationem passiuam, ergo sicut Pater, & Filius, vt sunt vnus Spirator, essent aliquod creatum, ità etiam Spir. Sanct. esset creatura. Hæc autem absurdissima esse in Fide quis non videt?

Secundo Probatur ex *Concil. Tolet. 11. in Confess. Fidei*, vbi hæc habentur. *Sanctiss. Trinit. quæ vnus, & verus Deus est, nec recedit à numero, nec capitur numero; in relatione enim Personarum numerus cernitur; in Diuinitatis verò substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Hoc ergo solo numerum insinuat, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Hic vides in Trinitate non alium esse rerum numerum, nisi trium Personarum: At si spiratio actiua esset realiter distincta à Paternitate, & Filiatione, vtiquè hæc numerum facerot, nec verùm esset, quòd inquit Concilium. *In sola relatione Personarum numerum cerni.* Secundo per illa verba, *Hoc solo numerũ insinuat, quòd ad inuicem sunt*, significatur sola relatione opposita sequi numerum in Diuinis: at intér Paternitatem, & Filiationem ex vna parte, & intér spirationem actiuam ex altera, non est oppositio relatiua, cum istæ sint relationes disparatæ, ergo non est distinctio realis intér has relationes.

Tertio. Probatur hac ratione: Si Spiratio actiua esset realitér distincta à Paternitate, & Filiatione, sequitur quatuor fore in Diuinis personas: Consequens est hæreticum, ergo &c. Probo sequelam. Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, vt sequẽti quęstione declarabitur, sed spiratio actiua, si esset realitér distincta à Paternitate, & Filiatione, certè non esset verum accidens reale; quia hoc dicit maximã in Deo imperfectionem: esset igitúr Spiratio actiua substantialis, & per se subsistens in natura Diuina, quæ est intellectualis, ergo illa esset Persona. Quare sicut Spiratio passiua, Filiatio, & Paternitas tres Trinitatis Personas constituunt: Ità Spiratio actiua quartam Personam constitueret.

Nec satisfacit respõsio Durandi numero 33. dicentis, Ad Personam requiri incommunicabilitatem: at Spiratio actiua communicatur Filio, & Patri, & ideò non est distincta Persona à Persona Patris, & Filij, atquè ità non datur quarta Persona in Diuinis.

Non inquam satisfacit. Probo enim Spirationem actiuam esse incommunicabilem, si realitér distinguitur à Paternitate, & Filiatione, sic. Subsistens realitér distinctum à Patre, & Filio est incommunicabile, sed Spiratio actiua esset subsistens, à Paternitate, & Filiatione distinctum, ergo &c. Minor conceditur

ditur à Durando: Maior patet; Etenim quid est subsistere incommunicabilitér, nisi esse subsistens à quolibet subsistente realitér distinctum? vt patet inductione, in quibuscunqué alijs suppositis, tàm creatis, quàm Diuinis; quæ non aliter sunt incommunicabilia, nisi quia vnum subsistens ab alio realitér distinguitur. Incõmunicabilitas enim ex sua essentia realem parit distinctionem. Secundo Incommunicabilitas, quæ est de ratione Personæ est incommunicabilitas passiua non actiua, vt in Tractatu de Incarnatione dictum fuit. At spiratio actiua habet hanc passiuã incommunicabilitatem; siquidem ipsa ab alia persona assumi non posset ad subsistendum, cum ipsa in se sit realitér subsistens.

Tertio, Quod spiratio actiua sit cõmunis Patri, & Filio, non proindè desineret esse Persona, si ipsa esset subsistens distinctum à Patre, & Filio; Nam Personalitas Vèrbi communis est Filio, & humanitati Christi, nequè tamén desinit esse Persona: Item si subsistentia Gabrielis per potentiam absolutam aliquo modo vniretur cum Raphaele, & Michaele, non propterea amitteret propriam incommunicabilitatem, nec rationem Personæ, ergo similitér, quod spiratio actiua vniatur cum Paternitate, & Filiatione, non tamén desinit esse quarta Persona, si in se sit subsistens à tribus Diuinis Personis realitér distinctum.

Quarto Si spiratio actiua à Paternitate, & Filiatione realitér est distincta; consequitur primò, personam Spir. Sanc. esse simpliciorem Filio, & Patre; Siquidem in Spiritu Sancto esset sola spiratio passiua, & essentia, quæ ex eodem Durando solum ex natura rei intér se distinguerentur. At in Patre, Filioq; nõ solúm esset hæc distinctio ex natura rei intér proprias relationes, & Diuinam essentiã, sed insuper esset alia distinctio realis intér ipsum Patrem, & Filium, & inter Spirationem actiuam, ergo Persona Spir. Sanc. simplicior esset Persona Patris, ac Filij. Hoc autém quam sit absurdũ, quis non videt? Nam hoc modo Diuinæ Personæ non essent prorsus intér se æquales: Rursus si spiratio actiua est res realitér distincta, & subsistens, ergo dicit aliquam veram perfectionem, ergo aliqua maior perfectio esset in Patre, & Filio, quæ non esset in Spir. Sancto. Siquidem in Patre, ac Filio esset essentia, Paternitas, & Filiatio, & insuper spiratio actiua: at in Spiritus Sanctus esset sola essentia Diuina, & spiratio passiua, ergo minús perfectus esset Spiritus Sanctus alijs duabus Personis, quod æqualitatem Diuinarum Personarum prorsus eneruat.

Tandém si eadem numero relatio Paternitatis potest plures filios respicere, etiamsi successiuè vnus post alium gignatur; vt docet *Sanct. Thom. 3. p. quæst. 35. ar. 5. in C.* cuius hæc sunt verba. *Contingit autem quandoq; quòd aliquis habeat relationẽ ad plures secundũ diuersas causas eiusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est Pater diuersorũ filiorũ*

secundũ diuersos generationis actus; vndè paternitas nõ potest specie differre, cũ actus generationũ sint idem specie. Et quia plures formę eiusdẽ speciei nõ possunt simul inesse eidem subiecto, nõ est possibile; quod sint plures paternitates in eo, qui est pater pluriũ filiorũ generatione naturali. Secùs autẽ eßet si esset Pater vnius generat. naturali, et alterius per adoptionẽ: idẽ docet *Cai. et Fer. 1. cõtra Gẽtes c. 4. Sõc. 1. Met. q. 32.* quãto magis poterit eadẽ realitas Paternit. & Filiationis respicere duos terminos realitér distinctos, nẽpè Filiũ, & S.S. & similitér eadém realitas filiationis poterit respicere Patrẽ, & Spiri. S. cùm Diuina relatio sit infinita, & pluribus realitér distinctis æquiualens. Antecedens declaratur; Nam Paternitas primo producta potest ità esse perfecta in ratione indiuiduali, & ità perfectè actuare fundamentum, vt nouo Filio genito actualitér illum respiciat, & sic tertium, & quartum, absquè eo, quod noua numero Paternitas producatur; præsertím cum in sententia D. Thom. non possint duo accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto reperiri. Quod autém à principio non actu respiceret secundum, vel tertium filium, híc non erat defectus Paternitatis, quæ de se erat apta respicere quoscumquè filios ab eodem principio genitos, sed defectus proueniebat ex eo, quia deerat condicio sine qua non, scilicét actualis terminus nempè secũdus, & tertius filius. Exemplum est in speciebus mentib. Angelicis à principio creationis infusis, quæ de se aptæ sunt repręsentare indiuidua contingentia, quæ succeßiuè paulatím producuntur; Non tamén ea actu repræsentant, ne intellectus Angelicus decipiatur, quia deest condicio sine qua non actu nõ repræsentant, scilicét actualis obiecti existentia, qua posita species tunc actu repræsentant absq. vlla noua modalitate superaddita, cum prius nõ repræsentarent: Ità similitér illa Paternitas ante existentiam secundi, & tertij filij non eos actu respiciebat, qua posita eos actu respicit absq. vlla noua Paternitate num. distincta superaddita.

Soluuntur argumenta contra distinctionem realem spirationis actiuæ à Paternitate, & filiatione.

Ad primum distinguo Maiorem. Quando vnum extremum potest esse sine âltero verè, & realitér illa distinguntur in re; concedo Maiorem. At Patrem in Diuinis posse generare, & non spirare: Nego istam Minorem. Quando verò vnum extremum potest esse sine altero ex suppositione impossibili, & repugnante, illa in re distingũtur, nego Maiorẽ: talis est hæc hypothesis, quod Pater generet, & nõ spiret; Et ideò ex tali suppositione implicante solum habetur per locũ vt aiunt, intrinsecum distinctio virtualis, non autém formalis, vel realis. Sit Exemplum si Deus per impossibile nõ esset immensus, esset tamén iustus, ergo Iustitia, & Misericordia in re distinguntur; verum est antecedens; sed falsa Consequentia.

Ad

Ad Secundum, Primo retorqueo argumentum sic. Sicut se habet genitor ad genitum: Ità se habet spirator ad spiratum, ergo à permutata proportione; sicut se habet spiratus ad genitum: Ità se habet genitor ad spiratorem, sed spirator, & genitus distinguntur, vt duæ Personæ, ergo etiam genitor, & spirator distinguerétur vt duę Personę, quod esset quartam constituere in Diuinis Personam contra Ecclesiæ definitionem. Respondeo secundo & directè, non esse eandem rationem intèr generare, & spirare, & intèr generari, & spirari. Nam inter hęc duo est oppositio originis saltèm mediata; Spiritus enìm procedit à genito, & ideò realitèr intèr se distinguntur: at intèr generare, & spirare nulla est oppositio originis, nō enìm spirator procedit à genito, sed eadē Persona est genita, & spirator, & Pater est principiū vtriusquè, scilicèt Filij per Intellectū, & Spir. Sanc. per voluntatem.

Ad tertium. Posset in rigore admitti talis propositio in sensu identico, scilicèt Paternitas est spiratio. Sensus enìm esset, Paternitas, & Spiratio eandem habent realitatem, quòd verum est: optimè tamèn illam propositioné Sanct. Th. negauit, hac fortè ratione impulsus, quia cum dicitur, Paternitas est spiratio semper accipitur in sensu formali, & non tantùm in sensu identicò, sicut accipitur illa, Sapientia est Bonitas: Etenìm cum relatio suum terminum respiciat, nec sine illo concipi vnquam possit: ideò sicut termini non prædicantur de se inuicem: Ità nec relationes: sicut igitur hæc est falsa, Pater est Spir. Sanc. Ità hæc est falsa, Paternitas est spiratio. Ne igitur Diuinas Personas confundamus, optimè S. Doctor hanc propositioné iurè reprobauit: hoc autèm periculum cessat in illa propositione, Sapientia est Bonitas, cum hæc attributa sint quid absolutum.

Ad Quartum, Multa de illo axiomate supra dicta sunt, nunc breuiter negatur omninò in Diuinis; Nec vrget, quòd spiratio actiua infinita simplicitèr non sit; Nam sicut Diuina essentia propter suam omnimodam infinitaté potest omnes Diuinas relationes sibi identificare: Ità quia spiratio actiua est infinita in suo genere, poterit identificari cum Paternitate, & Filiatione sola, cum quib. realitèr reperitur. Exemplum est in Diuinis attributis, quæ solum sunt infinita in suo genere, & tamèn identificantur cum rebus realitèr intèr se distinctis, quales sunt tres Diuinæ Personæ. Ad confirmationem nego Consequentiam: non enìm valet ab essentijs creatis absolutis ad Diuinas relationes infinitas arguere; Quare vel consequentia loquitur de creatis relationibus, & túnc illam admitto, vel de Diuinis, & tunc illam negamus.

Ad Quintum, Transeat Maior, nego Minoré. Ad probationem respondetur, illam maximam. *Quę distinguntur specie, distinguntur numero*, valere solum in his, quæ sub Prædicamento

ſubſtantiæ directè ponuntur, vt baſim, & fundamentum omnium prædicatorum eſſentialium. At Diuinæ relationes ſunt ſupra omne prædicamẽtũ, etſi ad aliquod reducẽdæ eſſent, ad genus relatiuorum reducerentur. In alijs autem caſibus illam maximam locum non habere; Nam actio, & paſſio diſtinguntur ſpetie, non tamèn numero; quia habent eandem realitatem: Ità album, & dulce ſpecie differunt; non tamèn numero; quia ſunt idem re, & numero in lacte. Imò nequè valet illa maxima in gradibus Metaphiſicis. Nã eſſe vegetatiuũ, & ſenſitiuũ ſpetie differunt, nõ tamẽ numero, quia ſunt idem re in homine. Adde, quod cum Deus, & Diuinæ relationes non ſint in genere, nequè ſunt in ſpetie, niſi per quãdam accommodatienem; Illa autèm maxima; *Quæ differunt ſpecie differunt numero* valet in his, quæ propriè ſub ſpecie continentur, quales non ſunt Paternitas, & Spiratio actiua.

DISPVT. XIV.

An terminus formalis relationum Diuinarum ſit aliquid formalitèr Relatiuum.

QVi cenſent creatas relationes tàm mutuas, quàm non mutuas, terminare ad aliquid abſolutum; idem putant de Diuinis relationibus. Quam quidem ſententiam ſequitur *Scot. in 1. diſ. 3. quæſt. 1. Lycheeus ibidem*, & alij, quos ſequitur *Suarez in Metaphiſicà diſp. 47. ſec. 17.* vbi *num. 35.* inquit *Licèt Diuinæ relationes non poſſint habere pro termino formali aliquid abſolutum*; quia omne, quod eſt, abſolutum in Diuinis eſt eſſentiale, *& commune tribus Perſonis, tamèn Paternitàs Verbi gratia non terminatur ad relationẽ filiationis formalitèr, ſed tantùm materialitèr, quia etiamſi per impoſſibile Filius per aliquid abſolutum in eſſe Perſonali conſtitueretur, ſicut de facto per relationem conſtituitur, adhuc Pater reſpiceret Filiũ, vt ſubſtantiã à ſe ipſo genitam*. Idem clarius demonſtràt in proceſſione paſſiua, quæ terminatur ad Patrem; & Filium, non quatenus Pater, & Filius Spir. Sanc. relatione ſpirationis actiuæ reſpiciunt, ſed quatenus conſtant vnum principium Spir. Sanc. Itaut etiamſi per impoſſibile non cõſurgeret in Patre, & Filio relatio ſpirationis actiuę, adhúc tamén Spir. Sanc. reſpiceret Patrem, & Filiũ, à quibus eſſe obtinuit.

Alij dicunt Diuinas relationes poſſe dupliciter conſiderari. Primo, vt ſunt formæ hyppoſtaticæ ſubſiſtẽtes, & Diuinas Perſonas conſtituentes. Secundo, vt formalitér dicunt reſpicientiam: Primo modo Pater terminat relationem Filij, & e contra. Non autem ſecundo modo. Atq; ità potiùs ſequitur, Perſonam Patris ſecundum rationem abſolutam terminare relationem filiationis, quàm ſecundum rationem relatiuam, vel terminare ſecũdum rationem relatiuam materialitér; non formalitér.

Prima Propositio.

Respondeo In Diuinis terminum formalem relationis esse aliquid formalitér relatiuum: Probatur terminus formalis Diuinæ relationis debet esse aliquid re distinctum à relatione; sed omnis distinctio in Diuinis habetur formalitér per relationem; vt hæc formalitér dicit *Ad* ergo terminus formalis Diuinæ relationis est aliquid formalitér relatiuum; & non tantum materialitér. Minor est clara: Maior probatur: Nam *ad aliquid est cuius totum esse est ad aliud*, vt ad terminum à quo specificatur, ergo intér terminum,& relationem necessariò interuenit actualis distinctio. Nam idem se ipsum non specificat; Confirmatur hoc Argumentum. Nam si per impossibile persona Filij non cõstitueretur per relationem; sed per aliquid absolutum, nequè à Patre distingueretur, cum sola relatione opposita à Patre distinguatur, ergò substantia Filij non posset tunc terminare relationem paternitatis; & hoc maximè procedit iuxtà communẽ Theologorum sententiam negantem Diuinas Personas cõstitui in ratione Personæ per rationem originis actiuæ, vel passiuæ, vt voluit D. Bonauentura; sed constitui in ratione Personæ per ipsas formales relationes. Similitér si Spir. Sanc. nõ procederet à Filio, sed solum à Patre, ab eodem Filio non distingueretur, sed Filius, & Spir. Sanct. essent vna, & eadem Persona, quæ solum ratione intér se distinguerentur, vt infrà ostendemus, ergo Spir. Sanc. nõ potest respicere Filium, nisi vt distinctum ab ipso suppositum, talis autém distinctio formalitér habetur per spirationem passiuam, & actiuam, ergo terminus formalis spirationis passiuæ erit spiratio actiua, & terminus formalis spirationis actiuæ erit spiratio passiua.

Secundo; Sumo Personam Spiritus Sanct. & de illa sic argumentor: In Persona Spir. Sanc. duo solum considerantur, Essentia, & relatio spirationis passiuæ, sed Spir. Sanc. non terminat relationem spirationis actiuæ ratione Diuinæ essentiæ, ergo ratione relationis spirationis passiuæ; & sic habetur intentum.

Dices, Personam Spiritus Sancti terminare spirationem actiuam non per spirationem passiuam, vt relatio est, sed vt forma hyppostatica est.

Sed contra vrget argumentũ iam factum. Quia spiratio passiua, vt forma hyppostatica est præcisè, non distinguit à spiratione actiua, ergo non poterit terminare relationẽ spirationis actiuæ. Consequentia patet, quia inter relationem, & terminum formalem eiusdem debet esse distinctio in re. Antecedens patet ex illo Axiomate In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio, ergo tota ratio distinctionis in Diuinis formalitér habetur per oppositionem relatiuam, vt formalitér dicit *Ad*.

Res-

Secunda Propositio.

Respondeo Secundo etiam in creatis relationibus mutuis, re diligentér considerata, probabilius esse, vnum relatiuum per se formalitér, & reduplicatiuè terminare ad suum Correlatiuum reduplicatiuè sumptum. Ità *Caiet. 1. par. q. 13. art 7.* qui hoc etiam extendit ad relationes nō mutuas, sed melius *Ferr. 2. contra Gentes cap. 11.* restringit ad mutuas relationes.

Ad euidentiam huius conclusionis aliqua notanda sunt, sine quibus cōfusio maxima in hac materia contingit.

Sciendum igitur est primo. Terminum relationis mutuæ posse dupliciter considerari. Primo vt actu terminat relationem. Secundo in actu primo: quatenus dicit potentiam ad terminandum remotam, vel proximam. Albū igitur, vt dicit potentiam ad terminandum relationem similitudinis, est quid absolutum, habet enim hanc aptitudinem, quia habet albedinem, quæ est forma absoluta: At si consideretur album, vt actu terminat relationem alterius albi sibi similis, ideò terminat, quia est coalbum conueniens in forma cum altero albo. Rursus hæc quatuor sunt in relatione Patris, & Filij distinguenda, & idem dic de alijs correlatiuis, Generans in actu: Genitum in actu: Paternitas, quæ est in generāte, & Filiatio, quæ est in genito. Rursus Paternitas potest duplicitér considerari, primo specificatiuè, secūdo reduplicatiuè: tunc Paternitas consideratur specificatiuè, quando consideratur, vt trahit generantem ad genitum, in quo casu licét generans sit affectum Paternitate, non tamén refertur formalitér vt Pater ad Filium, sed vt generans ad genitum. Porrò licét in cōmuni sermone Pater, & generans, Filius, & genitus pro eodē sumātur, multum tamén intér se differunt. Nam generans est persona absoluta, sicut & genitū: At Pater, & Filius sunt quid relatiuum; Et ideò Paternitas in creatis re distinguitur à generante, sicut filiatio à genito. Tunc autém consideratur Paternitas reduplicatiuè, quando Paternitas refert generantem, vt Patrem formalitér ad suum terminū, in quo casu generans se habet quasi materialitér. Dico igitúr Generantem respicere Paternitate genitum, non quia genitus respicit Generantē, sed quia ab illo suum esse accepit, atq; ità ratio formalis terminans hunc respectum generantis est absoluta: similitér genitus respicit generantem, vt principium substantiale sui esse, quæ est ratio absoluta, & in hoc cum Aduersarijs conuenimus; Verúm si generans consideretur, vt Pater est reduplicatiuè, tunc respicit Filium, vt Filius est, & e contra, atq; ità ratio terminatiua harum relationū est aliquid formalitér relatiuum.

Atquè sic explicata Conclusio probatur. Ille est terminus formalis relationis, vel relatiui, per quod ipsum definitur, sed vnum relatiuum definitur for-

formalitér per ordinem ad suum correlatiuum, ergo vnum relatiuum terminatur formalitér ad aliud relatiuũ. Minor est *Aristotelis cap. Ad Aliquid*; & per se nota. Maior probatur. Per illud aliquid formaliter definitur, a quo suam essentiam, & speciem sumit, sed vnum relatiuum sumit suam essentiam, & specificationem per ordinem ad suum terminum formalem, &c. ergo &c.

Respondebis Vnum relatiuum definiri per correlatiuum concomitãter, non formalitér.

Sed contra, Quod ponitur in definitione, est illi essentiale; sed solus terminus, vt formalitér talis, est de definitione relatiui, ergo vnum relatiuum definitur per aliud non solum concomitanter, sed essentialitér. Confirmatur si filius terminat relationem Paternitatis, non quatenus Filius, sed secundum esse absolutum, scilicét vt est substantia genita, ergo viso Patre, tàm in Creatis, quàm in Diuinis per se, & formalitér ex vi visionis Patris non videretur Filius. Hoc autém est impossibile; Tùm quia relatiua sunt simúl cognitione; Tùm quia dum Philippus Christum interrogauit; *Domine osten de nobis Patrem*; Ineptè respondisset Christus. *Philippe; Qui videt me, videt & Patrem meum.*

Secundo Correllatiua sunt simúl natura *cap. ad aliquid*; sed si terminus relationis mutuæ non esset relatiuus formalitér, correlatiua non essent simúl natura, ergo &c. Assumptum probatur; Nam si Pater, vt Pater non terminatur ad Filium, vt filius, sed ad hunc hominem genitum, ergo hic homo genitus erit terminus Paternitatis, & per consequens iste erit simúl natura cum Paternitate, vt actu talem terminum respicit, non verò filiatio erit simúl natura cum Paternitate. Siquidem filiatio resultat ex substantia hominis geniti, atquè ità posterior esset natura ipsa substantia hominis geniti; Omne enim, quod resultat ex alio, natura posterius est illo. Confirmatur. Cum Paternitas actu respicit suum terminum, vel tunc in termino est filiatio, vel non est, si non est, ergo Paternitas, & Filiatio non erunt simul natura, & sic habemus intentum: si est, ergo cum terminus tunc sit formalitér relatiuus, & affectus relatione filiationis, per consequens, vt est formalitér relatiuus, eandem Paternitatem terminabit.

Tertio Ille est terminus formalis, & per se mutuæ relationis, qui est illi formalitèr oppositus; sed vnum relatiuum opponitur formalitèr suo Correlatiuo, ergo vnum relatiuum erit terminus formalis sui correlatiui. Maior probatur; Illud est terminus formalis mutuæ relationis, quod ponit intèr illa incõpossibilitatem, sed quod est formalitèr oppositum, est illi incompossibile, ergo terminus formalis mutuæ relationis est aliquid formalitèr oppositum. Minor probatur. Quæ se mutuò ex vi suæ formę ab eodem subiecto excludunt, illa formalitèr dicunt oppositio-

sitionem, sed correlatiua se mutuo excludunt ab eodem subiecto: non enim idem potest esse Pater, & Filius, nec seruus, & Dominus. Confirmatur. Absolutum, & relatiuum non dicunt formalem intèr se oppositionē, cum se inuicem patiātur; si ergo terminus mutuæ relationis esset aliquid absolutum, nulla esset formalis, & vera intèr correlatiua oppositio.

Quarto *Aristoteles in cap. Ad aliquid* ait *Quod Dominus non est serui secundū quod homo, sed secundum quod est Dominus, & quod si à Domino omnia auferantur, & solum remaneat, quod sit Dominus, semper seruus ad ipsum dicetur, quia seruus Domini seruus dicitur*, sed hoc est dicere seruū referri ad Dominum, vt Dominus est, consequenter ad relatiuum formalitèr, ergo relatio mutua, qualis seruitus est, terminatur ad relatiuum, & non ad absolutum. Confirmatur seruus, vt seruus non respicit Dominum, vt homo est, quia iurè naturæ nullus est seruus, vel Dominus, ergo seruus respicit hominem, vt Dominū formalitèr, & idèm dic de alijs correlatiuis.

Tandèm Contrariorum contrariæ sunt rationes, sed in relatiuis non mutuis terminus est quid absolutum, ergo in mutuis terminus erit formalitèr relatiuus.

At obijcies primò relatio consurgit posito fundamento, & termino, sed si terminus esset relatiuus, tale axioma esset falsum, ergo &c. Assumptū probatur. Si relatio consurgit ex termini positione, ergo terminus saltèm natura præcedit relationem, sed Correlatiua sunt simùl natura, ergo vnum relatiuum non potest esse terminus alterius relatiui formalitèr, sed solum concomitanter.

Respondeo distinguendo Maiorē relatio consurgit posito fundamento, & termino, vt secunda causa resultantiæ relationis, concedo: vt formalitèr terminante relationem, nego. Sic Paternitas resultat quidem posita substantia Filij, non tamèn respicit, vel terminatur ad substantiam filij formalitèr, sed potiùs ad filiationem, per cuius ordinem accepit suam speciem, essentiam, & definitionem. Ità *D. Th. quæst. 3. de Potentia art. 9. ad 5.*

Respondeo secundo iterum distinguendo eandem Maiorem, relatio cōsurgit ex positione termini, aptitudine terminantis relationē concedo. Actu terminantis relationem, vt nos loquimur, nego. Quod idem est ac si clarius dicerem, relationem consurgere ex positione termini materialitèr sumpti concedo: formalitèr sumpti vt formalitèr terminat Correlatiuum, nego. Quare terminus materialitèr sumptus est aliquid absolutum, terminus formalitèr sumptus est aliquid relatiuum. sic substantia genita est terminus generationis formalitèr, sed respectu Paternitatis materialitèr: at filiatio est terminus formalis Paternitatis, & Paternitas Filiationis.

Secundo Obijcies, Si vnum relatiuum terminatur formalitèr ad aliud rela-

relatiuum, non posset subsistere illa D. Th. doctrina dicentis B. Virg. habuisse relationẽ maternitatis ad Christũ, sed Christum non habuisse relationem filiationis ad Matrẽ. Probatur hęc sequela. Impossibile est manere relationem sine suo termino, etiam per absolutam potentiã, sed terminus formalis maternitatis est filiatio, ergo si in Christo non fuit relatio filiationis ad B. V. neque fuisset in B. V. relatio Maternitatis ad Christum, quod argumentum efficacissimum contra Thomistas arbitratur *Suarez d. sec. 16. nu. 29.* Ex quo rursus ostendi potest, terminum maternitatis in Christo fuisse aliquod absolutũ, scilicét substãtiã Christi genitã, & idẽ de alijs correlatiuis dici debere.

Respondeo, Nos solum asserere tunc terminũ esse formaliter relatiuũ, quãdo relatio est mutua: at iuxtà hanc D. T. sententiam, quæ tamén Viris doctis difficilis semper visa est, relatio nõ esset mutua, sed solum ex parte Matris se teneret; & ideò obiectio ista efficacissima vires non habet.

Tertio, Obijcies illa ratio formalis, quæ in vno extremo est ratio fundandi relationem, est etiam ratio terminandi aliam oppositam relationem, sed ratio fundandi relationẽ filiationis, verbi gratia est absoluta, scilicét esse genitum, ergo idem esse absolutum erit ratio terminandi Paternitatem.

Respondeo distinguendo Maiorẽ. Illa ratio formalis, quæ in vno extremo fundat relationem, etiam terminat aliam oppositam relationem, si materialiter, & radicalitér intelligatur, concedo, si actualitér, & formalitér, nego.

Quarto obijcies. Si vnum relatiuũ formalitér per aliud definiretur, & contra, ergo idem per idem definiretur, atquè ità vitiosus circulus in talib. correlatiuorum definitionibus committeretur. Confirmatur Partes definitionis sunt priores, & notiores definito ex *Aristotele 7. Metaph. t. 33. & 34.* Sed vnum relatiuum non est notius suo correlatiuo, nec vnum est prius alio, cum sint simul natura, ergo definitio relatiui etiã mutui traditur per suum terminum, vt absolutum, non vt relatiuum.

Respondeo. Non idem per idem, sed vnum extremum per aliud distinctum definiri; Et licét relatiuorum definitiones sint circulares; tales tamẽ circuli vitiosi non sunt, quia *Aristoteles 1. Poster.* Talem circulum prohibet solum in absolutis, & non in mutuis, quæ mutuò condefiniuntur. Ad Confirmationem respõdetur, non omnes partes definitionis esse priores, & notiores definito, sed solum partes intrinsecas, quales sunt Materia, & Forma, Genus, & Differentia; non autém extrinsecas partes esse priores, & notiores definito, quales sunt Correlatiua, quæ simúl se ponunt, & simúl se interimunt: Quam exemptionem etiam docuit *Aristoteles 6. Top. loco secundo.*

Duę aliæ hic superessent agitandæ Disputationes; quarum prior est: An Diuinæ relationes dicant perfectionẽ

Poster: An præter quatuor relationes originis, dentur aliæ relationes reales in Diuinis Personis. De priori sermo erit seq. D. Thom. quæstione, de posteriori quæst. 41. ar. 2. Quibus in locis difficultates istę propriam mihi sedem habere videntur.

QVÆSTIO XXIX.
DE DIVINIS PERSONIS.

DISPVTATIO XV.

De Personæ definitione, & quomodo ab Hypostasi supposito; subsistentia, & re naturæ differat.

D. Th. Art. 1. & 2.

Prætereunda hoc loco non est insipida Laurentij Vallę lib. 6. c. 34. sententia dicentis, Personam qualitatem significare; & ideò tres diuinas Personas esse tres qualitates, quod si Persona, inquit, substantiam significat, non magis Deum, quam Bruta Personas dici posse. Nec alio fundamento mouetur, nisi quia sæpe dicimus, Hic agit Personam Regis, ille serui; &c.

At ne Sutor vltra crepidam. Quid Grammaticè de rebus Theologicis imprudenter differis? Audi Apostolum, dicentem, Apud Deum non est acceptio Personarum. Interroga Athan. & respondebit tibi; Quod alia est Persona Patris; alia Filij, alia Spir. Sanc. Reuolue tuum ipsum Tullium in Topicis, & Partit. in quo nō te pudet, tam parum esse versatū. & hæc verba apud ipsum reperies. Alia esse rerum, & alia personarū attributa, perlege Val. Max. & videbis quoslibet homines ab ipso personas nuncupari. Certum igitur sit Personam non qualitatem, sed substātiam significare, cuius multas Theologi tradidere definitiones.

Alber. Mag. *in 1. dist. 25. art. 3.* sic Personam definit. *Persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatē pertinens. D. Bonauent. eodem loco q. 1.* inquit. *Persona est rationalis naturæ suppositum proprietate distinctum* Ric. de S. Vict. lib. 4. de Trin. cap. 23. inquit. *Persona est rationalis naturę incommunicabilis existentia*; idest substantia, qua quidē definitione vsus est etiā Ioa. Theol. in Concil. Flor. sess. 1. post medium.

At retinenda à nobis est illa Personæ definitio, quam habet *Boetius Seuerinus in lib. de duab. naturis*; quam etiā amplectitur S. Th. & est huiusmodi *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Dicitur *substantia* loco generis, quod non tam nudam substantiam, quam suppositum significat; Nam nomine substantiæ vtrumque significari

testis

testis est Aristoteles, & S. Thom. *hic ar. 1. ad 2.* dicitur *indiuidua*; quod nomen non singularitatem; sed incommunicabilitatem naturę substantialis significat: Humanitatis enim Christi Domini erat substantia singularis, & indiuidua; non tamén erat Persona, quia Diuino Verbo communicari poterat; Vnde D. Th. hic art. 1. ad 2. inquit: *Non enim dicimus, quòd homo cōmunis sit hypostasis, neq; etiā manus cum sit pars: sed per hoc quod additur indiuiduū, excluditur à Persona ratio assumptibilis. Humana enim natura in Christo nō est persona, quia est aßumpta à digniori; scilicet à Verbo Dei.* Subdit tamen S. Doctor, Personam dici etiam indiuiduam substantiam, vt denotetur illam stare pro substantia prima: Siquidem, vt dictū est, secunda substantia nō dicitur persona, vel hypostasis, vel suppositum. Dicitur *rationalis naturæ*, vt propria differentia significetur inter suppositum subsistētiā, & personam; suppositum enim, & subsistentia etiam de Brutis, & nō Viuentibus prædicatur; de quib, tamē nō pdicatur persona, & hypostasis, quia intellectu carent. Ne tñ putes p *naturā rationalē* intellexisse Boetiū, solam humanam naturam, sed nomine *rationalis* intellexit *quācumque naturam ratione vtentem*, seu quamcumq; naturam intellectualem, tám creatā, quám increatam; tám discursiuam, quám non discursiuam. Porrò incommunicabilitas, quæ est de ratione Personæ, passiua est, non actiua; quatenus licét ipsa terminari ab alia persona nequeat, cum sit vltimus naturæ terminus; Non repugnat tamén ipsam actiuè aliam naturam terminare, vt patet in persona Verbi, quę Diuinam, & humanam naturam terminauit: Vtrum verò repugnet creatā personam propriam, & alienam naturā de potentia Dei absoluta terminare, sequenti Disputatione agemus: interim alia nomina hypostasis, Res naturę, suppositum, subsistentia explicanda à nobis sunt.

De nomine Hypostasis, & num in Diuinis sint concedendæ tres Hypostases vel vnica.

Hypostasis, quò ad eius primam originem, ac nominis æthimologiam, si Latinè verbum pro verbo reddendum sit, idem significat, quod subesse, vel substare. Vndè omne id, quod alijs substat, vt fœces, vel crassam materiam, quæ in fundo reperitur liquorum, præsignat, iuxtà illud Psalmi 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Græcè habetur *Hypostasis*, idest & nō est fundum, in quo consistam, & quiescam. Hinc Hypostasis interdum significat idem, quod fundamentum. Ad Hæbreos primo. *Fides est rerum sperandarum substantia* Græcè habetur est *Hypostasis* idest fundamentum. Et quia substantia est fundamentum, & subiectum accidentium, ideò hæc vox Hypostasis translata fuit ad substantiam significandam, & quia nomine substantiæ venit tùm essentia, tùm suppositū, ideò antiquis

temporibus Eccleſia mirumi n modũ excruciata fuit ob Arianam hæreſim vitandam, quid nomen Hypoſtaſis importaret, an ſubſiſtẽtiam, ſiuè naturam, vel ſubſiſtẽtiam, ſiuè ſuppoſitum: conſequenter An vnicam ob eſſentiæ Diuinæ vnitatem, vel tres ob perſonarum diuinarum Trinitatem Catholici fateri, & admittere deberent Hypoſtaſes:

Hinc diſenſio maxima inter orthodoxos, Pios, ac doctiſſimos Patres facta eſt, aliquibus tres in Diuinis Hypoſtaſes eſſe prorſus reluctantib. alijs id affirmantibus, adeò vt S. Gregorius Nazianzenus oratione de laudibus D. Athan. in fine hęc ſcribat *Res eò adducta eſt, vt periculum eſſet, ne orbis terrarum finis vnà cum ſyllabis à ſe inuicem diſtraheretur, & abrumperetur*. Audiamus D. Hieronymum Epiſ. 17. ad Damaſum Papam, ſic ſcribentem. *Taceantur tres Hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur: nomen hoc non eſt bonę ſuſpicionis*. & Paulo infrà. *Mihi credite; venenum ſub melle latet. trãsfigurat enim ſe Angelus Sathanæ in Angelum lucis*; & tandem concludit. *Tota Sęcularium literarum Schola nil aliud Hypoſtaſim, quã Vſiam ſignificarè norit; & quis ore ſacrilegò tres ſubſtãtias prædicabit!* Fauebant huic ſententiæ teſtimonia Scripturæ ſupra producta, in quibus nomina ſubſtantiæ, & Hypoſtaſis promiſcuè referuntur: & item illud ad Hæbreos primo. *Qui cum ſit ſplendor Gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* Græca lectio habet hypoſtaſis. Quod etiam roboratur ex Budæo Coment. Linguę Græcæ, vbi habet hyparxim, quod Vſiam ſignificat, ab hypoſtaſi parũ differre. Hanc partem acriter etiam patrocinabantur S. Athanaſius Epiſ. ad Epiſcopos Affricæ, vbi ait *Hyparxis & Vſia idem ſignificat quod hypoſtaſis*; nec non S. Auguſtinus libro 5. de Trinit. cap. 8. vbi ſic diſſerit. *Eſſentiam dico, quæ Vſia Grecè dicitur, quàm vſitàtius ſubſtantiam vocamus: Dicunt quidem, & illi ſcilicet Græci hypoſtaſim. Sed neſciò quid volunt intereſſe inter Vſiam, & hypoſtaſim, ita vt pleriq; noſtrum, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere conſueuerunt vnicam eſſentiam tres ſubſtantias: Sed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus eſſentiam, quod intelligitur, dum dicimus ſubſtantiam, non audemus dicere vnã eſſentiam, tres ſubſtantias, ſed vnam eſſentiam, vel ſubſtantiam, tres autem perſonas, quemadmodum multi Latini iſta tractãtes, & digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non inuenirent, quo enuntiarent nobis, quod ſine verbis intelligebant, tres ſubſtantias*. Cum ijs conſentiebat Conſilium Sardicenſe Epiſ. ad Epiſcopos, quam refert illam ſequens *Theodoretus lib. 2. c. 8.* dicens; *Diuinarum perſonarum vnam eſſe hypoſtaſim, &c.*

Alij verò nec minùs orthodoxi vnicam eſſe in Deo eſſentiam, tres tamén in eo hypoſtaſes Patris, Filij, & Spir. S. confitebantur, exiſtimantes hypoſtaſim, non Vſiam, ſed perſonã ſignificare: ſic *Gregorius Niſſenus in libello de differen-*

ferentia Visa, *& hypostasis D. Basilius Epist. 43. Damascenus lib. 3. de Fide a cap. 3. ad 6. Cyrillus Alexandrinus Ep. 10. D. Athanasius lib. de definitionibus, & in suo Symbolo*, inquit, *Alia est enim hypostasis Patris, alia Filij, alia Spir. S.*

Cum istis tandem tùm Concilia multa, Ephesinum, Alexandrinum, Calcedonense, Constantinopolitanũ, Sexta Synodus generalis act. 4. in Ep. Agathonis, & act. 11. in Epist. Sophronij, tùm vniuersalis Ecclesiæ vsus adeò consensit, vt nunc malè audirentur, imò de Fide suspecti haberentur, qui vnicam solam in diuinis esse hypostasim asseuerarent, eò quod personarum in eadem natura Trinitatem cum Sabellianis, vel cum Iudæis, aut Paganis euerterent.

Hinc ab hypostasi deducta est vnio hypostatica, quæ significat vnionem in persona, siuè personalem, vt indè luce meridiana clarius sit, vocem hypostasis secundum verum Ecclesiæ consensum pro persona aptissimè vsurpari, nec alio modo nunc ab Ecclesia recipiendam.

Hinc etiam sapienter D. Thomas *hic ar. 2. ad 2.* ex vna parte cum S. Hieronymo, Augustino, & alijs concedit nomen hypostasis secundum proprietatem significationis substantiam denotare, ex alia parte, quia nomen substantiæ apud nos modò significat essẽtiam, modò subsistentiam, ideò ad euitandam equiuocationem, & errãdi periculum, maluerunt Latini transferre pro hypostasi subsistentiã potius, quã substantiam, cõsequenter sicut dantur in Diuinis tres subsistentiæ, ità tres hypostases, tàm secundum Græcos, quã secundum Latinos.

Explicantur alia nomina Res naturæ, suppositum, subsistentia.

Vocatur etiam persona, & hypostasis Res naturę, suppositum, & subsistentia, quæ nomina idem ferè significant, sed sub diuersa ratione, secundum triplicem primæ substantiæ considerationem. Nam secundum quod aliquis v.g. Petrus habet talem naturã, dicitur res naturæ humanæ, quia manet sub tali specie, secundum quod supponitur accidentibus dicitur hypostasis, vel substantia, secundum verò quod aliquis non est in alio, sed in se, & per se, dicitur subsistentia, sic *S. Thomas hoc art. 2. in c.* in quo nihil de suppositi significatione differit, nisi fortè secundo loco, sub nomine substantiæ suppositum intellexerit, quasi suppositũ idem sit secundum D. Thomam, quod accidentibus supponi, quamuis mea quidem sententia suppositum indè proprius dicatur, quasi sub alijs positũ sit, idest oẽs aliorũ graduũ metaphysicorũ recipere prædicationes aptũ sit, ideoq. de ratione intrinseca suppositi est, quod sit substantia incõmunicabilis, sicut & persona, & hypostasis, subsistentia verò potest dupliciter considerari, vel vt quo, vel vt quod, quod idẽ est ac dicere, vel in abstracto, vel in cõcreto. Si consideretur in concreto, & vt

vt quod, tunc conuertitur cum supposito, persona, & hypostasi, & dicit intrinsecam incommunicabilitatem, secundum omnes Catholicos: Si verò subsistentia consideretur in abstracto, & vt quo, vtrum illa sit intrinsecè incommunicabilis, nec ne, pendet ab illa quæstione satis perplexa: Vtrum præter subsistentias relatiuas detur in Diuinis subsistentia absoluta cõmunis trib. Personis, de qua Disp. 18. cumulatissimè agemus: interim verò quæro hîc An suppositare alienam naturam ità sit proprium Diuinæ Personæ, vt neque de potentia Dei absoluta creatis suppositis conuenire possit.

DISPVT. XVI.

An suppositare alienam naturam ità sit proprium diuinæ personæ, vt neque de potentia Dei absoluta creatis suppositis competere possit.

AFfirmant *Durand. in 3. d. 1. q. 1. Palud. quæst. 1. art. 2. Caiet. Med. & Aluar. de Incar. q. 3. ar. 1. Sotus in 4. d. 9. quæst. 1. ar. 2. Suarez de Incar. disp. 13. sec. 4. Vasq. eodem tract. disp. 25*, & plures alij.

Probatur quod est propriũ soli Diuinæ Personæ non potest conuenire personæ creatæ, sed ex *D. Th. 3. p. q. 3 ar. 1. ad 2.* proprium est Diuinæ personæ propter eius infinitatem assumere alienam naturam, ergo id non potest competere creatis personis.

Secundo arguit Durand. & Vasq. d. dsp. 25. cap. 3. hunc in modum. Aut suppositum creatũ ex natura sua aptũ est propriã, & alienã Naturam terminare, aut hoc habet solum virtute Dei. Non primum, quia sequitur naturaliter posse creatũ suppositũ naturã alienam terminare, & quod in natura dandum esset agens naturale, quod naturalem haberet virtutem coniungendi naturã alienã cum creato supposito; quod esse impossibile omnes pro certo habent. Non secundũ, quia aut illa virtus cõmunicata tali supposito esset accidens, aut substantia, aut modus substẽtialis: nõ accidens, quia forma accidentalis non potest sustentare substãtialẽ naturã, nã effectus formalis sustentialis non potest esse à forma accidentali. Non substantia, aut modus eius, quia tunc non suppositum creatum, sed virtus illa, siuè substantialis, siuè accidentalis illum effectum sustentandi naturam alienam primò, & per se attingeret.

Tertio arguit Suarez vbi supra, subsistentia creata est modus naturæ; sed modus non potest modificare nisi naturam, cuius est modus, & cum qua solam habet identitatem, ita ut separari nequeat etiã de potentia absoluta Dei, ergo cum subsistẽtia det esse per se naturæ per intimam adhæsionẽ, & modificationẽ, non poterit transferri, & communicari naturæ alienæ. Cõfirmatur, nã impossibile videtur, quod aliquis possit sedere per sessionẽ alterius, vel quod vna quãtitas possit terminari, & figurari figura quantitatis alterius

terius vel quod vnum accidens possit inhærere per inhærentiam alterius, ergo neque fieri poterit, quod vna natura possit terminari, & sustentari per subsistentiam alterius naturæ.

Quarto arguit *Caiet 3.p.q.3.ar.1.* Si posset suppositum creatum alienā naturam suppositare, non esset maior ratio, cur posset suppositare vnā, & non plures, & plures in infinitum, sed hoc dicere in tali supposito supposirante infinitam perfectionem, hęc autē creaturæ repugnat, ergo, &c.

Quinto forma non potest eleuari ad dandum alium effectum formalem, quem sua aptè natura exercere non potest, sed subsistentia creata natura sua solum apta est dare esse per se naturæ illi, cuius est subsistentia, ergo &c.

Sexto arguit Aluarez vbi supra, si suppositum creatum posset alienam naturam terminare, aut concurreret ad illius terminationē, vt causa principalis, aut vt purum instrumentum Dei. Non primum, quia hoc argueret infinitā perfectionem in tali supposito, sicut facere miracula arguit in causa eorum principali infinitam virtutem. Non secundum, quia personam aliquam terminare alienam naturam nihil aliud significat, nisi communicare illi naturę esse personale proprium, sed hoc non significat esse instrumentum, sed causam principalem, quia concurrere ad aliquid, vt causa est principalis, est cōcurrere per propriā virtutē, & propriam formam: instrumentum autem concurrit, per motionem principalis agentis, sed si subsistentia illa terminaret alienam naturam, concurreret per propriam formam, ergo non concurreret vt instrumentum.

Septimo, Omnes Theologi solū hucusq; agnouerunt duplicē potentiam obedientialem, passiuam, qua aliquid supernaturale recipiatur, & actiuam, qua creatura attingit effectum excedentem propriam facultatem, sed suppositum creatum terminare alienam naturam, non dicit potentiam obedientialem passiuā, quia terminare nō est recipere, neque actiuam, quia per hanc terminationem non fit aliquid de nouo in illa natura, ergo implicantiam inuoluit creatum suppositum propriam, & alienā naturam terminare.

Ceterū cum de absoluta Dei omnipotentia agitur, illa nullo limite, aut termino definienda est, imò etiā cum timore aliquo, & tremore ad ea, quæ captu nostro non assequimur, extendenda. Plura enim Deus potest facere, quā nos intelligere.

Prima Propositio.

Respondeo igitur primo de potētia Dei absoluta non repugnare creatum suppositum alteri naturæ vniri, illamq; terminare substātialiter, ac dare illi esse subsistens, ita *Gab. in 3.d.1. quæst. 2. ar. 3. dub. 5. scot. q. 3. Maior q. 5. Almainus quæst. 2. dub. vltimo Hon-*

cala

cala quæst. 1. dub. vlt. ad 13. eandē sententiam pattocinātur ex Recentioribus *Albertinus in suis corrolar. cor. 2. q. 7. theologica ex prædicam. substantiæ.*

Probatur quod euidentē repugnātiā non cōtinent, non est denegandū Diuinæ omnipotētiæ, sed creatū suppositum terminare alienam naturam non manifestam continet repugnantiā, ergo: minor parebit ex solutione rationum. Secundo declaratur exēplis: idem punctus potest terminare plures lineas ductas à circumferentia ad centrum, sed subsistentia est terminus naturæ, ergo non repugnabit quod per potentiam Dei absolutam plures naturas terminet. Aliud exēplum est materię, quæ habet propriā subsistentiam qua carent formæ materiales, vt docet Suar. in Met. disp. 34. sec 5. à num. 42. Ad saluandum autem quomodo subsistentia compositi constituatur complera, & totalis docent cōmuniter Philosophi eādem subsistentiam materiæ terminare & complere materiam in genere substantiæ, & simùl sustentare, & terminare formam materialem, itaut hæc verè subsistat subsistentia materiæ, quid ergo repugnabit eandem subsistentiā Angeli, verbi gratia terminare & propriam, & simùl humanam naturam de potentia Dei absoluta?

Adde quod si potest ignis Inferni corporeus torquere realiter spiritus, si possunt sacramēta phisicè producere gratiam supernaturalē, si calor potest frigefacere, si potest creatura, vt Dei instrumētū creare, cū tamē eius actio sit intrinsecè pendens ex subiecto, cur repugnabit creatum suppositum alienam naturam de potentia Dei absoluta suppositare?

Tertio Probatur possibilitas huius rei manifesta ratione: Si hoc repugnat, vel repugnat ex parte naturæ alienæ assumēdæ, vel ex parte vnionis inter illa, vel ex parte subsistētiæ terminātis. Non primum, quia non repugnat createę naturæ priuari sua propria personalitate, & terminari aliena quantum est ex parte sua, vt de facto contingit in humanitate Christi. Non secundum, quia non repugnat virtute Dei produci in natura assumenda modus quidam supernaturalis, qui esset actuale vinculum, & nexus naturæ Petri, verbi gratia cum supposito Gabrielis; imò posset Gabriel, vt instrumentū Dei effectiuè modum illum producere, sicut humanitas Christi de facto est instrumētū Diuinitatis ad productionē gratię in omnib. Iustis, imò multi nō male Philosophantes censent B. V. de facto fuisse instrumentum Spir. S. ad producendam ipsam vnionem hypostaticam humanitatis Christi cum Verbo.

Neque Tertium, quia aut subsistentia dicit solam negationem essendi in alio, vt vult Scotus. At hæc vtique poterit tolli per modum aliquem, quo natura assumpta sit in alio, vt in supposito, aut subsisten-

tia est entitas quædam distincta realiter à natura, veluti Scola Tomistica sustinet, & tunc non implicabit eam entitatem, vel realiter separari à sua natura, & collocari in aliena, vel multiplicari eandem in duplici natura assumente, & assumpta, vnde Suarez *dicta sect. quarta vers. quò circa* fatetur, si personalitas est distincta à natura, vt res à re, nullam esse rationẽ, cur non possit creatum suppositum terminare alienam naturam, aut denique subsistentia est modus naturæ, vt Recentiores defendunt. Atqui neque in dicta sententia casum nostrum repugnare sic demonstro. Primò, quia in composito vnicus solus est modus vnionis ex parte materiæ, per quem & materia vnitur formæ, & forma materiæ, quemadmodũ *Suar. in Met. tom. 1. disp. 13. sec. 9.* post alios philosophatur, ergo modus potest modificare rẽ aliam à qua realitér distinguitur, ergo etiam si subsistẽtia sit modus poterit dare esse per se tùm naturæ propriæ, tùm alienæ, cui vnitur, veluti etiã alio exẽplo demonstrari potest, nempè subsistentiæ materiæ, quæ dat subsistere tũ materiæ, tùm formæ materiali, cùm qua vnitur, vt supra dictum est. Tertio personalitas Verbi magis identificatur cum natura Diuina, quam personalitas creata cum natura creata, sed non obstante hac identificatione, potest Verbum Diuinum supposit are alienam naturam, ergo vel illa rõ Suaristica infirma est, vel ipsum Verbum Diuinum, neq; posse naturam humanam assumere optimè probaret, cum eiusdem subsistentia sit modus naturæ sola ratione ab ipsa distinctus. Quarto omnis modus ex eodẽ *Suar. in Met. disp. 31. sec. 11 n. 3* habet propriam existentiam distinctam a re, cuius est modus, ergo poterit ille modus subsistentiæ produci, seù multiplicari in ambabus naturis s. in natura assumpta, & in naturà assumente. Quare minus aptè ratiocinari videtur Suarez, dũ hanc repugnantiam in eo consistere, ex eo comprobat, quòd subsistentia sit modus, modus verò non possit separari à re, cuius est modus. Nam si Angelus assumeret naturam humanam, non esset necesse separari subsistentiam Angeli, & poni in natura humana, vt censet Suarez, sed satis esset, si Angelus supernaturali quadam vnione vniretur naturæ humanæ, illiquè communicaret quod subsisteret, eo ferè modo, quo de facto humanitas Christi recipit esse subsistens à Verbo, quod cũ fiat absq; eo, quod Verbi subsistentia realitér recipiatur in humanitate, aút fiat modus eius, aút cum ipsa identificetur, sicut identificatur cum propria natura Diuina, sed fiat alia quadam ratione prorsus ineffabili, ità similitér poterit creatum suppositum alienam naturam terminare, absquè eo quod separetur a propria natura, aut fiat modus naturæ assumendæ.

Aut Quarto hæc repugnantia in eo consistit, quia subsistentia dat esse per se naturæ in genere causæ formalis, forma autém non potest Diuina virtu-

te eleuari ad dandum alium effectum formalem, quem natura sua exercere non valet. At hoc esse falsum sic probatur: Nam potest aliqua forma, Diuina virtute, informare maiorem materiam, quam naturalitér apta sit informare, vt dum Rex Nabuchdonosor diuino Miraculo in Bouē transformatus fuit, tunc anima rationalis eius materiam maiorē, & diuersis dispositionibus affectā informabat, quam naturalitér informare non valebat. Secundo forma non potest naturalitér informare materiam iam actuatam per aliam formam substantialem totalem, & tamén omnes concordant, quod de potentia absoluta Dei possunt in eodem subiecto poni plures formæ adequatæ, & totales, ergo aliquid potest forma, virtute Dei præstare, quod naturalitér præstare non valet, scilicét actuare subiectum iam actuatum, ergo quamuis subsistentia creata naturalitér apta sit tantumodo terminare propriam naturam, in qua subiectatur, virtute tamen Dei, cui omnia obediunt, poterit etiā terminare alienam.

Aút deniq; quarto hęc repugnantia in eo sita est, quod terminare alienam naturam requirat virtutem infinitam, & hoc non, tum quia si ad terminandā propriam naturam virtus infinita nequaquam prærequiritur, cur ad terminandam alienam infinita virtus necessaria præexigitur? certè hoc gratis asseritur; tum quia effectus finitus non exigit virtutem infinitam, & cōsequenter cōtinetur inter virtutem causæ finitæ, secundum potentiam obedientialem, sed assumptio alienæ naturæ est effectus finitus, ergo &c.

Secunda Propositio.

Respondeo Secundo de facto nullū creatum suppositum terminasse alienam naturam etiam virtute Dei. Hæc conclusio ponitur contra *Orig. tom. 2. in Ioann.* & alios, qui teste *S. Hieron. in proemio Malachiæ, & in c. 1 Aegei, & S. August. lib. 3. quæst. veteris, & noui Testamenti* putarunt Malachiā, Aegeū Melchisadechem S. Ioan. Baptistam fuisse Angelos in natura humana hypostaticè assumpta visibilitér apparentes: quem errorem pluribus refellunt *Hieronymus, Augustinus vbi supra, Ribera in c. 1. Malachiæ, & Belarminus li. 3 de Romano Pontifice cap. 2*, Hinc Maior. *in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 2.* refert aliquos Sanctos docuisse Antichristū non fore purum hominē, sed Dæmonem incarnatum; ità colligitur ex *Ambrosio 2. ad Thessalonic. 2. & ex Theodoreto in Epitome Diuino. Decret. cap. de Antichristo*; qui Patres appellant Antichristum filium Diaboli, domum Diaboli, Vas illius, instrumentum eiusdē, & hunc pedagogum illius: sed hæc sententia censura non vacat. Nam quamuis Deus posset Dæmonem carni Antichristi hypostaticè vnire, tamén ad tam iniquū finem, scilicét ad suam Ecclesiam persequēdam, hoc facturum esse quis credet? lege S. *Th. 3. par. q. 8. art. 8. in corpore*. Neque relati Pa-

tū Patres contrariū docuerunt, sed illis locutionibus solúm volebant Diabolum in Antichristo, vt in nequissimo homine habitaturum.

Quare optimè ait S. *Greg. lib. 13. Moral. cap. 1. & lib. 32. c. 2.* à Diabolo assumendum Antichristum non in personæ vnitatem, sed vt propriæ malitiæ, & nequitiæ instrumentum.

Ad 1. Respondeo S. Thom. solúm velle propriū esse diuinæ personæ propter suam infinitatem vi propria connaturali, & independenter ab alio alienam naturam assumere, cum quo stat quod suppositum creatum, vi supra naturam, & dependenter à Deo, possit alienam naturam assumere: sicut æternitas est proprium attributum Dei, & tamèn ferè omnes Theologi docent, potuisse à Deo creari Mundum saltem quo ad permanentia æternum.

Ad 2. Respondeo suppositum creatum non virtute propria connaturali, sed Diuina posse alienam naturam terminare. Ad impugnationem Respondeo illam virtutem communicatam, neque esse accidens, neque substantiā, aut modum eius, sed esse eandem subsistentiæ formalitatem, quæ licét ex Lege naturę totam virtutem terminatiuam exerceat circa propriam naturam, potest tamén Deus augere facultatem illius terminatiuam, vel illam eleuare; vt propriam, & simúl alienam naturam terminet: sicut cum anima rationalis informat corpus maioris quantitatis, quàm possit naturaliter informare, vel cum per potentiam obedientialem passiuam recipit gratiam, cuius non est naturalitér capax, Deus nō addit virtutem re distinctam ab Anima, secus daretur processus in infinitū, sed eleuat ipsam miro quodā modo hominib. occulto, ratione cuius eleuationis Anima rationalis recipit gratiā, quā suaptè natura recipere nō valet; ità similitér philosophandum est in nostro casu. Respondeo secundò hanc virtutem esse productionem vnionis supernaturalis receptæ in natura assumenda, quæ vnio facit illam naturam pendere in ratione suppositi ab alio, eo ferè modo, quo humanitas Christi recipit esse subsistens à Verbo. Respondeo Tertiò suppositum creatū supposita re alienam naturam, non per additionem nouæ facultatis, & virtutis, sed ponendo eandem numero subsistentiam in supposito assumente, & in natura assumpta.

Ad Tertium patet ex dictis, illam rationem vacuam esse & inaném. Ad Confirmationem respondeo, quod sicut eodem modo vnionis & vnitur materia formæ, & forma materiæ ex eodē Suarez, & idem punctus potest terminare plures lineas, ità nec illi casus in ordine ad Diuinam omnipotentiam, sunt impossibiles, & si illi repugnant, non tamén hic noster apertam contradictionis implicantiam inuoluit.

Ad Quartum Respondeo illud argumentum solúm coludere infinitā perfectionem in causa principali, non in creato supposito, quod solum esset instrumentum, sicut quòd creatura pos

sit eleuari à Deo ad plures, & plures in infinitum effectus supernaturales producendos, non argueret in ipsa infinitam perfectionem, nec similitér quod subiectum possit eleuari ad recipiẽdas qualitates supernaturales plures & plures in infinitum, non argueret in ipso, sed in Deo, vt causa principali perfectionem infinitam. Adde quod suppositum creatum non potest suppositare etiã virtute Dei naturas actu infinitas, quia istæ non sunt possibiles, sed solum successiuè, & ideò non arguit hoc in creato supposito virtutem, & perfectionem infinitam.

Ad Quintum illa maior propositio duplicem sensum habere potest. Primus, quód forma non possit à Deo eleuari ad dandum effectum formalem oppositum illi, quem suapte natura præstat, & hic sensus verus est. Non enim potest albedo facere nigrum, vel forma substantialis dare esse accidentale, vel anima rationalis dare esse equinum, sed hic sensus non militat contra nos. Secundus sensus est, quod forma non possit eleuari ad dandum alium effectum formalem numero distinctum virtute Dei, vel ad dandum maiorem extensiuè, quam naturalitér præstare non valet, & hic sensus falsus est, vt patet ex dictis; qui solus nostræ sententiæ aduersatur.

Ad Sextum Respondeo quod causa principalis, & instrumẽtalis propriè solum conuenit causis efficientib. non materialibus, aut formalibus terminare autem non est agere, aut pati, & ideò si suppositum creatũ suppositaret alienam naturam, id neque propriè vt causa principalis, neque vt instrumentum efficeret. Respondeo secundò quod assumptio hypostatica duo importat. Primum productionem vnionis, & ad hanc producendam suppositum assumens esset istrumentum Dei, & Deus esset causa principalis. Secundum terminare, & complere naturam in genere substantiæ, & hunc effectum præstaret creatum suppositum, vt causa principalis impropria, quia hic effectus non est in genere causę efficientis, sed formalis: effectus autem formalis non potest tribui Deo, vt causæ principali, sed solum formæ, quæ confert effectum formalem. Primo modo argueret in tali supposito creato assumente infinitã perfectionem, vt probat exemplum de causa principali miraculorum, sed non secundo modo, sicut anima rationalis recipit gratiam in genere causę materialis principalis, & tamen hoc nõ argueret in ipsa infinitam perfectionem, sed tantum potentiam obedientialem, ità similiter, &c.

Ad Septimum præter potentiam obedientialem actiuam, & passiuam, qui intima Theologię arcana perscrutantur, docent, necessario concedendam esse aliã tertiam potentiã obediẽtialẽ, quã formæ, vt Dei Creaturæ illi obediant, sicut eidẽ Deo obedit causa efficiens, & materialis, quàm potentiam obedientialem formalem appellare possumus. Nam quod formæ in-

for-

ormet materiam iam per aliam formam totalem actuatam, quod item informet corpus quantitate molis maius, quã naturalitèr appetat, quod informet corpus absque naturalib. dispositionibus, quæ omnia Dei omnipotentia fieri posse nemò ambigit, certè hęc neq; propriè ad potentiam obedientialem actiuam, neque ad passiuam, sed ad formalem pertinent.

DISPVT. XVII.

An in Diuinis concedendæ sint tres existentiæ relatiuæ ratione à Diuina essentia distinctæ.

PArtem affirmatiuã sequutus est *Fonseca 5. Metaphisica cap. 8. Medina 3. par quæst. 13. art. 2. dubio 3. Zumel 1. par. quæst. 28. art. 4. disp. 4.* sed præcipuus huius sententiæ patronus fuit *Franciscus Suarez de Incarnatione disp. 11. sec. 3. & lib. 3. de Trinitate cap. 5. Ruiz disp. 25. sec. 1. &* nouissimè *Theodorus Forestus Ordinis Capucinorum disput. 3. de Persona.*

Probat Suarez Primò ex *D. August. lib. 5. de Trinit. capt. 6. & lib. 7. cap. 4.* dicente, *aliud est esse Deum, aliud esse Patrem*, sed tàm esse Dei quàm esse Patris est esse reale, & actuale in rerum natura existens, ergo in vtroque extremo includitur propria existentia, ergo Paternitas habet propriam existentiam relatiuam ratione distinctam ab existentia Dei.

Secundo, Existentia nihil aliud est, quam actualis entitas, sed tres Diuinæ relationes sunt tres entitates actuales, realitèr inter se distinctæ, ergo in Diuinis sunt tres existentiæ relatiuæ realitèr intèr se distinctæ, licèt ratione sola à Diuina essentia distinguantur.

Confirmatur. Accipio Diuinam relationem, vt distinctam ratione a Diuina essentia, & peto, Vel ipsa est ens actuale, vel non, si non, ergo erit nihil, si est, ergo vt sic includit sibi propriam existentiam distinctã ab existentia diuinę essentiæ.

Tertio, Quod est terminus formalis alicuius realis generationis, debet ex vi illius accipere existentiam, sed filiatio, & spiratio passiua terminant diuinas processiones, ergo ex vi illarum habent propriam existentiam.

Confirmatur. Esse absolutum Dei non generatur, nec producitur, sed solum communicatur, solæque relationes producuntur, ergo ipsę includere debent in suo intimo conceptu propriam existentiam, ad quam actio productiua per se terminatur.

Obseruationes circa propositam difficultatem.

Vt propositæ difficultatis rectam assequamur intelligentiam, obseruandum est Primo, duplex esse distingui à Metaphisicis; essentiale, & existentiale: Diuinæ relationes habent quidem propriam quidditatem ratione distinctam à Diuina essentia, non-

tamen habent propriam existentiã; sed sicut quælibet attributa Dei existunt existentia Diuinæ essentiæ, ità etiã relationes; Et sicut essentia creata existit existentia saltèm ratione distincta ab essentia, ità quælibet relatio existit existentia Dei absoluta, sola ratione ab ipsa condistincta, quæ dum modificatur Paternitate, Filiatione, & Spiratione passiua, illa existẽtia absoluta Dei fit simul relatiua.

Obseruandum Secundò, Diuinas relationes posse dupliciter considerari. Primò secundum rem. Secundo vt præcisæ intelliguntur à Diuina essentia. Primo modo, cum identificentur cum ipsa Diuina essentia, ab ipsa etiam habent, quod existant, at secundo modo sunt nuda quidditas, & formalitas absque propria existentia, à qua distinctione non discrepat illa, qua sæpè S. Th. vtitur dicens; relationes comparatas ad terminum esse res, comparatas ad essentiam nõ esse res sed puram rationem idest esse solam quidditatem existentia carentem. *ut in 1. d. 2. quæst. 1. ar. 5. ad 1. & d. 19. quæst. 4. ar. 1. ad 4. & de potentia quæst. 8. art. 11. & quæst. 9. art. 5. ad 14.*

Obseruandum Tertiò hanc propositionem. In Deo sunt tres essentiæ etiam relatiuę, esse falsam, suspectam, & periculosam. Esse falsam, quia nomine essentiæ propriè accipitur natura substantialis, quæ sit radicale principium omnium perfectionum, & operationum, quales non sunt Diuinæ relationes. Esse suspectam, & periculosam, quia videretur concedere tres Deitates, dum tres essentias admittit; Nihilominus posse dici esse in Deo tres quidditates, seù rationes relatiuas, vt S. Thom. sæpè loquitur, quia ratio, & quidditas magis latè patet, quam nomen essentiæ, licèt pro eodem sæpè vsurpetur; siquidem ratio, & quidditas de quibuscumquè accidentibus, proprietatibus, & essendi modis dicitur. At essentia propriè non dicitur nisi de natura substantiali.

Obseruandum Quartò. Cum quęritur, an in Diuinis dentur tres existẽtiæ relatiuę, duplicem huius quęstionis sensũ esse posse. Primus est, Vtrũ Diuina essentia non alia existentia existat, nisi existentijs relatiuis. Secundus, Vtrum præter existentiam absolutam Diuinę essentiæ competentem, concedendæ sint aliæ relatiuæ existentiæ, quibus relationes ipsæ in se ipsis existant tanquam propria actualitate gaudentes. Hic secundus sensus solùm à nobis intenditur, non autem primus; Certum enim, & indubitatum est apud omnes Theologos, Diuinam essentiam non mẽdicare suum esse à relationibus, sed ipsam Diuinam essentiam esse suum esse, imò esse omne esse iuxta illud *Exodi 3. Qui est, misit me ad vos. Ego sum qui sum.* Omnes enim Creaturæ etiam existentes magis habent de non esse, quia singulæ maioribus carent essendi modis. Qui-

nimò

nimirùm Deus est suum esse, vt in ipso, esse à sua essentia etiam sola cogitatione distingui nequeat; quia esse est de intrinseco conceptu Deitatis; siquidem intellectus noster Diuinam essentiam nunquam potest in potentia ad esse concipere; secus ille non esset Deitatis, sed potiùs Creaturæ cōceptus. At ex opposito Diuinæ relationes, etiamsi entia increata sint, rectà tamen cogitatione concipi possunt in potentia, nempè in potentia actiua; siquidem in priori originis concipitur Persona Patris, in quo signo non est Filius, & in priori signo concipitur Filius, & posteà in posteriori Spir. Sanc. & ideò Diuinæ relationes non sunt suum esse, sed à Diuina essentia suum esse accipiunt. His prælibatis sit.

Vnica Propositio.

Respondeo, Diuinam essentiam non accipere à relationibus esse existentiæ, sed relationes à Diuina essentia; atque ità præter esse absolutum Diuinæ essentiæ non esse concedendum in Diuinis aliud esse personale, etiam sola ratione à Diuina essentia distinctum. Hæc est clara mens *S. Thom. in 1. dist. 20. quæst. vnica art. 1. in fine* (. vbi hæc habet. *Nullum est esse Patris, quod non sit Filij; quia omne esse in Diuinis est essentiale.* Et *dist. 33. quæst. 1. ar. 1. ad 1* inquit, *Essentiam, & relationes vniri in actu essendi non in definitione, & ratione*, & quæst. 2. de Potentia art. 6. inquit, *Non est concedendum, quod aliquid absolutum in Diuinis multiplicetur, sicut quidam dicunt, quòd in Diuinis est duplex esse, essentiale, & personale: omne enim esse in Diuinis essentiale est, nec persona est, nisi per esse essentiæ*; & quæst. 9. de Potentia art. 5. ad 19 ait *Nullo modo concedendū est, quod in Diuinis sit nisi vnū esse, cum esse semper ad essentiam pertineat, cuius esse est sua essentia; relationes verò non addere aliquod esse, quia aliàs illud esset accidentale*, idem docet *3. par. quæst. 17. ar. 2. ad 3. & 1. par. quæst. 28. ar. 2. quæst. 30. ar. 2. ad 1.* sed præcipuè legendus est, *Quodlib. 12. ar. 1.* vbi ex professo negat, præter esse essentiale, aliud esse personale in Diuinis esse admittendum: Eandem sententiam amplectuntur omnes veri D. Th. Discipuli, vt (*Capreol. in 1. dist. 1. q 2. art. 3. ad 2. et ad 5 Caiet. 1. par. quæst. 28. art. 2 Gabriel Vasquez Disp. 126.*

Hinc exploduntur quædam insufficientes Diui Thomæ expositiones, quas nōnulli Recentiores, ne apertè D. Th. renunciare videantur, confixere: Dicunt igitur D. Thomam solummodò denegare relationibus esse simpliciter, non autem esse secundum quid, quod etiam cōuenit modis entis, & accidentibus; vel denegare solùm ipsis esse completum; nō autem esse incompletum. Vel denegare Diuinis relationibus esse distinctum secundum rem à Diuina essentia, non autem esse distinctum sola ra-

ratione à Diuina essentia. Vel cum S. Thom. toties docet, non esse in Diuinis nisi esse essentiale, loqui de esse relationis fundamentali, quod essentiale est; non autem de esse relationis formali, quod relatiuum esse constanter affirmant.

Sed contra est, Quorsum enim S. Th. toties denegaret Diuinis relationibus solum esse simpliciter, & completum, cum hac de re nulla possit esse dubitatio? Quis enim ignorat, Diuinas relationes non habere esse simpliciter, & completum, cum sint relationes quę solùm sunt quidam essendi modi? Omne igitur esse existentię, etiam secundùm quid, & incompletum à Diuinis relationibus p. allegatis verbis D. Th. exclusit, quod patet *ex quæst. 8. de Potentia ar. 2. ad 11.* ubi comparat esse in Deo respectu essentię ad intelligere respectu intellectus, & addit, *Quod sicut omne intelligere est intellectus: ità omne esse est essentiæ*: quib. verbis exclusit omne esse sola etiam ratione distinctum & incompletum à Diuinis relationibus. Secundò idem S. Th. vtitur particulis negatiuis vniuersalibus, vt *relationes non addere aliquod esse, præter essentiale, non dare esse personale*, & similia; quę testimonia dictas Glossas non patiuntur, si in limpidissimo fonte legantur. Tertiò Dum negat Diuinas relationes in ordine ad essentiam habere esse, sed esse solùm puram rationem & quidditatem, & vniri cum essentia non in actu essendi, sed in definitione, & ratione, vt supra visũ est, apertè excludit omne esse existentię à Diuinis relationibus, etiam secundum quid, etiam incompletum, & formale, etiam sola etiam ratione distinctum.

Probari solet primò hæc sententia ex illo axiomate. *In Diuinis omnia sunt idem, vbi non obstat relationis oppositio*; sed inter essentiam & relationes nulla est oppositio, ergo habent vnum, & idem esse?

Sed hęc ratio concludit solùm habere vnum, & idem esse re, cum quo stat posse habere plura esse sola ratione distincta, similiter dum Concil. Tolet. in Confessione Fidei, habet, *Diuinas Personas hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt; & in hoc numero carent, quod in se sunt*; Sed dictę relationes comparatę ad essentiam sunt in se, ergo carent numero; Non aliud hoc testimonium concludit, nisi Diuinas relationes in ordine ad essentiam carere numero reali re distincto, cum quo stat eas obtinere posse plures existentias relatiuas sola ratione distinctas.

Probatur igitur primò conclusio sic. Possunt Diuinæ relationes existere eademmet existentia infinita Deitatis, ergo frustra multiplicantur existentiæ etiam sola ratione distinctæ. Consequentia patet ex eo, quod *in æternis idem est esse, & posse*, Vndè, quod in Deo est realiter possibilè, de facto etiam in illo reperitur. Antecedens probatur. Quando duo ex-

extrema actualia sola ratione distinguũtur, possunt eademmet existentia indiuisibili existere: sed Diuinæ relationes sola ratione à Diuina essentia distinguũtur, ergo &c. Probatur Maior. In omnibus creatis essentijs. Nam quia essentia creata saltém ratione secundum omnes à sua existẽtia distinguitur, etiã per eam, vt ratione distinctam fit actu & existens, neque tamén multiplicatur duplex existentia, vna per quam ipsa existentia existat, alia per quam ipsa essentia existat, secus daretur processus in infinitum: Si igitur potest essentia creata existere per existentiã ratione distinctam finitam, & terminatam; quantò magís Diuinæ relationes poterunt existere per esse Dei infinitum, & illimitatum, quod perfectissimam habet cum Diuinis relationibus identitatem? Quod argumentũ eò fortius est, si Deitas est de essentia relationum iuxtà Suaristicam sententiã supra allatã. Itém maiores idém argumentum vires habet, si essentia, & existentia modalitér, vel realitér intér se distinguntur, vt Scotistæ, & Thomistæ fatentur; Etenim si essentia potest existere per modum, vel rem à se distinctam, quantò magís Diuinæ relationes existere poterunt per esse Dei infinitum, à quo sola ratione distinguntur? Et ideò hoc argumentum in quacunque sententia existimo efficacissimum. Et confirmatur. Ad constituendam existentiam relatiuam, verbi gratia, Paternitatis sufficit existentia incommunicabilis opposita filiationi, sed talis existentia potest esse ipsammet existentia Diuinæ essentiæ, vt affecta incommunicabilitate Patris, prout Paternitas est quædam ratio, & quidditas, ergo frustra multiplicantur aliæ existentiæ relatiuæ, & personales. Maior est nota. Minor probatur. In ista existentia relatiua Paternitatis, verbi gratia, duo possunt ratione distingui, ratio existẽtiæ, & ratio relationis, vt est quædam quidditas: Sicut igitur illa ratio, & quidditas relationis existere potest, p existentiam ratione à se ipsa distinctã, quantò magís poterit eadem relatio, vt significat rationem, & quidditatem existere existentia infinita Diuinæ essentiæ? Hinc apparet, frustra multiplicari aliam relatiuam existentiam ratione distinctam, & sufficere ipsam quidditatem relationis affici, vt ità loquar existentia Diuinæ essentię, vt per eam existat. Et ideò S. Th. rectè docuisse, relationem, vt præcisam ab essentia, puram esse rationem, & quidditatem.

Secundò argumentor ex incommodis, quæ sequerentur ex opposita sententia: Quorum tria sunt præcipua. Primum est si dantur tres existentię relatiuæ, etiam spiratio actiua suam haberet propriam existentiam, & ità non solum duplex, sed quadruplex esset in Deo relatiua existentia; quod Suarez non est ausus concedere, quia si spiratio actiua propriam existentiam haberet, propriam etiam subsistentiam relatiuã haberet, cum vt ipse sæpè arguit, Omne, quod est, vel inhæreat, vel sub-

Q sistat

ſiſtat: At ſpirationem actiuam carere propria ſubſiſtentia relatiua, conſtantér aſſerit *lib. 5. de Trinit. c. 8.* ne quatuor in Diuinis Perſonas concedere cogatur.

Secundum abſurdum eſt, ſi dantur tres exiſtentiæ relatiuæ, ſequitur tot eſſe etiam concedendas exiſtentias, quot ſunt attributa in Diuinis, & prædicata eſſentialia in vno homine; atq; ità in vnoquoquè ſingulari innumeras eſſe exiſtentias etiam ſola ratione diſtinctas: At conſequens eſt abſurdum: ergo: ſequela probatur; Nam non minùs ſunt aliquid actuale in rerum natura, attributa Dei, & prædicata eſſētialia hominis, quam actuales ſint Diuinæ relationes, ſed quod eſt ens actuale includit per Aduerſarios exiſtentiā ſibi propriam in vnoquoquè extremo actuali exiſtente, ergo ſimilitér idem dicendum eſſet de attributis Diuinis, & eſſentialibus prædicatis hominis. Conſequens autém eſſe abſurdum, ſic probatur. Exiſtentia eſt ſingularium, vt docet Ariſtoteles, ergo exiſtentia non conſequitur prædicata ſpecifica, & generica; ergo non ſunt tot exiſtentiæ, etiam ratione multiplicādæ, quot ſunt eſſentialia prædicata; ſecus etiam ens haberet ſuam propriam exiſtentiā diſtinctā ab ipſa exiſtētia, qua ipſa exiſtit; Et entis paſſiones, Vt V. V. B. quę intér ſe ratione ratiocinata diſtinguntur, triplicem haberent exiſtentiam, imò quadruplicē, ſi illa entis addatur.

Tertium, ſi dantur in Deo tres exiſtentiæ relatiuæ realitér inter ſe diſtinctæ, pari modo darentur tres durationes; quia duratio ſolùm eſt permanentia rei in eſſe; atquè ità etiam darentur tres æternitates, ergo & tres æterni non ſolúm adiectiuè, ſed etiam ſubſtantiuè, cum ipſa durationis forma triplicetur; at hoc dici nequit, vt habetur in ſymbolo Athanaſij. *Non tres æterni, ſed vnus æternus.*

Reſpondebis nō eſſe abſurdum admittere in Deo tres æternitates relatiuas: Athanaſium autém loqui de æternitate, prout eſt attributum eſſentiale.

Sed contra eſt, quia eodém modo aliquis dicere poſſet, Eſſe in Deo tres immenſitates, & immutabilitates. Et tres immutabiles, & immenſos non ſolúm adiectiué, ſed etiám ſubſtantiuè; nam immenſitas, & immutabilitas conſequitur exiſtentias relatiuas nō minús, quám æternitas: Deindè ſicut in Diuinis ſimplicitér dicimus eſſe tres res, etiā ſine addito relatiuas, cum nomen res ſit tranſcendens, vt etiám admittit *Suar. li. 3. de Trinit. cap. 11.* Ità ſimplicitér dicere poſſemus, eſſe in Deo tres durationes, & tres æternitates, etiam ſine addito relatiuas; Vndè Suarez, qui hanc reſponſionem in tertia parte eſt amplexus, poſteà loco ſupra citato de Trinitate de hac nullam facit mentionem, ſed aliam affert in medium, quæ minoris iudicio meo pōderis eſt. Dicit enim, poſſe quidém dici, in Deo eſſe tres durationes, nō tamén tres æternitates, etiā cum hoc addito relatiuas, quia nomē durationis inquit, eſt abſtractius, nec tantā, quantā æternitas, pfectionē inuoluit; ſed cōtra

eſt,

est, quia duratio illa, quæ conuenit relationibus, vt distinctis ab essentia, debet reduci ad aliquam speciem durationis. At non potest reduci ad tempus nostrum, vel ad tempus discretum, vel ad æuum, cum diuinæ relationes principio, & fine careant, ergo ista duratio diuinarum relationũ reducitur ad ipsam æternitatem, ergo in Diuinis tres darentur æternitates, quod vt absurdum in Fide ipse totus euitare conatur.

Quid senserit de triplici esse existentiæ in Diuinis Sanctus Augustinus.

Adducebatur primo loco à Francisco Suarez contra nostram sententiam auctoritas D. Augustini, dicentis *lib. 5. de Trinit. cap. 6. Aliud est Deũ esse, aliud Patrem esse*; cui respondemus ipsum tantummodo velle, aliã esse quidditatem paternitatis, aliam Deitatis; itaquè Augustinus in præallegato testimonio non loquitur de esse existentiæ, de quo nostra manet Disputatio, sed de esse quidditatis, iuxtà primam, & secundam obseruationem supra factam. Quinimò in scola D. Augustini. & D. Thomæ nullum aliud esse existentiæ concedendum est, nisi esse absolutum. Id quod manifestis eiusdem D. Augustini testimonijs demonstrare operosum mihi non erit. Siquidem *lib. 7. de Trinitate cap. 9.* in fine sic loquitur. *Aliud est Deum esse, aliud Patrem esse. Quod enim est, ad se dicitur, Pater autẽ ad Filium*, vbi obseruanda sunt illa verba, *quod enim est, ad se dicitur*, idem enim est ac si dixisset. Omne esse existentiæ in Diuinis esse absolutum. Nam omne quod ad se est, absolutum est. Relatiuum autèm ad aliud. Vndè meritò subdit Augustinus sequentia verba. *Sicut enim non dicuntur tres essentiæ Dei, nec tres sapientiæ, ità nec tria esse* ex quibus verbis perspicuum manet, in Diuinis non esse aliud esse quam absolutum, quod nõ est nisi vnum, personalesquè proprietates non includere in proprio conceptu esse existentiæ, sed existere eadem Deitatis existentia, iuxtà mẽtem D. Augustini.

Quid de eodem triplici esse existentiæ in Diuinis opinatus fuerit Richardus de S. Victore.

Nitebatur secundo loco idem Doctor testimonijs *Richardi de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 15.* vbi intèr alia habet sequentia verba. *Vt igitùr breuitèr perstringamus, quod diffusius diximus, patet, quod in Diuina natura variatur existentiarum pluralitas, secundum solam originem*, & in calce illius capitis duodecimi sic fatur, *In Diuina namquè natura circa originem solam oportet quærere tàm Personarum, quàm existentiarum differentiam*, & cap. 17. sic loquitur, *Sed (vt de ceteris taceamus) in Diuina proculdubio natura est existentia, quæ est plurib. cõmunis, & est ibi existentia, quæ omninò est incommunicabilis*, & cap. 19. in principio sic asserit. *Quoniam ex antedictis tenemus,*

Q 2 quod

quod in Diuinitate poſsunt eſse plures exiſtentiæ, nunc eſt conſiderandum; ſi poſſunt ibi eſse ſalua vnitate ſubſtantiæ. Itaquè ex relatis teſtimonijs videtur colligendum tres eſſe in Diuinis exiſtentias multiplicandas.

Ceterum Richardus nomen exiſtentiæ in diuerſa à Metaphyſicis, ac Theologis ſignificatione vſurpauit. Siquidem hoc nomine exiſtentię non intellexit actum eſſendi, per quem res dicitur realitèr eſſe in rerum natura, ſed ſub nomine exiſtentiæ intellexit modum, quo res dicitur ex alio habere eſſe. Id non obſcurè colligitur ex *cap. 12. eiuſdem libri*, vbi ſic ratiocinatur. *Nomen exiſtentiæ*, inquit, *trahitur à Verbo, quod eſt exiſtere; in Verbo autem ſiſtere, notari poteſt, quod pertinet ad conſiderationem vnam, ſimùl per adiunctam (ex) propoſitionem notari poteſt, quod pertinet ad aliam. Per id quod dicitur aliquid ſiſtere, primò remouentur ea, quæ non tam habent in ſe eſse, quàm alicui ineſse, non tam ſiſtere (vt ſic dicam) quam inſiſtere, hoc eſt alicui ſubiecto inhærere*, & paulò inferius. *Quod autèm dicitur exiſtere; ſubintelligitur, non ſolum quod habeat eſſe, ſed etiam aliundè, hoc eſt ex aliquo habent eſse. Hoc enim intelligi datur in Verbo compoſito ex adiuncta ſibi præpoſite. Quid enim eſt exiſtere, niſi in aliquo ſiſtere, hoc eſt ſubſtantialitèr ex aliquo eſse? in vno itaquè hoc Verbo exiſtere, vel ſub vno nomine exiſtentię datur intelligi poſse & illam conſiderationē, quæ pertinet ad rei qualitatem, & illam, quæ pertinet ad rei originem.* Ex ijs videat Lector, qua ratione Richardus nomē exiſtentiæ acceperit longè planè ab omni more Metaphyſico, ac Theologico, vt proindè iſtius Doctoris auctoritas noſtræ ſententiæ minimè aduerſari poſſit, cum à quæſtione noſtra longiſſimè abſit, quippè cum tota controuerſia noſtra ſit de nomine ipſo exiſtentiæ abſtractè accepto, vt ſignificet actum eſſendi in rerum natura; Richardus verò de modo eſſendi, vel qualitate eſſendi loquatur.

Deindè ad pleniorem ſolutionem dico Richardum dum tres multiplicat in Diuinis exiſtentias incommunicabiles, ſub his nominibus intellexiſſe tres perſonalitates incommunicabiles. Quod manifeſtum erit legenti *capur 20. eiuſdem libri*, vbi docet ſubſiſtentiá impropriè dici de Deo; proindè nomine exiſtētiæ vſum fuiſſe. *Vt intelligas*, inquit, *vndè illæ in Trinitate dicantur ſubſtantiæ, vel ſubſiſtentiæ quamuis impropriè*, & poſt pauca, *& idcircò perſonæ rectius dicuntur exiſtentiæ, quàm ſubſtantiæ, vel ſubſiſtentiæ*. Quibus ſanè verbis liquidò conſtare poteſt, per exiſtentias incommunicabiles Richardum intellexiſſe perſonalitates incommunicabiles; quas in diuinis multiplicari Catholici omnis fateri coguntur.

Conuelluntur reliqua aduerſę ſententiæ fundamenta.

Vrgebat deinde Suarez illam rationem ductam ex definitione exiſtētiæ.

tiæ. Existentia nil aliud est quã actualis entitas; sed Diuinæ relationes sunt plures actuales entitates, ergo plures includunt existentias, cui rationi breuitér occurrimus, concessa maiori, minorem distinguentes propositionem. Diuinę relationes sunt plures actuales entitates actualitate propria, & intrinseca, quod Theologi vocant substantiuè, nego. Sunt plures actuales entitates actualitate aliena, nempè Diuinæ essentiæ, quod Theologi vocant adiectiuè; concedo: Et sic solúm sequitur, relationes habere esse, prout includunt Diuinam essentiam, quod verum esse, pro certo habemus:

Ad Cõfirmationẽ Respõdeo Diuinã relationem, vt præcisam ab essentia, non esse ens actuale existens, nequè tamen est purum nihil, quia ex D. Th. vbi supra est ratio, & quidditas apta existere per esse Dei absolutum; sicut hoc idem fatendum est de quacumq; essentia creata, quæ vt præscindit ab existentia, non est ens actuale existens; non est tamèn purũ nihil, quia est obiectum nostri intellectus reale, realiter ponitur in Prædicamentis, certaque de illa scientia habetur, quæ scientia ab existentia obiecti abstrahit.

Ad Tertium distinguo Maiorem. Terminus alicuius realis actionis debet ex vi illius accipere existentiã stat dupliciter, vel nouitér productam, vel nouitér communicatam. Priori modo, nego Maiorem, at secundo modo illam concedo. Ex qua solum sequitur filio per generationem communicari esse absolutum ipsius Diuinæ essentię, quod libentér fatemur.

Ad confirmationẽ respondeo. Ad realem productionem satis esse, si illa productio terminetur ad rem actu existentem, cum prius non existeret; siuè posteà res illa existat existentia propria, siuè aliena; sicut hoc idem dicitur de productione materiæ primæ, & humanitatis Christi, & modorum omnium, si hæc tria propria carent existentia, vt multi peritissimi Theologi tenent. Quare ad saluandam generationem filij Dei, sufficit, si ex vi paterni influxus filius fiat realitér existens existentia Deitatis, quę existentia vnitur, seù potiùs identificatur cum ipsa filiatione, cum in priori signo rationis ante paternum influxum, esse existentię absolutum nondum intelligeretur filiationi communicatum.

Instabis. Quid quæso producitur de nouo per generationem filij Dei, si nulla existentia relatiua producitur?

Respondeo produci de nouo filium existentem, licèt ipsa existentia de nouo non producatur; sed solum nouo modo communicetur. Et hoc mirum non est, cum filiatio cum ipso esse Dei absoluto identificetur.

Vrgebit postremò aliquis: Qui negant tribus relationib. triplex esse existentiæ, accedere videntur ad hæresim Sabellianam, quę tres Diuinas relationes in vnam colligebat, ac confundebat personam, easq; solo munere, & effectu distinguebat, Patrem quatenus generat, Filium, quatenus humanam

car-

carnem induit, Spiritum Sanctũ, prout sanctos reddit homines. Hoc autem sequi ex ista sentẽtia sic demonstratur. Diuinæ relationes non possunt realitér constituere personas, & illas intèr se realitér distinguere, nisi sint in se formæ reales actuales, & actualitér existentes, sed non aliam actualitatem existentiæ habent, nisi existentiam diuinæ essentiæ, secundum nostram sententiam, ergo ista opinio affinis est hęresi Sabellianæ, tollit pluralitatem, & distinctionem personarum, quas in vnam colligit personam, dum nisi vnũ esse actuale, quod est Diuinæ essentiæ, agnoscit, & negat triplex relatiuum.

Respondeo Diuinas relationes constituere, & distinguere personas non per esse existẽtiæ, quod habent à Diuina essentia, sed per esse relatiuum sibi proprium, ac formale, vt ex multis D. Thomæ testimonijs supra allegatis apertissimè conuincitur. Quare tantũ abest, vt hæc sentẽtia hæresi Sabellianę faueat, vt illam potius execretur, insectetur, & euertat, dum realitatem trium relationũ personalium meritò agnoscit, & confitetur.

Quinimò si hæc nostra sententia proximè accedere ad hæresim Sabellianam videtur, quod ex nostra assertione minús cautè deducitur, certè & nos oppositam sententiam Arianismi nota damnare rectius possemus. Arius siquidem Vsia, & essentia filium à Patre differre dicebat, vt eiusdem filij diuinitatem euerteret, At ex opposita sentẽtia sequi Arianismũ sic probatur. Existentia est actus essentiæ adæquatus, ponens essentiam in entitate actuali, sed hęc sententia multiplicat existentias, ergo multiplicat essentias, quod est in Arianam hęresim imprudenter incidere. Ceterum, vt detur locus veritati, nec isti in Arianam, nec nos in Sabellianam foueam dilabimur. Nam Arius multiplicabat essentias absolutas, isti solum multiplicant esse existentię relatiuum. Sabellius euertebat relationes personales tàm secundum esse *in*, quàm secundum esse *ad*; nos triplex esse reale relatiuum tàm secundum esse *in*, quàm secundum esse *ad*, in tribus Personis cum Catholica Ecclesia ingenuè confitemur, sed tamén triplex esse existẽtiæ personale cum vniuersa D. Th. Schola, & pluribus alijs Catholicis Doctoribus omninò detestamur.

DISPVT. XVIII.

An in Deo sit concedenda subsistentia absoluta, & essentialis tribus Personis communis.

PArtem negantem amplectuntur *Alens. 3. par. quæst. 2. memb. 3. Henriq. Quodlib. 5. quæst. 8. Bonauent. in 1. dist. 23. art. 2. q. 1. Gabriel. Vasquez 1. par. disp. 125. Didacus Ruiz disp. 34. sec. 2. Syluester in 1. par. quæst. 39. art. 3 Greg. de Valentia, Molina in hunc art.* & nouissimè *Theodorus Forestus Ordinis Cappucinorum Tract. de Trinit. disp. 6. de persona cap. 4.* & *5.*

Pro-

Probatur primò. Patres, & Concilia pro eodem accipiunt hypostasim, Personam, & subsistentiam; sed non datur in Deo vna hypostasis, vel Persona absoluta, cõmunis tribus Personis, ergo neque datur vna subsistentia absoluta. Minor est de Fide. Maior probatur ex *Concilio Constantinopolitano I. generali*. Item *ex edicto Iustiniani Imperat. ad Ioannem iij.* Item *ex Ioanne Maxentio in Confess. Fidei*, quæ habetur Tom. 5. Bibliotecæ SS. Patrum. Et ex alijs Patribus ab eodem Vasquez allegatis.

Secundò quod est in alio, vt in supposito, non est ex se subsistens; sed Diuina essentia est in Personis, vt Patres, & Concilia sæpè dicunt, ergo Diuina essentia, abstractis per intellectum Personis, non est subsistens. Maior patet ex definitione subsistentiæ; Nam hæc est ratio essendi per se, vt excludit esse in alio, non quidem in alio, vt in subiecto; Nam etiam Christi humanitas non est in alio, vt in subiecto, & tamèn caruit propria subsistentia creata; ergo subsistẽtia excludit esse in alio, vt in supposito; ergo si essentia Diuina subsisteret substantia absoluta, ipsa in Personis nequaquam esse diceretur.

Tertiò, Si Diuina essentia, vt præcisa à Personis includeret subsistentiam absolutam; ergo non posset in abstracto concipi; quod enim includit subsistentiam, non est abstractum, sed concretũ: At consequens est falsum; ergo &c.

Quartò; Si daretur vna subsistentia absoluta, daretur etiam vna Persona absoluta communis; Consequens est Hæreticum; ergo &c. Probatur sequela: Subsistentia est vltimus naturæ terminus; sed Persona est vltimus terminus naturæ; ergo sunt idem. Secundò *S. Thom. 3. par. q. 3. ar. 3. ad 1*, bis infert, *Si est subsistens, ergo est Persona*. Tertiò, Persona est rationalis, siuè intellectualis naturæ indiuidua substãtia; sed subsistentia absoluta esset substantia indiuidua naturæ Diuinæ; ergo illa esset Persona; & per consequens si datur subsistentia absoluta cõmunis Trinitati, etiam daretur Persona communis Trinitati.

Obseruationes pro declaranda veritate.

Pro explicatione notandum est primò subsistentiam posse sumi dupliciter primò in Concreto, secundò in Abstracto; In Concreto significat id, quod subsistit: In Abstracto significat formã, per quam subsistens habet, quod formaliter subsistat. Et hæc forma subsistendi Perseitas à Metaphysicis nuncupatur.

Notandum secundò subsistentiam non esse solam negationem essendi in alio; sed formam positiuam, ad quam talis negatio consequitur, vt tenet *Caietanus 3. p. q. 4. ar. 2.* & plures alij Thomistæ id colligentes ex *S. Th. 1. par. q. 3 art. 3. Et 3. p. quæst. 4. art. 2. & 5. ex 4 contra Gentes cap. 65*. Et breuitèr probatur; Tùm quia forma non est in negatione; sed natura est in suo supposito

sito, ergo &c. Tàm quia suppositum ponitur directè in Prædicamento reali, nempè substantiæ; ergo forma constitutiua illius debet esse realis. Tàm quia suppositum dicit perfectionem formalitèr loquendo; Nam est principium quod essendi, & operandi, & Aristoteles primam substantiam maximam substantiam appellat; sed quod dicit perfectionem, non est sola negatio; ergo &c. Ceterũ si subsistentia esset pura negatio, vt Scotistæ defendunt, non posset posteà dici esse in Deo subsistentiam absolutam, & ideò nescio quomodo Scotistę vtramque sententiam absquè cõtradictione possint patrocinari; Nam secundum illos subsistentia est negatio essendi in alieno supposito; sed Diuina essentia est in Personis; ergo Diuina essentia non subsistit subsistentia absoluta; sed solis relatiuis. Hæc igitur controuersia, Vtrum in Deo sit subsistentia absoluta supponit subsistentiam esse formã positiuam, & realem, vt Recentiores etiam Metaphysici, & Theologi non pauci defendunt. Neq; aduersatur S. Doctor, si alibi subsistentiam, vel suppositum explicet per negationem essendi in alio. Siquidem solum intendit dicere ad subsistentiã, quæ significat esse per se, consequi negationem essendi in alio. Quod enim est per se, in alio non est, non verò intẽdit dicere ipsam perseitatem esse purã, & nudam negationem essendi in alio.

Notandum Tertiò. Effectum formalem subsistentiæ non esse substare accidentibus; Nam de Fide est, Christi humanitatem creata subsistentia caruisse; Et tamèn propria accidentia retinuisse. Tres igitur alij sunt effectus formales creatæ subsistentiæ, per quã posteà ad Diuinam ascendemus. Primus est, complere naturam, & reddere illam sufficiens principium quod essendi, & operandi. Secundus est, naturam fulcire, & sustentare in suo esse; Ita ut ex lege naturę rueret ipsa in nõ esse, si huiusmodi substãtiali cõplemẽto careret; quare sicut accidentia à subiecto, cui insunt, sustentantur, Ità natura substãtialis à sua subsistẽtia, in qua est, sustentatur. Et hinc dicunt Theologi Christi Humanitatem à subsistentia Diuini Verbi sustentari, quia illa supplet id, quod creata subsistentia præstaret, si adesset.

Tertius effectus creatæ subsistentiæ est reddere naturam incommunicabilem alteri supposito; Nã eo ipso, quod à propria subsistentia in suo esse sufficientèr fulcitur, non indiget ope alterius, ac proindè fit alteri incommunicabilis. Itèm eo ipso, quod natura propria subsistentia subsistit, est in se, & per se, & per consequens est seiuncta, & independens à quocũquè alio; sed quod tale est, incõmunicabile etiam est saltèm in creatis; ergo &c. Ceterum si à creata, ad Diuinam subsistentiam ascẽdamus, solùs primus effectus subsistẽtiæ locum in Diuina essentia habet; nõ autem secundus, & tertius; Nam Diuina essentia, cum sit infinita, & habeat omnem essendi plenitudinem, non indiget sustentari, & fulciri in suo esse

ab

ab alio; sed ex proprijs principijs intrinsecis habet, quod sit per se, à quacunque alia re independens; similiter cum subsistentia Diuinæ essentiæ sit simpliciter infinita, & sit quædam Diuinæ substantiæ proprietas, ex sua infinita perfectione, & fœcunditate habet, quod possit alijs personis communicari, sicut ipsa Diuina essentia communicatur. At subsistentia creata est intrinsecè limitata, & ideò est incommunicabilis, & vltimus naturæ terminus. Hinc decipiuntur, qui à creata ad Diuinam subsistentiam arguentes putant, incommunicabilitatem esse de intrinseco conceptu cuiuslibet subsistētiæ, hos tres effectus eiusdem non distinguentes. Quod si ità esset, repugnaret sanè in terminis, subsistentiam concedere absolutam in Diuinis, iuxta hunc erroneum eorum intellectum, cum essentia communicabilis sit; subsistentia autem foret incommunicabilis. His præmissis, quæ rem adeò obscurā fortè non parum dilucidabunt, veniam ad conclusiones.

In Diuinis absolutam subsistentiam necessariò concedendam. Probatur auctoritate D.Th. & Aug.

Respondeo Diuinam essentiam non mendicare à Diuinis relationib. subsistentiam; sed se ipsa subsistere subsistentia absoluta communi tribus Personis. Ità Durandus in 3. d. 1. *quæst. 2. Scot. Quodlib. 4. ad 1. principale. Barthol. Miranda in sua summa Concilium annot. ad Epistolam Sophronij, quæ habetur in 6. Synodo, actione 11.* Ex schola D. Th. *Caiet. 3. par. quæst. 3. art. 2. & 3. Medina 3. par. quæst. 2. art. 2. & quæst. 3. art. 3. Iauellus q. 39. art. 4. Bannes quæst. 29. ar. 1. & quæst. 40. art. 4. Ripa, Nazarius quæst. 29. ar. 4.* ex Patribus Societatis *Fonseca 5. Metaphysices cap. 8. quæst. 5. sec. 7. Molina 1. par. quæst. 29. art. 2. disp. 3. conc. 2. Suar. de Incarnatione disput. 11. sec. 4. lib. 3. de Trinit. cap. 11.*

Ducor Primò in hanc sententiam, quòd hæc sit ipsissima sancti Præceptoris mens, vt ex quinque manifestis eiusdē locis demonstrabo. Ac primò profero testimoniū *ex primò sent. dist. 21. quæst. 1. art. 1. in corpore*, vbi hæc lego. *Sed iste terminus Deus prædicat naturam Diuinam de tribus personis, quæ etiam in se habet esse subsistens, nulla Personarum distinctione intellecta.* Quid clarius dici potest pro nostra sententia? Nam si natura Diuina habet esse subsistens non intellectis Diuinis personis, igitur in Deo est subsistentia absoluta communis trib. Personis. Secundum testimonium habetur *in 3. d. 6. quæst. 2. ar. 2. ad 2.* vbi sic fatur. *Ad 2. dicendum quod aliud est de Deo, & de omnib. alijs rebus, quia in Deo ipsa essentia subsistens est, vnde sibi secundum se debetur esse, imò ipsa est suum esse subsistens.* Si diuinæ naturæ debetur esse secundum se, quia ipsa est suum esse subsistens, quomodo audebit quis eidem Diuinæ natu

rae secundum se subsistentiam absolutam sibi propriam denegare? Tertium testimonium Mullo clarius legitur 1. par. q. 40. ar. 2. ad 2. vbi hæc habentur, *Personæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto; sed solùm secundum id, quod ad aliquid dicuntur.* Si personę Diuinæ non distinguūtur in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo alio prædicato absoluto, ergo Personæ diuinę non habent proprias subsistentias; sed vnam absolutam. Quartum testimoniū sumitur ex *q. 9. de potētiâ ar. 5. ad 13.* vbi sic loquitur. *Ad 13. dicendum, quod in rebus creatis principia indiuiduantia duo habent, quorum vnū est, quod sunt principium subsistendi; natura enim cōmunis de se non subsistit, nisi in singularibus. Aliud est quod per principia indiuiduantia supposita naturæ communi ab inuicem distinguūtur: in Diuinis autèm proprietates personales hoc solum habent, quod supposita Diuinæ naturæ ab inuicem distinguuntur, non autèm sunt principium subsistendi Diuinæ essentiæ.* Nota rogo hęc postrema verba, et quę sequuntur; *ipsa enim Diuina essētia est secundum se subsistens, sed è conuerso proprietates personales habent, quod subsistant ab essentia, ex eo enim Paternitas habet quod sit res subsistens, quia essentia Diuina, cui est idem secundum rem, est res subsistens; vt indè sequatur, quod sicut essentia diuina est Deus, ità paternitas est Pater; & ex hoc est etiam, quod essentia diuina non multiplicatur secundum numerum ex pluralitate suorum suppositorum, sicut accidit in istis inferioribus. Nam ex eo aliquid secundum numerū multiplicatur, ex quo subsistentiam habet. Licèt autèm Diuina essentia secundum se ipsam (vt ità dicam) indiuiduetur, quantùm ad hoc quod est per se subsistere; tamèn ipsa vna existente secundum numerum sunt in Diuinis plura supposita ab inuicem distincta per relationes subsistentes.* Hoc testimonium adeò apertum est, vt in Schola D. Th. subsistentiam absolutam à Diuina natura tollentes cęcutire prorsus mihi videantur. His cōsona sunt, quę docet eadem q. 9. art. 6. ad 3. vbi hęc legere poteris. *Ad 3. dicendum, quod hoc nomen persona non significat hoc solum, quod est subsistere, quod videtur ad essentiam pertinere, sed etiam hoc quod est distinctum esse, & incommunicabile, quod est propter proprietates relatiuas in Diuinis.*

Hic vides personam ex mente S. Doctoris duo includere subsistere & esse incommunicabile, primum habet ab essentia, secundum à proprietate personali in qua doctrina semper constans manet, vt ex allatis testimonijs, & ex alijs, quæ causa breuitatis omitto, luce ipsa meridiana clarius elucescit.

Nihilominùs non desunt Glosatores, dicentes S. Th. loqui de subsistentia radicali, non de formali. Et velle Diuinas relationes accipere ab essentia subsistentiam radicalitèr, sed non formalitèr. Verum Glossam istā non patiuntur verba illa dicta *quęs. 9. de*

9. de potentia ar. 5. ad 13. *Diuinæ relationes non sunt principium subsistēdi Diuinæ essentiæ; ipsa enim Diuina essentia est secundum se subsistens, &c.*

Dicunt secundo: Cum denegat S. Th. relationib. subsistentiam, loqui de relatione in tota sua analogia, non autèm loqui de Diuina relatione, quæ in se formalitèr subsistit.

At contra est testimonium eiusdem ex 1. par. quæst. 40. ar. 2. ad 2. vbi dicit *Personas non distingui in esse, in quo subsistunt, nequè in aliquo absoluto, sed per relationes*; ergo D. Th. Diuinis relationibus in eo sensu denegat subsistē tiam, in quo illis concedit incommunicabilitatem, & distinctionem Personalem. Deindè *quæst. 9. de Potentia ar. 6. ad 3.* expressè docet, Diuinas relationes solùm distinguere vnam Personam ab alia, subsistere verò per essentiā: At relationes in tota suā analogia, neq. habent hanc proprietatē, vt vnā Personā ab alia distīguant; ergo D. T. loquitur de Diuinis relationibus.

Dicunt Tertiò S. Th. denegare relationibus diuinis subsistentiam vndequaquè perfectam, & absolutam; non autèm incōpletam, & relatiuam. Sed hæc Glosa minùs habet roboris, quia ineptè S. Th. *quæst. 9. de Potentia ar. 5 ad 13.* dixisset relationes non habere, quod subsistant, vel subsistere faciant, cum hoc sit proprium subsistentiæ, si relationes ipsæ, vt præcisæ ab essentia Dei subsisterent subsistentia etiam incompleta, & relatiua. Sit igitùr certū, D. Th. absolutam subsistentiam in Diuinis concedere, vt præallegata testimonia clarissimè conuincunt.

Secundò moueor apertissimo Diui Augustini testimonio lib. 7. de Trinit. cap. 4. cuius hæc sunt verba. *Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ità non erunt dicendæ tres subsistentiæ, vt non dicantur tres essentiæ, quemadmodum, quia hoc est Deo esse, quod sapere, sicut non tres essentias, ità nec tres sapientias dicimus: Sic enim, quia hoc est illi Deum esse, quod est esse, tàm tres essētias, quàm tres Deos dici fas non est: Si autèm aliud Deo est esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem, aut Dominum esse; Quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad seruientem Creaturā dicitur. Relatiuè ergo subsistit, sicut relatiuè gignit, & relatiuè denominatur, & ità iam substantia non erit substantia, quia relatiuè erit; Quemadmodùm enim ab eo, quod est esse appellatur essentia, ità ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum autem est, vt substantia relatiuè dicatur. Omnis enim res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus, si tamen dignum est, vt Deus dicatur subsistere, & c.* His verbis Augustinus subsistentiam absolutam Dei apertissimè agnoscit, & confitetur, dum ait *omnis res ad se ipsā subsistit, quātò magis Deus*. Nam quod subsistit ad se ipsū, subsistit subsistentia absoluta, sed Deus subsistit ad se ipsum ex Augustino; ergo subsistit absoluta subsistētia: imò August. relatiuas subsistentias de medio tollit, dum dicit ità abstinendum esse ab hac propositione

Deus relatiuè subsistit, sicut ab illa, *Deus relatiuè substantia dicitur*. Sed de hac satis perplexa quæstione sequentem instituemus disputationem.

Quinque firmissimis rationibus eadem sententia corroboratur.

Probatur Tertiò; hæc conclusio nõ infirmis rationib. Primò *ex Caiet.* Omne Concretũ substantiale includit subsistentiam, sed Deus, vt abstrahit à Personis, est Cõcretum substantiale; ergo Deus, vt abstrahit à Personis, includit subsistentiam, non relatiuam; quia sic à Personis non abstraheret; ergo absolutam. Maior est clara; Nam illa est differentia intèr Abstractum, & Concretum, & illa est ratio, cur Humanitas Christi, vt seiuncta à Verbo non possit dici homo, aut Verbum hominem assumpsisse, vt docet S. Th. *3. p. quæst. 4. ar. 3.* nempè quia subsistentia propria carebat. Minor probatur. Non intellectis Personis non solùm intelligitur hæc Deitas in abstracto, sed Deus, & vnus Deus in concreto: At hic Deus nihil aliud significat, quam subsistens in hac Deitate, seù habens Deitatem; ergo hic Deus est concretum substantiale, cum hoc nihil aliud sit, quam habens naturam.

Huic efficacissimę argumentationi aduersæ sententiæ Patroni diuersis modis occurrunt. Dicunt enim hunc Deum significare nõ subsistens in natura Diuina, sed hoc indiuiduum Deitatis; vel significare semper communem, & indeterminatam Personam Trinitatis, itaut nullam determinatè significet: Verùm hæc effugia facilè præcluduntur. Siquidem hunc Deum non significare indiuiduum Deitatis fusius probatum fuit *1. par. quæst. 3. art. 3.* vbi S. *Th.* valdè fauet: Et ibidem *Caiet. Zumel. & Vasq.* id tenent; & sanè sicut hoc nomẽ homo significat subsistens in natura humana: Ità hoc nomen Deus significat subsistens in natura Diuina.

Quod autem idem nomẽ Deus non significet confusam, & indeterminatã Personam Trinitatis, probatur. Quia vel illa Persona communis, & indeterminata, quam significat hoc nomen Deus, esset absoluta, vel relatiua: Si primum; ergo datur Persona absoluta toti Trinitati communis, quod est hæreticum. Nequè secundum dici potest, quia præcisis per intellectum quibuscũquè Personalibus relationibus, etiam confusè, & indeterminatè acceptis, adhuc cõcipitur, & intelligitur *hic Deus*, de quo rectè enunciamus: Hic Deus intelligit; est sapiens, &c. ergo hic Deus, vt sic conceptus nõ includit personalitatem relatiuam vllo modo. Secundo *hic Deus* est aliquid absolutum, quod toti Trinitati realitèr communicatur; ergo non includit, nec determinatè, nec indeterminatè relationẽ incommunicabilem. Tertio, Absoluta sunt priora relatiuis ex S. Th. *1. p. q. 33. art. 1.* sed antequam intelligamus consurgere in Diuinis aliquam relationẽ, intelligitur *hic Deus*; ergo erit aliquid absolutum; ergo includet subsistentiã absolutam; Et sic habemus, quod vo-

sumus. Quarto D. Th. *hac 1. par. quaest. 39. art. 4. in c.* habet haec verba *Quandoque ergo hoc nomen Deus supponit pro essentia*, intellige in concreto, *vt cum dicitur Deus creat, quia hoc praedicatum competit subiecto ratione formae significatae, quae est Deitas; quandoque supponit personam, vel vnam tantum, vt cum dicitur Deus generat; vel duas, vt cum dicitur Deus spirat; vel tres vt cum dicitur Regi saeculorum immortali, &c.* Nec vnquam D. Th. docuit nomen Dei significare Personam relatiuã indeterminatam.

Probatur Secundo ratione ducta ab Anima rationali, & ex effectu intrinseco subsistentiae; hunc in modũ. Quod est independens intrinsecè in suo esse ab aliqua re, etiam hac semota per intellectum, erit in se subsistens, sed Deus est in suo esse independens à personis; ergo Deus non intellectis personis erit subsistens. Minor propositio probatione nõ eget. Maior probatur ex definitione subsistentiae, cuius effectus est dare esse indepẽdens ab alio, itẽ exẽplo Humanitatis Christi, quae sicut accipit à Verbo subsistentiam, ità & dependẽtiam, & quatenus est in Verbo, est indopendens ab omni alio supposito; item exemplo Animae rationalis, quae sicut non pendet à corpore, ità in se ipsa subsistit. Atqui non minùs essentia Diuina est independens à personis, quàm Anima rationalis à corpore; ergo sicut Anima subsistit propria subsistẽtia, ità multò magis Diuina essentia.

Probatur Tertiò, Substantia perfecta, & completa in genere substantiae necessariò subsistentiam includit, sed Diuina essẽtia, vt abstrahit à Personis, est substantia perfectissima, & cõpleta in genere substantiae; ergo, vt abstrahit à personis erit subsistentia absoluta subsistens. Maior est clara, quia subsistentia est magna perfectio, & complementum substantiae, ex cuius defectu Humanitas Christi, vt à Verbo abstrahit, dicitur substantia imperfecta, & fit perfecta, & completa per ipsam Verbi subsistentiam. Minor etiam euidens est; Nam Diuina essentia, vt à Personis abstrahit, est substantia infinita, & habet omnem essendi plenitudinem: ergo vt sic est substantia cõpleta, & perfecta. Confirmatur. Nam si esset substãtia incompleta, certè etiam imperfecta foret, & per consequens non esset Deus, quo nihil maius, & perfectius cogitari potest. Confirmatur Secũdo. Ens infinitum in tota plenitudine entis nõ potest concipi, vt quid incompletum, & solùm vt quo, non vt quod. At si Deus, quatenus abstrahit à Personis concipiatur solùm vt existens, & non vt subsistens, concipitur solùm vt substantia incompleta, & vt quo, nõ vt quod; ergò Deus vt abstrahit à Personis inuoluit subsistentiam absolutam.

Quarto Probatur. Si non datur in Deo subsistentia absoluta, vel est, quia de ratione subsistentiae sit incommunicabilitas; vel quod idem fere est, quia daretur Persona communis Trinitati: At neutrum vrget, ergo &c. Probatur Assumptũ: Nam Persona non solùm dicit per se existens, sed subsistens incõmuni-

municabile, re ab alia persona distinctum, vt Docet S. Th. vbi supra, & seq. Disput. id fusius conabor demonstrare; sed illa subsistentia absoluta tribus Personis communicatur, illisquè realitèr identificatur; ergo illa non esset incommunicabilis, aut Persona. Secũdo anima rationalis est verè subsistẽs, & tamèn illa non est incommunicabilis, quia communicatur homini singulari; ergo de ratione subsistentiæ, vt sic, non est incommunicabilitas. Tertiò. Absolutum, vt absolutum in Diuinis nõ est incommunicabile, sed subsistentia, quatenus dicit solam perseitatem, est quid absolutum; ergo de ratione subsistentiæ in tota sua latitudine nõ est incommunicabilitas. Minor constat ex primo, & secundò argumẽto iam adducto, in quo ostẽdimus, Deum, vt abstrahit à Personis, esse concretum substantiale, & substantiam completam; atquè adeò includere subsistentiam, etiam vt abstrahit à Personis; ergo subsistentia in Diuinis est absoluta.

Quintò, Omnis perfectio simplicitèr simplex est absoluta, & essentialis; sed esse per se, vt sic, est perfectio simplicitèr simplex; ergo est absoluta. Maior probatur. Omnis perfectio simplicitèr simplex pertinet ad perfectionem entis intensiuam; ergo est absoluta. Consequentia patet; Nam relationes pertinent ad extensiuã perfectionẽ Dei, & non ad intensiuam; secus Deus non esset illud, quo nihil maius cogitari potest; Nam sic persona constituta per relationem esset ipsa Deitate perfectior contra illud Ioann. x. *Quod dedit mihi Pater*, scilicèt essentiam, *maius omnibus est*. Secundò quod clauditur in conceptu adæquato Deitatis, vt Deitas est, sanè est quid absolutum, sed omnis perfectio simplicitèr simplex clauditur in cõceptu adæquato Deitatis, secus Deitas non esset infinita in tota latitudine entis; ergo perfectio simplicitèr simplex necessariò est absoluta. Porrò perseitatem esse perfectionem simplicitèr simplicem, nec ab ipsis Aduersarijs negatur, nec potest sana mente negari; Tùm quia esse perfectam substantiam sine dubio est maxima substantiæ perfectio, sed substantia fit perfecta per subsistẽtiam; ergo &c. Tùm quia esse principium non tantum quo, sed etiã quod essendi, & operandi est perfectio simplicitèr simplex, sed tale principiũ quod est subsistens in natura; ergo &c. Tùm quia pseitas est melior ipsa, quã non ipsa, nec est incompossibilis cum vlla Persona Diuina; quia considerata, vt solum dicit maximam substantiæ perfectionem, est infinita, & nullam dicit oppositionem; ergo erit perfectio simplicitèr simplex.

Ex his igitùr infertur, quod sicut cęterę perfectiones simplicitèr simplices, vt Iustitia, Omnipotentia consequuntur ipsam Diuinam essentiam, & eędẽ numero in singlis Personis reperiuntur, ità etiã perseitas, cum sit perfectio simplicitèr simplex, & ideò multò magis quã Iustitia, vel Misericordia, eadẽ numero reperiri in sĩgulis Personis debet.

Tol-

Tolluntur argumenta contra subsistentiam absolutam in Diuinis.

Ad Primum Respondet Primò *Caietanus 3. par. quæst. 2. ar. 2.* illam subsistentiam communem non esse appellandam commune suppositum, quia deest illi aliqua perfectio, scilicèt incommunicabilitas, sed rectius posse dici semisuppositum, ac semipersonam. Sed displicet hìc dicendi modus, qui planè aduersatur phrasi Conciliorum, & Patrum, qui absolutam personam in Diuinis perpetuò execrantur; Vndè etiam *Emerycus in Directorio Inquisitorũ par. 2. quæst. 2.* intèr alios Raymundi Lulli errores refert istum, dari in Diuinis absolutum suppositum, vel absolutam personam. Quod neque quoad semipersonam est cõcedendum, cum Hæreticorum errori non solum faueat, sed etiam euidenti rationi omninò repugnet. Nam cui deficit rei definito, nõ potest vllo modo dici tale, etiamsi aliquid illius participet, vt Leo nõ potest dici semihomo, etiamsi aliquid hominis, scilicèt animalitatem habeat, sed de definitione suppositi est incommunicabilitas, quæ deest subsistentiæ absolutæ, ergo ista nullo modo iuxtà principia Fidei, & Dialeticę dici debet semipersona, vel semisuppositum toti Trinitati commune. Respondeo igitur Primo subsistentiam incommunicabilem idẽ esse, quod Personã, & hypostasim; & in hoc sensu loquuti sunt adducti Patres, & Concilia, & alij plures, quos Molina, vbi supra Conclusione prima refert, & plures alij, quos plena manu cõgessit Forestus loco præallegato. At subsistentia, vt solùm dicit perseitatem communicabilem, non idem est, quod hypostasis, suppositũ, & Persona; Nam *Seuerinus Boetius lib. de duabus naturis* quatuor vocabula græca distĩguit *Vsiã, Vsiosim, Hypostasim, Personam*, quibus respondent quatuor Latina, essentia, subsistentia, hypostasis, persona. Vbi vides distingui à Boetio subsistentiam ab hypostasi, præsertìm cum infrà subdat, *Hominem subsistere, licèt hypostasis non sit*. Eandem distinctionem, intèr Personam, & subsistentiam ponunt *D. Hieron. Hylar. Aug. Greg. Nisen.* quos adducit *Suar. de Incarnatione dicta dis. 11. sec. 3. conc. 3.* dicentes *Naturam diuinam subsistere in Personis*. Hìnc negandum est, subsistentiam communicabilem ab omni sanctorum Patrum, & Conciliorum vsu esse alienam, veluti aduersæ sententiæ Doctores toties inclamant, præsertìm cum *Bartholomęus Miranda* magnus Conciliorum indagator, & explanator nostram sententiam, vbi supra profiteatur.

Respondetur Secundò, licèt plures SS. Patres pro eodem accepissent subsistentiam, & Personam; vsus tamèn peritorum Scholasticorũ intèr illas distinguit, quod Theologo sufficere potest.

Respondeo Tertiò, Subsistentiam posse sumi dupliciter; primò vt dicit solam perseitatem, & quandam substantiæ perfectionem, & complementum:

Secun-

Secundò vt dicit esse sub omni alio, ita ut idem sit subsistere, quod substare, seu esse sub omni alio prædicato essentiali, quo modo significatur subsistentiam esse vltimum naturæ terminum, atque adeò esse incommunicabilem: Patres, & Concilia subsistentiam sumpserunt solùm in hoc secundo sensu, in quo rectè affirmarunt, subsistentiam, hypostasim, & personam idem esse; Non autè sumpserunt subsistētiam in primo sensu, vt D. Th. & eius Discipuli, quorum Doctrinam nos profitemur, accepere;

Ad Secundum nego Maiorem. Ad probationem respondeo primò perseitatem incommunicabilem, & creatam ob sui finitatem excludere esse in alieno supposito; Non autem perseitatem Diuinam absolutam excludere esse in Diuinis suppositis; Nam cum talis perseitas absoluta nullam dicat oppositionem, & sit infinita, toti Trinitati communicabilis est.

Respondeo Secundò, Subsistentiā absolutam excludere esse in alieno supposito distinctò re, transeat; distinctò sola ratione, vt distinguuntur Diuina supposita à subsistentia Dei absoluta, omninò nego.

Ad Tertium respondeo negando consequentiam; Nam si Deitas concipiatur, vt solùm dicit existentiam substantialem Deitatis, concipitur in abstracto: Si autem concipiatur existentia substantialis Deitatis, vt completa per subsistentiam absolutam, tunc concipitur in concreto.

Ad Quartum nego sequelam. Ad primam probationem respondeo, sub sistentiam creatam, cum sit incommunicabilis, esse vltimum naturæ terminum; At subsistentia absoluta Dei ex suà infinita fœcunditate habet, vt possit tribus Personis communicari, atque adeò vt per relatiuas Personalitates vlterius etiam possit terminari. Ad secūdā probationē respōdeo in definitione Personæ poni illam particulam *indiuiduæ*, id est incommunicabilis, quæ nō est de ratione subsistentiæ. Vnde S. T. hic ar. 1. hanc explicans definitionem ait per ly: *substantiam* intelligi subsistentiam, per ly *indiuiduæ* intelligi incommunicabilem. Ecce quomodo verum sit secundùm S. Th. subsistentiam distingui ab incommunicabilitate, quàm dicit Persona. Ad Tertiam probationem respondeo. Quod est subsistens incommunicabiliter est Persona, Verum, quod est absolutè subsistens, est Persona, falsum. Primò autem modo, non secundò S. Th. est loquutus; Imò cum ibidem in corpore dicat, Abstractis per intellectum Personalitatib. adhuc intelligi naturam Diuinam posse ad suam subsistentiam alienam naturam assumere, apertè concedit, dari in Diuinis subsistentiam absolutam, ratione cuius in dicto casu naturæ Diuinę conueniret aliam naturam ad se assumere.

***

DIS-

DISPVT. XIX.

An in Diuinis sint concedendæ tres relatiuæ subsistentiæ realitèr inter se distinctæ, vel solùm vnica absoluta triplici personali incommunicabilitate modificata.

Proponuntur Argumenta tres relatiuas subsistentias in Diuinis construentia

Concedendas esse in Diuinis subsistentias relatiuas demonstratur pluribus argumentis. Primò ex *S. Th. quæst. 9. de Potentia*, vbi ait, *Personam diuinam significare distinctum subsistens in natura Diuina*; ergo secundum S. Th. dantur tres subsistentiæ relatiuæ realitèr distinctæ. Secundò *1. par. quæst. 30. art. 1.* ait, *Personas in Diuinis significare relationem, vt rem subsistentem in natura Diuina*, & ideò *esse in Deo tres subsistẽtes, quod est esse tres Personas in natura Diuina*. Tertio *quæst. 40. art. 3.* ait, *Proprietates Personales non intelligi aduenire hypostasibus Diuinis tamquam formas subiecto; sed ferrè secum supposita*, & ad secundum, *Paternitate*, inquit *non solùm Pater est pater, sed est quis, et hypostasis*; ergo S. Th. concedit in Diuinis tres relatiuas subsistentias.

Secũdò arguitur ex Concilijs; Nã in sexta Synodo, actione 11. hæc verba habentur. *Sabelliana prauitas est tres personas in vnam confundere, et colligere subsistentiam*; sed qui negant tres subsistentias relatiuas, & ponunt vnicam absolutam, isti tres Personas in vnam colligunt subsistentiam; ergo &c. Insuper eadem act. 11. hæc verba habetur *Sanctiss. Trinitas est numerabilis personalibus subsistentijs.* Tertiò in tertia Synodo act 3. approbatur Epistola Theodori Patriarchę Constantinopolit. in qua dicitur, *Trinitatem esse diuisam numerarijs subsistentijs, ac personalibus alteritatibus numeratã*; & similia verba leguntur in *Edicto Iust. Imp.* ergo ex his auctoritatib. apertè colligitur in Diuinis plures subsistentias relatiuas, non solùm in concreto, sed etiam in abstracto fore necessariò concedendas.

Tertiò Probatur rationibus; Tres Diuinæ Personæ sunt subsistentes, non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè; ergo includunt tres subsistentias relatiuas. Antecedens ab Aduersarijs supponitur certum. Consequentia probatur. Multiplicato nomine substantiuo, multiplicatur etiã forma significata per tale nomen, vt tradit *S. Th. 1. par. quæst. 39 art. 4. in Corpore*, quod secus est, quando multiplicantur nomina adiectiua, sed Diuinæ Personæ dicuntur tres subsistẽtes substantiuè; ergo multiplicatur etiam forma significata scilicèt subsistentia, ergo dantur in Diuinis tres subsistentiæ relatiuæ.

Quartò, vel relatio Diuina constituit subsistens, vel supponit. Si primum, habetur intentum, quia non potest constituere subsistens, nisi afferat secum suam propriam subsisten-

tiam, si secundum, sequitur, relationem Personalem esse formā adiacentem & inhærentem; Nam quid quid est, vel inhæret, vel subsistit, sed personalitas secundum propriū conceptum per Aduersarios nō subsistit, ergo inhæreret; ergo non esset forma hypostatica Diuini suppositi constitutiua.

Quintò Si in Deo esset tantum vna subsistentia absoluta & nō triplex, ergo esset vnū tantū habens Deitatē; consequens est falsum, ergo &c Sequela patet: Nam per subsistentiam aliquid habet naturam, sed subsistentia est vnica, ergo vnicum tantum habens Deitatem. Consequens autem esse falsum sic probatur: Quot sunt Personæ, tot sunt habentes Deitatem; Personæ sunt tres, ergo tres habentes Deitatem.

Sextò Personalitas nihil aliud est; quā subsistentia incōmunicabilis, sed in Deo sunt tres Personalitates realitèr inter se distinctæ, ergo etiam in Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ.

Septimò Processio substantialis & in suo genere infinita terminatur ad rem subsistentem formalitèr, & per se, sed processio in Diuinis est substantialis, & infinita ergo habet pro termino relatiuam subsistentiam.

Octauò, Si in Deo vnica sola subsistentia absoluta reperiretur, non solùm Verbum vt Fides docet, sed tota Trinitas humanam carnem assumpsisset. Siquidem esset facta vnio in hac subsistentia absoluta Dei, quæ toti Trinitati est communis.

Nonò Si non dantur tres subsistētiæ relatiuæ in Deo, sed vna absoluta, tres habens relationes incommunicabiles, potius diceretur, tres Personales relationes esse in hoc Deo subsistente, quam Diuinam essentiam esse in tribus Personis, sicut omnes SS. Patres loquuntur ergo dicendum est dari in Deo tres subsistentias relatiuas.

Tria Thologorum placita referuntur.

In hac difficultate tres memini me legisse sententias: Prior ità concedit, solas subsistentias relatiuas, vt absolutam è medio tollat. Hanc sequitur *Vasq. disp.* 25 & alij quos præcedenti disputatione attulimus.

Secunda sententia præter subsistētiam absolutam Diuinæ essentiæ ponit tres subsistentias relatiuas realiter inter se, sed ratione sola à Diuina essentia distinctas; quibus tres Personalitates Diuinę scilicet Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua, ex proprio conceptu intrinsecè subsistant. Hanc sequitur *Miranda, & ant. Medina locis præc. d. disputatione allegatis, necnō Molina, Zumel 1. par quæst. 30. art. 1. Bellarm. tom. 1. lib. 2. cap. 11. & Suar. de Incarnatione disp. 11. sec. 4. Et libro 3. de Trin. cap. 4.*

Tertia sententia verior vnicam in Diuinis constituit subsistentiam absolutam, sed modificatam tribus relatiuis Personalitatibus, quæ quidem

ex

ex proprio conceptu non habent, quod sub sistant; sed tamèn prout idẽ tificatur cum Diuina essentia, ab eadem accipiunt, quod in re subsistant. Hanc sequitur *Albertus Magnus 1. p. summæ tract. 10. quæst. 43 Durand. in 1. dist. 26. quæst. 1. num. 6. Et in 3. d. 1. quæst. 2. Scotus in 3. d. 1 quæst. 2. Palud. in 3. d. 1. quæst. 2. in fine Capreolus in 3. d. 1. quæst. 1. art. 2. ad argumenta Durandi contra 4. conclusionẽ*, & mihi videtur hanc fuisse expressam D. Th. mentem vt mox ostendam. Pro cuius sententiæ explicatione.

Quædam obseruationes circa propositum difficultatem.

Notandum est primò, Certum esse apud omnes Theologos, tres esse in Deo subsistentes in concreto; quia hoc est dicere esse in Deo tres Personas subsistentes, quod est indubitatum Fidei nostræ dogma. Sufficienterquè probatur ex testimonijs D. Th. & Conciliorum, vbi supra allatis. At controuersia intèr Theologos de subsistentia in concreto non est, sed in abstracto; vnde idem est quærere, An in Deo sint tres subsistentiæ relatiuæ ac inuestigare. Vtrũ in Deo sint tres formæ, vel potius rationes subsistendi relatiuæ, itaut sicut in Deo sunt tres Personalitates etiam in abstracto; ità sint tres relatiuæ subsistentiæ in abstracto consideratæ, idest, vt ratione à Diuina essentia præcisæ à nobis concipiuntur.

Notã dum Secundo est id, quod *disp. 16.* fusè à nobis probatum fuit, nempè vnicum esse in Deo esse absolutũ, per quod ipsa Diuina essentia & relationes existant. Plures ibidem adduximus rationes & D. Th. testimonia, sed aliud postea legi clarissimum *1. par. quæst. 39. art. 4. in corpore*, vbi agens de nomine substantiuo, & adiectiuo, & quomodo hoc in Diuinis plurificetur, tandem sic concludit. *Dicimus enim tres existentes, vel tres Sapientes, aut tres æternos, increatos, & immensos; si adiectiuè sumantur.* Ecce quam clarè D. Th. doceat existentiam in Diuinis non multiplicari, sed solùm esse nomen adiectiuum, sicut nec multiplicatur sapiẽtia, æternitas, immensitas & esse increatum. Ex his infertur nequè in Diuinis multiplicari subsistentias, nam quibus non conuenit substãtiuè existere, nec conuenit substantiuè subsistere, sed Diuinæ relationes non existunt substantiuè; sed solùm adiectiuè scilicèt existentia Diuinæ essentiæ: ergo etiã subsistent sola subsistentia Diuinæ essentiæ.

Notandum Tertiò de ratione suppositi, & personæ duo esse, scilicèt subsistere, & esse incommunicabile; atquè distinctum ab alio supposito. Primùm habent Diuinæ Personæ à Diuina essentia subsistente; secundũ à relationibus personalib. accipiunt, ità *1. par. quæst. 40. art. 2. ad 2.* vbi hęc verba habet. *Ad secundum dicendum, quod Personæ Diuinæ non distinguuntur*

in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto, sed solùm secundum id, quod ad aliquid dicuntur; Vndè ad earum distinctionem sufficit Ratio. Et quęst. 9. de Potentia art. 6, ad 3. hęc habet. *Ad 3. dicendum quod hoc nomen Persona non significat hoc solùm, quod est subsistere; quod videtur ad essentiam pertinere, sed etiam hoc, quod est distinctum esse, & incommunicabile, quod est propter proprietates relatiuas in Diuinis.* His pręmissis.

Vnica Propositio negans tres relatiuas subsistentias in Diuinis.

Respondeo nō esse concedendas in Diuinis tres subsistentias relatiuas in abstracto, sed vnicam absolutam triplici personali incommunicabilitate modificatam. Dixi in abstracto, quia in concreto, certum est, tres Personas esse tres subsistentes nō substantiuè, sed adiectiuè, vt dictum est.

Trahor in hanc sententiam potissimum auctoritate D. Th. locis partim hic, partim præcedenti disputatione pręallegatis, quib. apertè hanc conclusionem profitetur, vt patebit legenti.

Secundò Ducor auct. *Aug. lib. de Trinit. c. 4 & 5.* Vbi probat, Deum ad se subsistere; & non ad aliud. Et tandem sic cōcludit. *Omnis res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus,* quod testimoniū pręcedēti disputat. latius produximus. *Et lib. 5. de Trin. cap. 8.* inter multa hęc habet, *Quid quid ad se dicitur non pluraliter, sed singulariter dicitur;* sed si darentur subsistentię relatiuę, illę non ad se, sed ad aliud dicerentur, nec singulariter, sed pluraliter de Diuinis Personis prædicarentur.

Tertio Ducor hisce rationibus. Prior est. Potest Diuina Personalitas, vt solùm dicit incommunicabilitatē subsistere subsistentia Dei absoluta; ergo frustra multiplicantur tres subsistentię relatiuæ. Consequentia patet, Antecedens probatur; nam si relationes Diuinę, vt distinctę ratione ab essentia subsistunt, duo possumus in illis rectè distinguere, nempè rationem subsistendi, in quo conuenit cum subsistentia absoluta Dei: secundò incommunicabiliter subsistere, seù incommunicabilitatem, per quam differunt à subsistentia absoluta Dei. Sicut igitur hæc incommunicabilitas, quę est forma positiua, & nihil aliud est, quam relatio personalis; potest subsistere subsistentia ratione à se ipsa distincta; Cur non poterit eadem incommunicabilitas relationis immediatè subsistere ipsa subsistentia Dei absoluta, ita ut personalitas in Diuinis supra subsistentiā absolutam solùm addat relatiuam incommunicabilitatem, vt S. Tho. vbi supra rectè docuit: simili planè argumento *Disput. 16.* ostendimus frustra multiplicari tres relatiuas existētias, cum illę existere possint ipsa existentia Diuinę essentię, & eodem argumen-

gumento rectè probamus, frustra etiã multiplicari relatiuas subsistẽtias, quoties in Diuinis subsistentia absoluta cõcedatur.

Posterior ratio. Impossibile est; vnam, & eandem personam subsistere duabus subsistentijs completis; vel quarum vna sit completa, & altera incompleta; sed Pater, Filius, & Spir. Sanct. subsistunt subsistẽtia absoluta Dei vndequaq; perfecta, & completa in ratione subsistendi; ergo non subsistunt subsistentijs relatiuis, vel si subsistunt subsistentijs relatiuis, destruitur absoluta. Maior probatur. Nam licèt vna; & eadem Persona possit subsistere duabus partialibus subsistentijs, vt homo; & licèt tres Diuinæ Personæ possint vnam, & eandem numero naturam assumere, & vt in Tract. de Incarnat. dictum fuit; Quod tamen vnum subsistens completum, qualis est Deus, iterum cõnaturaliter subsistat alijs subsistentijs, hoc mens humana capere nequit.

Nec satisfaciunt dicentes, Deum subsistere subsistentijs relatiuis non ex indigentia, sed ex fœcunditate sua; repugnare autem subsistens completum iterum subsistere, si iterum subsisteret ex indigentia, non autem si ex sola fœcunditate.

Non inquã satisfaciunt, quia, quod implicat cõtradictionem, neque Diuinæ fœcunditati est possibile; sed subsistentiam completam in ratione subsistendi alia subsistentia terminari implicat contradictionem; ergo &c. Assumptũ probatur primò, quia sequitur fuisse substantiam completam, & non fuisse completam; fuisset completa ex suppositione, non fuisset completa; quia adhùc vlteriori subsistentia cõnaturaliter terminaretur. Secundò quod est completè subsistens, est perfectè per se, sed quod est perfectè per se, non potest esse in alio; vt in subsistente; Nam esse perfectè per se, dicit essentialiter negationem essendi in alio, vt in subsistente, vnde licèt Deus, vt subsistens subsistentia absoluta possit esse in Personis Diuinis, quia personalitates solùm dicunt incommunicabilitates, non tamen posset Deus, vt subsistens subsistentia absoluta esse adhùc in Personis, si personalitates essent intrinsecè subsistentes, quia quod est principiũ quod essendi, & operandi non potest esse in alio principio quod essendi, & operandi. Tertiò sicut implicat Personam personari, ità implicat subsistens altera subsistentia terminari.

Responderi potest subsistẽtiam absolutam non esse completam, sed incõpletam, & similitèr relatiuam subsistentiam esse incompletã, & ità ex his duabus partialib. subsistentijs cõflari Personam Diuinam Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Sed contra, quia si substantia absoluta in genere subsistendi foret incompleta; ergo Deus, vt abstrahit à Personis; non esset substantia perfectissima in genere substantiæ, vt præcedenti Disputatione argumentabar. Vnde hæc responsio ipsam subsistentiam absolu-

solutam penitus euertit. Deindè quod conflatur ex duabus partialibus, & incompletis subsistentijs, non est perfectissimum, & infinitum subsistens; sed Persona Patris est perfectissimum, & infinitum subsistens, ergo &c. Maiorē ostendimus supra contra Gilbertum arguentes, & probantes, relationes, & essentiam Diuinam non esse entia incompleta realitèr inter se distincta, ex quibus Diuina persona confletur.

Responderi potest duplicitèr ad principale argumentū repugnare quidem subsistens absolutum, & completum subsistere altera subsistētia absoluta, sed non repugnare, subsistens absolutum iterum subsistere subsistentia alterius ordinis, nempè relatiua.

Sed contra, quia in subsistentia relatiua duo sunt, nempè ratio subsistendi, & ratio incommunicabilitatis: subsistenti absoluto aduenire de nouo relatiuam incommunicabilitatem, hoc quidem nō repugnat; at subsistens absolutum, & completum iterum subsistere subsistētia etiam relatiua, hoc est, quod contradictionem implicare asserimus. Et probatur, Nam subsistentia relatiua non ammittit rationē subsistendi; repugnat autem rationē subsistendi, vt sic posse terminare aliam subsistentiam completam, vt supra visum est; ergo &c. Confirmatur hoc sequenti argumento; quod etiam directè conclusionem probat. Si præter subsistentiam absolutam completam in ratione subsistendi dantur in Diuinis tres aliæ subsistentiæ relatiuæ, sequitur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse aggregata per accidens. consequens est falsum, ergo &c. Probo sequelam. Ex duobus entibus perfectè in actu constitutis fit vnum per accidens; sed Persona Patris constituitur ex subsistētia absoluta, quæ in actu subsistendi est perfectissima, & nihil illi deesse potest; & item constituitur ex subsistentia relatiua illi adueniente, illamquè modificante; ergo persona Patris est aggregatum per accidens; & idem dic de Filio, & Spiritu sancto.

Responderi potest Secūdò subsistē tiam relatiuam non dare esse per se Diuinæ essentiæ, quæ ex se propria subsistentia absoluta subsistit; sed solùm dare esse per se Diuinis Personis; Etità non sequitur, subsistens absolutum terminari relatiuis subsistentijs.

Sed contra subsistentia relatiua per summam identitatem cum Diuina essentia, reddit eandem Diuinam essentiam incommunicabilem; quia ipsa est incommunicabilis; ergo similitèr cum eadem subsistētia relatiua sit simùl subsistens, pari modo reddit Diuinam essentiam subsistentem, vel si non reddit eam subsistentem, sequitur, eam nō esse in suo conceptu subsistentem.

Secundò posita forma in subiecto, impossibile est eam non habere suum effectum formalem; sed effectus formalis subsistentiæ est reddere naturā subsistentem, in qua actu reperitur; ergo etiam subsistētiæ relatiuæ reddent naturam Diuinam subsistentem. Tertiò forma non alia ratione dat esse compositi-

posito, nisi actuando; vel terminando subiectum, in quo est, sed subsistentia relatiua est quędam forma Metaphysica; ergo non potest dare esse subsistens alicui Diuinę Personę, nisi simul actuet, vel terminet subsistentiam absolutam Diuinæ naturæ; Et hoc est, quod repugnantiam inuoluere sępè inclamamus. Maior patet in omnibus formis tàm naturalibus, quàm supernaturalibus, & explicatur exemplo etiam in Diuinis. Nam Verbum non aliter dat subsistere huic supposito, scilicèt Christo, nisi actuando, vel terminãdo humanitatem eiusdem, & reddendo illam subsistentem; ergo simili modo Paternitas in Diuinis si est subsistens, nõ alitèr potest dare Patri esse per se, nisi idem esse per se communicet naturæ Diuinæ, in qua est. Et quod diximus de Paternitate respectu Patris, idem de Filio, & Spiritu sancto procedit.

Expugnantur argumenta adstruentia tres relatiuas subsistentias in Diuinis.

Ad Primum D. Tho. testimonium respondeo Personam Diuinam significare distinctum subsistens in natura Diuina; sed aliter, & alio modo. Nam vt significat subsistens, id habet ab essentia Dei, vt significat distinctionem, id accipit à relatione. Ita se rectè explicauit S. Doct. locis tertio notabili adductis. Ad secundum dic S. Th. solùm velle personales proprietates afferre secū suas hypostases, idest suas incommunicabilitates, & distinctiones, quæ sunt de ratione hypostasis; Non autem docet S. Doct. afferre secum suas subsistētias quas idemmet Doctor docet, à Diuina essentia desumendas.

Ad Secundum loquuntur Concil. de subsistentia non in abstracto, vt nos loquimur, sed in concreto; seu de subsistente incõmunicabilitèr, quòd idem est cum Persona; Et solùm contra Hæreticos docere intendunt, esse in Deo tres personas realitèr distinctas. Hic est scopus Concil. si totus contextus attentè legatur; non grauabor tamēn ad singula testimonia etiã in particulari respõdere; Nam dum dicitur primo loco Trinitatē esse numerabilem Personalibus subsistentijs, sensus est, Trinitatē esse numerabilem trib. suppositis personalibus, idest tribus Personis; cum enim latiùs pateat suppositum, quod etiam de Brutis dicitur, quàm Persona, quæ solùm de rebus ratione vtentibus prædicatur, Ideò suppositum potest determinari per Personam veluti per quandam differentiam, & ad hoc significandum Concil. duas illas voces adhibuit, dicens, Trinitatem esse numerabilem Personalibus subsistentijs. Paulò alitèr respondet Molina; licèt oppositã ille sent. sequatur, vt intelligant Recentiores, parum illis hæc Concilia fauere etiam ex mente illorum, qui eandem sententiam profitentur. Eodem modo exponi debet 7. Synodus, & Edictum Iustiniani Imperatoris, in quo euidens est, subsistentiã non in abstracto, sed in concreto pro supposito sumi: Nã

ly

ly subsistentijs additur hæc vox, siuè Personis, per alteritates autèm Personales intelligũtur relationes, per quas Personæ realitèr intèr se distinguuntur.

Ad Tertiũ nego antecedens. Personæ enim Diuinæ sunt subsistẽtes adiectiuè, idest sunt subsistentes substantia Dei àbsoluta; non autèm sunt subsistentes substantiuè, idest subsistentia propria; sicut etiã sunt existentes adiectiuè, non substantiuè, vt constat ex S. Th. locis citatis.

Ad Quartum respondetur, relationem Personalem supponere Deum, vt subsistentem subsistentia absoluta, & dum aduenit Diuinæ essentiæ, constituit incommunicabilem, & distinctam Personam; nego igitur ex hoc sequi relationem personalem esse formã adiacentẽ, & inhærentẽ, cum sit forma personalis, quæ ad subsistentiã Diuinæ essentiæ trahitur, & eadem subsistentia fit subsistens; imò potiùs iuxtà oppositam sententiam sequitur esse formam adiacentem; Nam quod aduenit enti perfectè in actu, est forma adiacens; sed subsistentiæ relatiuæ, si dantur, aduenirent Diuinæ essentiæ, quę in ratione subsistendi esset perfectè, & vltimatè in actu: Igitur formæ forent adiacẽtes. Quare dum instatur. Vel illa relatio ex proprio conceptu subsistit, & habetur intentũ, vel inhæret, & sic sequitur esse formam adiacentem, neque inter hæc duo est reperire mediũ, quia omne quod est, vel subsistit, vel inhæret. Respondeo Illam relationem, vt à Diuina essentia præcisam vt sic, neq; actu subsistere, neque inhærere, habere tamèn aptitudinem ad subsistendũ, prout cum Diuina essentia identificatur, & illam nostro modo concipiendi modificat; Et in hoc sensu explicatur illud dictum, scilicèt omne, quod est, vel subsistit, vel inhæret, idest vel inhęret aptitudine, vel subsistit aptitudine; Non autèm intelligi potest de inhærẽtia, & subsistẽtia actuali; Etenim Christi Humanitas concipi potest, vt existens, non vt actu subsistens, & accidentia Eucharistica existunt, sed nòn inhærent. Secundò dico, omne quod est à parte rei, vel subsistit. vel inhæret; nõ autèm quod sola cogitatione à nobis præscinditur ab alio distinctum, vt sic præcisum, & distinctũ debet subsistere actu, vel inhærere actu, vt patet in Diuinis attributis, in prædicatis essẽtialibus, & in passionibus entis, quæ vt distincta per nostrum intellectum concipiuntur, & tamèn, vt sic concepta, nequè subsistunt, nequè inhærent. Cum igitur Diuinæ relationes à Diuina essentia subsistente sola nostrã cogitatione prescindantur, minùs rectè asseritur, eas vt sic inhærere, si ex proprio conceptu subsistentes non sint.

Ad Quintũ respondeo, Vt sint tres habentes Deitatem, sufficit, si sit vnũ subsistens; sed triplici relatione personali modificatum; nam ratione modificationis illa subsistentia communis tali Personæ fit propria. Et ità sicut in Diuinis est triplex Persona; ità est triplex habens Deitatem. Respondeo secundò

cúdò, quod habere Deitaté non tàm subsistéti, vt sic quá Personę cõuenit; & ideò sicut in Diuinis sunt tres Personæ etiá substantiuè; ità sunt tres habentes Deitatem etiam substantiuè.

Ad Sextum distinguo maiorem; Personalitas est subsistentia incommunicabilis in creatis, verùm. In Diuinis, falsum: Item in concreto verum; in abstracto falsum: Nam personalitas Diuina in abstracto solam dicit indiuidualitaté, & incõmunicabilitaté; in concreto auté vtrumq. scilicèt subsistens incommunicabile,

Ad Septimum distinguo Maioré eodem modo, quo simile argumentum Disputatione 16. dissoluimus, quo probari intendebatur tres existétias relatiuas in Diuinis esse concedédas. Processio substantialis debet terminari ad rem subsistentem stat dupliciter, vel ad subsistentem subsistétia nouiter producta, & hoc nego vel ad subsistentem subsistentia absoluta vi talis actionis etiam Diuinis relationibus communicata. & hoc concedo; Itaquè filius in Diuinis vi generationis habet subsistere, vi termini communicati, quæ est natura Diuina subsistens subsistétia absoluta, habet autem incõmunicabilitèr subsistere vi termini, qui producitur, quę est Filij personalitas, nequè enim est necesse, quamcunquè actionem substãtialem per se terminare ad subsistentiam de nouo productá. Nam productio Humanitatis Christi terminauit ad naturam substantialem humanam eiusdem; non autèm ad subsistentiam propriam, qua caruit, nequè ad illam Verbi, quę non de nouo fuit producta, cum sit improducibilis; sed solú de nouo Diuini Verbi subsistétia tali humanitati fuit cõmunicata; ità similitèr nos in proposita cõtrouersia philosophádú putamus.

Ad Octauum nego sequelam duplici ratione; Primò quidem quia vt aliquid dicatur humanam carnem assumens, debet esse primarius, immediatus, & proximus terminus terminans habitudiné humanitatis ad ipsum: Subsistentia autem absoluta est terminus secundarius, & mediatus, Nam solùm illi competit terminare humanitatem mediante Verbi personalitate, quę est terminus immediatus, & proximus. Non repugnat autem totam Trinitatem fuisse incarnatam secundariò ratione subsistentiæ, cum Damascen. *lib 3. de Fide c. 6.* & alij Patres apud ipsum dicant, naturam Diuiná fuisse incarnatá, quod intelligendum est non primariò, & immediatè, sed secundariò, & mediatè. Respondeo secundò subsistentiá absolutam Verbi terminasse humanitatem Christi, non vt est cõmunis toti Trinitati, sed vt est appropriata Filio, seù vt est modificata relatione filiationis; Et sic non sequitur, omnes tres Personas fuisse incarnatas. Exéplum est in essentia Diuina, quæ est principium formale generationis, non vt illa est tribus Personis communis, sed vt est propria Patri seù vt

T est,

est modificata Paternitate, Et ideò sicut proptèr hanc rationem generare toti Trinitati non cõuenit; ità propter eandem rationem dici non potest, totam Trinitatem humanã carnem assumpsisse.

Hinc patet sensus *Concilij Tolet. 6 cap. 1. & 11. in principio*, vbi dicitur *solum filium assumpsisse Humanitatem in eo, quod est proprium Filio, non in aliquo communi*. Loquitur enim Concilium de termino primario, non de secundario, & loquitur de termino communi remanente communi, non de aliquo communi alicui Personæ Diuinę appropriato, qualis est subsisten tia absoluta, prout modificata manet relatione filiationis. Eodem modo exponitur *6. Synodus act. 8.* sub fine, vbi dicitur, *solùm Verbum humanam carnem assumpsisse, quia Pater, & Spir. Sanct. nihil habent commune, nisi benignissimam voluntatem*. Nam in ratióne efficiẽdi Incarnationem Pater, & Spir. Sanc. nihil habent commune cum filio, nisi benignissimam voluntatem, in ratione etiam terminandi primaria, & immediata nihil habent cõmune, quia talis terminus immediatus, & primarius est sola Diuini Verbi Personalitas.

Ad Nonum Respondeo vtrumq; posse dici, nempè & relationes esse in hoc Deo subsistente, illum terminantes. Et Diuinam essentiam esse in tribus Personis, vt natura est in suo supposito, sicut rectè dicimus, humanã naturam fuisse in Verbi Persona.

DISPVT. XX.

An Diuinæ relationes dicant aliquam veram perfectionem ratione distinctam ab omni perfectione absoluta.

PRo parte negatiua militant validissima argumenta. Quorũ primum est. Si relationes Diuinæ dicunt perfectionem, ergo spiritus sanctus, in quo est vnica sola relatio spirationis passiuæ erit minùs perfectus Patre, & Filio, in quibus sunt duæ relationes.

Cõfirmatur Pater & Filius habent id totum, quod habet Sp. sanc. & aliquid amplius, quod dicit veram perfectionem; Nam Sp. sanc. & essentiam Diuinam, & spirationem passiuam habet. Pater habet eandem essentiam Diuinam: habet item Paternitatẽ quæ spirationi passiuæ æquiualet, & insupèr habet spirationẽ actiuã, quæ dicit perfectionẽ; ergo Pater, & Filius perfectiores erunt Spir. sanc.

Secundò si paternitas v g. dicit perfectionem distinctã à tota perfectione Diuinæ essentiæ; ergo persona Patris erit ipsa Deitate perfectior: at hoc esse falsum sic ostenditur. Tùm quia est contra illud *Io. 10. Quod dedit mihi Pater maius omnib. est*. Pater autem dedit filio solam Deitatem, & non Paternitatem. Tùm quia Deus est, quo nil maius cogitari potest: At si persona Patris esset Deitate perfectior, iam aliquid cogitari posset Deo maius.

Ter.

Tertiò. Si relationes dicunt perfectionem, sequitur maiorē perfectionē in tota Trinitate reperiri, quam in singulis Personis determinatè, & seorsim acceptis: at hoc esse falsum demonstrat *S. August. lib. 6. de Trin. cap. 7.* quod etiam ratione probatur: Quia sic nulla Persona Diuina determinatè accepta esset infinitè perfecta.

Quartò, Si Diuinę relationes dicunt perfectionem; ergo Paternitas Verbi gratia erit perfectior, & melior filiatione, & spiratione passiua; at hoc est contra Personarum æqualitatem; ergo. Sequela probatur. Quæ specie differunt inæqualia sunt in perfectione ex *Arist. 7. Metaph.* Nam quæ specie differunt habent diuersam quantitatem perfectionis; sed Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua differunt inter se specie, ergo &c.

At ex altera parte est argumentum, quod difficilè soluitur, Diuinæ relationes sunt veræ res, & entia realia; sed omne ens reale dicit intrinsecè perfectionem, & bonitatem transcendentalem, ergo &c.

Quatuor Theologorum placita referuntur.

In hac difficultate quatuor perlegi sententias. Prior est, relationes Diuinas, vt relationes Diuinæ sunt, nequè dicere perfectionem, nequè imperfectionem. Ità *Auct. 1. par. quæst. 28. ar. 2. Scot. in 1. dist. 3. q. 1. ad 3. & Quodl. 5.* vbi docet, *relationes Diuinas nequè esse finitas, nequè infinitas.* Idem ferè sentit ex Recentioribus *Molina 1. par. quæst. 4. 2. art. 6. disp. 2.*

Secunda opinio est *Bannes 1. par. q. 28. art. 2.* qui ria dicit. Primo relationem, vt dicit, *in*, dicere perfectionē. Secundò, vt dicit *ad* non dicere perfectionem, vel imperfectionem. Tertiò simpliciter loquendo; Quamcunq. relationem tàm creatam, quàm Diuinam dicere perfectionem.

Tertia opinio est *Vasq. disput. 122. cap. 6. 7. & 8.* qui ex vna parte defendit relationes diuinas pertinere ad perfectionē Dei, & ex altera parte, ne maiorem in vna, quam in alia Diuina persona perfectionem admittat, docet, hanc perfectionem in Deo non esse, nisi vnam, nec esse admittendas in Diuinis tres perfectiones reales, etiam relatiuas; sed vnicam, & hoc modo perfectam in Diuinis Personis æqualitatem saluari opinatur. Vt autem hæc duo, quæ opposita videntur, conciliet, notat perfectionem, & bonitatem dupliciter posse accipi. Primò absolutè, secundò comparatiuè: Primò modo bonum nihil est aliud, quam rei integritas; cui nihil deest, & hoc modo bonū est passio entis transcendentalis sola ratione ab ipso ente distincta: At secundò modo illud bonum alteri est, quod alteri conueniens est; & ideò idem non dicitur sibi conueniens, & hoc modo bonum non est passio entis, quia non omne bonum alteri conueniens est; Vt igitur hoc secundo modo aliquid alicui dicatur bonum, seu conueniens re-

T 2 qui-

quiritur, vt inter ista sit distinctio saltem ex natura rei; Vndè quia Diuinæ relationes à Diuina essentia sola ratione distinguuntur; ideò non dicunt bonitatem realem hoc secũdo modo, sed solùm bonitatem rationis. Quod si bonum primo modo consideretur, quatenus integritatem rei dicit, tunc quia omnes Diuinæ relationes spectant ad vnicam Dei integritatem, ideò vnicã etiam perfectionem dicent; Nam ex omnibus Diuinis attributis, & omnibus relationibus resultat in Deo vnica realis perfectio per summam identitatem; ex quo fit, omnes Diuinas Personas esse æquè perfectas, cum omnes Diuinæ relationes sint de Dei integritate.

Quarta Sententia verior docet, Diuinas relationes dicere perfectionem relatiuam ratione distinctam à tota perfectione Diuinæ essentiæ, & ideò sicut in Diuinis tres Diuinæ relationes sunt tres res, realitèr inter se distinctæ; Ità etiam esse concedendas tres perfectiones relatiuas realitèr intèr se distinctas. Hanc sententiam tuetur *Henricus tract. de relationibus quæst. 4. Gab. in 1. dist. 7. quæst. 3. art. 3. Herueus in 1. dist. 2. quæst. 4. art. 1. Suar. in Metaph. disput. 10. sec. 3. & lib. 3. de Trinit. cap. 9. & 10.* & communiter tàm Veteres, quàm Recentiores, quos longa serie cumulauit *Theodorus Forestus pag. 123. cap. 5. de relationibus quales sint.*

Obseruatio pro veritate indaganda.

Pro resolutione animaduertendum est, duplicem esse perfectionem intensiuam, & extensiuam. Est autem intèr has duas perfectiones triplex discrimẽ; Primò, quia perfectio intensiua non ordinatur ad aliam, vt plurimum loquendo; at perfectio extẽsiua perficit subiectũ in ordine ad alia. Secũdò Perfectio intẽsiua perficit subiectũ, perfectionem eiusdem secundùm aliquẽ gradũ augẽdo: Perfectio extensiua non auget perfectionem sui subiecti, secundùm nouũ gradum, sed eandem perfectionẽ pluribus communicat, quod idem est, ac si clarius dicerem, perfectionem intensiuam perficere subiectùm, in quo est secundùm magis, & minùs. Extensiuam verò secundum maiùs & minùs. Tertiò ablata perfectione intensiua ab aliqua re, illa imperfecta simplicitèr dicitur; At ablata perfectione extensiua res illa nõ dicitur simplicitèr imperfecta; quia adhùc habet quidquid perfectionis requiritur ad adæquatam, & totalem eius constitutionem. Exemplũ vtriusquè perfectionis sit istud. Prædicata essentialia, vt esse viuens, sẽsitiuũ, &c. pertinet ad intensiuam hominis perfectionem; sed quod vna natura sit multiplicabilis, & incommunicabilis pluribus eiusdem naturæ indiuiduis, pertinet ad extensiuam eius perfectionem. His præmissis sit.

Prima Propositio.

Respondeo primò Diuinas relationes secundum esse dicere infinitã perfectionem in omni latitudine entis infini-

finitam. Conclusio est certissima, quia omnes relationes diuinæ gaudent eadem Diuinæ essentiæ realitate, à qua, neque realitèr, neque ex natura rei distinguuntur, vt supra visum est; ergo secundum rem dicent eandem realem perfectionem infinitam Diuinæ substantiæ. Quare etsi Pater, & Filius duas habeant relationes, scilicèt Paternitatem, & Spirationem actiuam Pater, & Filius filiationem, & spirationem actiuam; Spiritus verò sanctus vnicam solam nempè spirationem passiuam; omnes tamèn secũdum rem sunt æquè perfecti, quia secundum rem omnes tres Diuinæ Personæ eandem habent Diuinę simplicissimęquè substãtiæ realitatem, & consequentèr eandem perfectionem.

Secunda Propositio.

Respondeo secundò Diuinas relationes, quatenus virtualitèr, & ratione ratiocinata à Diuina essẽtia distinguũtur, non pertinere ad intensiuam Dei perfectionem. Probatur primò ex creaturis; Nam esse Patrem in Creatis nõ pertinet ad perfectionem intensiuam illius Personæ, qui Pater dicitur, sed solùm ad extensiuam, quatenus cum nõ possit se in indiuiduo immortalitati cõmendare, saltèm in specie se perpetuò conseruare intendit: Ergo similitèr esse Patrem in Diuinis non dicit perfectionem intensiuam, sed extensiuam, scilicèt cõmunicationem eiusdem naturæ via generationis; & si sit sermo de Spir. sanc. communicationem Diuinæ naturæ via processionis.

Secundò Deus vt abstrahit à Personis, & vt vnus est, concipitur ab omnibus, vt tale indiuiduum, quo nihil maius, vel perfectius cogitari potest; sed si Diuinæ relationes ad intensiuam Dei perfectionem spectarent, iam aliquid ipso Deo perfectius cogitari posset, scilicèt Persona Patris, Filij, & Spir. sancti, ergo &c.

Tertiò si Paternitas, verbi gratia auget intensiuam Deitatis perfectionem, ergo Deitas ipsa ex se non esset infinita; atquè ità Diuina essentia suam infinitatem à Diuinis relationibus mendicaret; Consequentia patet, quia infinito nihil potest addi; Vel ergo natura Diuina non esset ex se infinita, vel si ex se infinitè perfecta est, sequitur Diuinas relationes nullam illi addere intensiuam perfectionem, secus ipsa ex se non esset in omni entis latitudine infinita.

Hinc obseruandum est discrimen intèr Diuina attributa, & Diuinas relationes; Nam attributa pertinent ad intensiuam Dei perfectionem, quia si his Deus careret, non esset summè perfectus: At si careret relationibus, & vnica, atquè absoluta esset in Diuinis Persona, adhùc esset idem Deus summè perfectus, qui nunc est; & ideò pluralitas suppositorũ in Diuinis pertinet ad extensiuam Dei perfectionem, non secus ac multiplicitas indiuiduorum in humanis spectat ad extensiuam humanæ naturæ perfectionem.

Por-

Porrò cum relationes in Diuinis propria existentia, & subsistentia careant, solumque sint rationes, & quidditates, vt supra visum est; ideò iuxta nostram sententiam melius saluatur, quomodo Diuinæ relationes intensiuã Dei perfectionem non augeant, quam si ex proprio conceptu ipsę ex se forent existentes, & subsistentes. Verùm licèt Diuinæ relationes sint puræ rationes, & quidditates, sunt tamèn veræ res, & vera entia realia; & per consequens bona, & perfecta; Ex quo hallucinari arbitror eos, qui dicunt, Diuinas relationes, cum sint puræ quidditates, proindè nullam dicere perfectionem, quia perfectio, inquiunt, sumitur ab esse; Ipsę autẽ ex se non habent esse, sed à Diuina essentia, & per consequens à sola Diuina essentia habent perfectionem, non autèm ex se, & in se. Nam isti animaduertere deberent, etiam Christi Domini Humanitatem, ex sententia D. Thomæ, & omnes entium modalitates, iuxtà veriorem opinionẽ ex se non habere esse, & tamèn ex se, & in se veram realem perfectionem includere. Vt igitùr aliquid dicatur bonum, & perfectum bonitate entis transcendentali, de qua hic loquimur, sufficit, si talis res, quæ bona supponitur, existere possit, siuè propria, siuè aliena existentia parum refert. Ens enìm illud est, cui conuenit posse existerè, & per cõsequens illud bonum erit, quod quomodocumquè realitèr existere potest.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertiò relationes Diuinas pertinere ad extensiuam Dei perfectionem in suis proprijs generibus infinitam. Hanc Conclusionem puto esse de mente *S. Thom. in 1. dist. 4. q. 1. ar. 1.* & probatur primo ex *S. Damasceno lib. 1. de Fide cap. 11.* vbi habet *Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus*; quibus verbis nihil clarius pro nostra sententia dici potest; siquidem perfectiones personales sunt perfectiones extensiuæ, sicut multiplicitas indiuiduorum. Secundò probatur rationibus; In Deo non solùm fœcunditas, seù virtus generandi, & spirandi magnam dicit perfectionem, sed etiam actu generare, & spirare; sed actu generare, & spirare essentialitèr includit relationes spirantis, & spirati, generantis, & geniti; ergo Diuinæ relationes, etiam vt ratione à Diuina essentia distinguuntur, realem dicunt perfectionem. Maior probatur ex SS. Patribus vt ex *Cyril lib. 1. Thesaur. cap. 6. ex Damasceno lib 1 de Fide cap 8. & ex Hylario lib. 2. de Trinitate in fine*, vbi intèr cetera, hæc aurea verba habet; *Quia nec sine filio aliquando fuisse credendus es; ne aut sine generatione imperfectus, aut post generationem superfluus esse videaris*; Vti notanda sunt illa verba *ne aut sine generatione imperfectus*, vbi vides generare in Deo perfectionem necessariò dicere. Et quid mirum? Nam si generatio in Creatis perfectionem dicit

dicit, quantò magis in Deo. Secundò Cyrillus, vbi supra ex eo, quod Diuina fœcunditas dicit perfectionem, arguit etiam actu generare dicere perfectionem his verbis. *Hic non solùm perfectus est, quia Deus est; sed quia Pater est. Quare qui negant Patrem esse, dicunt, Deum perfectione carere, quod est ipsa Diuina fœcunditas* Et posteà argumẽtatur ex perfectione Diuinæ fœcunditatis ad perfectionem ipsius actus generandi.

Cõfirmatur primò, quia nemò cordatus negare sanè poterit, non esse Deo melius, esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quàm non esse, cum vt sic habeat operationes ad intra in suis generibus infinitè perfectas.

Confirmatur secundò Pater vt Pater amatur à Filio, & à Spiritu sancto, & è contra, sed quod amabile est, bonũ est; ergo vt sic dicit bonitatem, & perfectionem. Maior patet; Nam Pater nõ solùm amat Diuinam essentiam, sed præcipuè amat se ipsum, & alias duas Personas; sed Personæ constituuntur per relationes; ergo ipsæ etiam relationes amantur, & per consequens dicunt bonitatem, & perfectionem.

Confirmatur Tertiò, Diuinæ relationes non solùm sunt entia realia, sed etiam sunt formæ hypostaticæ, & substantiales; ergo necessariò realẽ perfectionem includunt.

Confirmatur quartò. Humanitas Christi ex vnione ad Verbum fuit eleuata ad maximam dignitatem, & perfectionem; ergo oportet, vt ipsa Verbi personalitas dicat intrinsecam, & realem perfectionẽ, quia nemò dat, quod non habet.

Confirmatur quintò Diuinæ personæ sunt ad inuicem iucundissimæ, & fruibiles, cum sint obiectum Beatitudinis Sanctorum; ergo vt sic sunt bonæ, amabiles, & perfectæ.

Confirmatur sextò Diuinę personę adorantur adoratione latriæ, vt in prętatione de Trinitate, ibi *Vt in confessione vere, sempiternaq; Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, et in maiestate adoretur æqualitas*, sed nõ potest aliquid esse dignũ adoratione, nisi includat aliquam dignitatem, eminentiam, & superexcelsam perfectionẽ sibi propriam, ergo diuinæ relationes dicunt intrinsecam perfectionem.

Fit iudicium de alijs opinionibus.

Ex his deducitur, quale de aliorum Doctorum sententijs iudicium sit formandum. Non enim primò vllo modo probare possumus illam Caietani doctrinam, aientis, Diuinas relationes nec dicere perfectionem, neque imperfectionem. Quod dictum plurib. Theologis durum, asperum, & pijs auribus molestum semper fuit. Indignum enim Deo est, ipsum aliquid in se formalitèr claudere, quod neque bonum, neque perfectum sit. Quinimò esse tale ens, cui nulla perfectio ex propria ratione inesse possit, maximam sanè sapit imperfectionem; sed Diuinis relationib. nulla potest perfectio inesse ex propria

ratio-

ratione secundum Caietanum; ergo ista erit maxima, & intolerabilis imperfectio. Secundò argumentor. Illud est perfectum, cui nihil deest, quod illi cõpetere debeat, sed Diuinis relationib. nihil deesse potest; ergo Diuinæ relationes sunt perfectæ. Tertiò videtur aperta contradictio ista, quod aliquot ens reale increatum, neque perfectionem, neque imperfectionem inuoluat. Siquidem quod non dicit imperfectionem, necessariò dicit perfectioné, neq; intèr hæc duo est medium cogitare, sicut neque intèr ens, & non ens datur medium. Quartò, vel Diuinæ relationes pertinent ad aliquot Sanctissimæ Trinitatis complementum, vel non. Si primum dicas, sequitur Diuinas relationes includere perfectionem, cum sint substantiale Diuinæ naturæ complementum, si secundum eligas, ergo Diuinæ relaiones erunt superuacaneę, infructuosæ, & frustatoriæ, cum nullũ effectum realem habeant; consequentèr asserere Diuinas relationes, neque perfectionem, neque imperfectionem includere, hoc nil aliud est, quã apertã committere contradictionem. Postremò accedat *D. Thomas hac 1. par. q. 29. art. 3. in C.* vbi sic loquitur. *Persona significat id, quod est perfectissimũ in tota natura, scilicèt subsistens in natura rationali; vnde cum omne illud, quod est perfectionis, sit Deo tribuendum, eo quòd eius essentia continet in se omnem perfectionem, conueniens est, vt hoc nomen persona de Deo dicatur.* Hic vides D. Th. vti hoc sylogismo, omne quod dicit perfectionem est Deo tribuendũ Persona dicit perfectionem; ergo persona de Deo dicitur, *q. 27. art. 2. ad 3.* inquit, *in ipsa perfectione diuini esse continetur, & Verbũ intelligibilitèr procedens, & principium Verbi*, sed Verbum est persona relatiua; ergo relationes Diuinæ spectant ad perfectionem Diuini esse; adeò vt melius sit Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum quã non esse, consequentèr dicent perfectionem.

Secundò deducitur, neque acceptãdam esse doctrinam Scoti dicentis, relationes Diuinas, neque esse finitas, neque infinitas; Nam ens diuiditur in finitum, & in infinitũ tamquam in duas differentias adæquatas; sed relationes sunt vera entia realia; ergo Diuinæ relationes, vel erunt finitę, vel infinitę.

Nec vrget Scoti argumentatio infinitum non est nisi vnum; ergo si Diuinæ relationes essent infinitæ, vnica solũ foret in Diuinis relatio; si auté essent finitæ, essent imperfectę, & creatæ.

Respondetur enìm illam Maximam *infinitum non est nisi vnum*, veram esse de infinito simplicitèr in omni genere: Infinita autèm in diuersis generib. possunt multiplicari. Vel dic infinitum etiam in aliquo determinato genere non esse nisi vnum, atquè ità in Diuinis solùm reperiri vnicam Paternitaté infinitam, vnicam Filiationem infinitam, vnicam processionem passiuam infinitam. Quodsi Caiet. & Scot. loquerentur de relationib. vt relatio abstrahit à reali, & rationis, siuè secundũ

rem,

rem, siuè voce sola, vt alij melius sentiunt, inter se conueniunt, tunc verum esset, relationem Diuinam, vt præcisè dicit *ad* consideratá vt quid commune enti reali, & rationis, nec dicere imperfectionem, nec perfectionem, nec esse finitas, nec infinitas. At sermo noster est de Diuinis relationibus, vt sunt res reales increatæ, & à Diuina essentia saltem ratione ratiocinata distinctæ, & ideò implicat, tales relationes, neque finitas, neque infinitas esse; aut neq. perfectionem, neque imperfectioné includere, sed necessariò dicent perfectionem in suis generibus infinitá. Sic Paternitas est infinita in genere Paternitatis; filiatio in genere filiationis, &c. quia nulla melior filiatio Diuina filiatione, nulla paternitas melior Diuina paternitate excogitari potest; & vtraquè eminentèr continet omnem Paternitatem, & filiationem creatam. Vnde *Apostolus ad Ephesios 3*, de Patre Domini Nostri Iesu Christi loquens, inquit. *Ex quo omnis Paternitas, siuè in Cælis, siuè in Terris nominatur*; Per Paternitatem auté in Cælis rectè D. Anselmus intelligit Angelorum Paternitaté, qui dum nos velut Patres custodiunt, adoptiua gaudent Paternitate. Et sensus est, ex Diuina paternitate omné aliã tàm naturalem in terris, quàm adoptiuam in Angelis emanare.

Tertiò deducitur, Insufficientem esse illam Dominici Bannes distinctionem, quam ex Caietano desumpsit, scilicèt relationem Diuinam secundum esse *in* dicere perfectionem; at secundum esse *ad* neq dicere perfectionem, neque imperfectionem? Nam relatio tàm creata quàm increata etiam secundam esse *ad* considerata semper implicitè includit *in*, vt supra visum est; Nec solum vt dicit *in*, sed etiam vt dicit *ad* est verum ens reale, vt supra etiam ostendimus, ergo bonum, ergo perfectum.

Nec vrget eiusdem argumentum. Omnis perfectio, vel imperfectio consideratur, inquit, per ordinem ad subiectum, vel suppositú, in quo est, quia omnis perfectio, vel imperfectio est alicuius perfectio, vel imperfectio, sed relatio, vt dicit purú *ad*, non dicit ordinem ad subiectum, sed ad terminú; ergo vt sic neq; dicit perfectionem, neq; imperfectioné.

Respondeo, si loquamur de quacumquè bonitate, & perfectione träscendentali, vt hic est sermo, maiorem esse negandam. Si enim vera esset, daretur processus in infinitú, deinde ad minorem dico, relationem, vt dicit *ad*, expressè quidé dicere habitudinem ad terminum. At implicitè etiam dicere habitudinem ad subiectum, cum illud actu referat ad suum terminum.

Quartò deducitur in duob. doctriná Vasq. à nobis meritò improbadá. Primò in eò quod docet. Diuinas relationes esse de Dei integritate. Nam si dixisset Diu. relat. esse de integritate. Trinitatis rectius sanè iudicio meo

locutus fuiſſet; At dicere, Diuinas relationes eſſe de Dei integritate, tale dictum approbare nõ poſſumus: ſequitur enim ex illo, Spir. ſanc. non eſſe integrè, ac perfectè Deum, quod eſt contra Fidem. Sequelam probo. Paternitas, & filiatio ſunt de integritate Dei ex Vaſquez, ſed Spir. ſanc. non habet Paternitatem, & filiationem: ergo Spir. ſanc. non eſt perfectè Deus. Et idem argumentum fieri poteſt de alijs duab. perſonis, quæ cum careant ſpiratione, non eſſent integrè Deus.

Secundò diſplicet in puncto principali, dum vt perfectam Diuinatũ perſonarum æqualitatem tueatur, docet, omnes tres relationes perſonales vnicam eſſe perfectionem, & integritatem.

Contra enim ſic argumentor. In Diuinis ſunt tres Perſonæ realitèr diſtinctæ, quę conſtituuntur per tres relationes realitèr diſtinctas, ſed ſingulæ dicunt ſuam perfectionem, realitèr ab alia diſtinctam; ergo in Diuinis eſt triplex perfectio relatiua & nõ vnica ſolùm. Confirmatur primò, Nam Pater eſt integrè Deus, integrè Perſona, integrè Pater; & idem dic de Filio, & Spiritu ſancto, ſed integritas ſecundum Vaſquez eſt bonitas, & perfectio; ergo ſicut in Deo ſunt tres Perſonæ realitèr diſtinctæ: ità ſunt tres integritates & bonitates realitèr intèr ſe diſtinctę licèt cum Diuina eſſentia identitatẽ habeant; Confirmatur ſecundò, Nam licèt cõcedamus, omnia attributa, & relationes conſtituere vnicam Dei integritatem totalem, & adæquatam: attamen ſingula ſeorſim cõſiderata ſunt velùt partes iſtius totalis integritatis: ergo ſingula includunt ſuam bonitatem partialem, ſicut contingit in Creatis quando vna totalis perfectio ex pluribus partialibus perfectionibus conflatur. Nec ſatisfacit Vaſq. dum dicit tàm attributa, quàm relationes idem eſſe cum eſſentia, ac proindè vnicam conſtituere Diuinam integritatem: Nam ità ſunt idem, vt tamèn virtualitèr, & ratione ratiocinata diſtinguantur: ergo ſicut addunt ſupra eſſentiam veram entitatem realem ratione diſtinctã: ità addunt bonitatem, & perfectionem ſola ratione diſtinctam, cum ens, & bonum conuertantur.

Diluuntur argumenta contra perfectionem Diuinarum relationum.

Ad primũ diſtinguo Conſequens, ſequitur Spir. ſanc eſſe Patre, & Filio minùs perfectum perfectione eſſentiali nego: perfectione relatiua concedo. Rurſus diſtinguo. Sequitur Spir. S. eſſe minùs perfectum perfectione intenſiua nego: perfectione extenſiua, concedo. Ad Confirmationem ſimilitèr reſpondetur, abſurdum quidem eſſe, maiorem perfectionem intenſiuã in Patre, & Filio, quam in Spir. ſancto admittere, non autem extenſiuam. Cum enim

qui-

quilibet Catholicus concedere cogatur in Patre, ac Filio duas relationes, & duas res reperiri, sequitur etiam necessariò plures perfectiones extensiuas in illis reperiri, cum ens, & bonum conuertantur; quã in Sp. sanc. in quo vnica relatio spirationis passiuę reperitur Declaratur hoc aptissimo exemplo. Deus, & Mundus sunt quid perfectius extensiuè, quam Deus solus; quia sunt duæ perfectiones realitèr distinctæ; sed nõ intensiuè, quia quidquid perfectionis est in Mundo, in Deo eminentèr continetur. Item Verbum humana carne indutum est quid extẽsiuè perfectius, quam esset ante Incarnationem; quia Humanitas Christi suam habet perfectionem distinctam à tota perfectione Verbi; Non est autem intensiuè perfectius post incarnationem, quia vt docet S. Th. quæst. de Vnione Verbi art. 1. ad 9. non est magis diligibile Verbum nudè sumptum; & ratio est, quia quidquid est perfectionis in assumpta humanitate, id totum eminẽtèr in Deo continetur. Ità Pater, & Filius non sunt quidem intensiuè quid perfectius Spiritu sancto, nec vna Persona, quam duæ, nec duæ quã vna, quia quidquid perfectionis reperitur in relationibus, altiori modo continetur in Diuina essentia, eadem numero in singulis existente, quæ est omnium radix, & principium. Optimè tamèn admittere cogimur, Patrem, & Filium duabus prędictis relationib. pręditos Spir. S. perfectiores esse perfectione extensiua, nec non duas Personas vnicam solam eadem extensiua perfectione superare.

Ad Secundum, & Tertium patet ex modo dictis.

Ad Quartum nego simplicitèr sequelam. Ad probationem illa maxima. *Quæ differunt specie, sunt inæqualia in perfectione*, nequè vera est vniuersalitèr in omnibus specieb. creatis; Nã plures sunt Pisces, Volucres, & qualitates, quæ perfectione æquiualere, atquè æquipollere videntur. Deindè si admittatur, illa solùm locum habere potest in his rebus, quæ sub propria specie continentur, non autèm in Diuinis relationibus, quæ nequè habent genus, nequè speciem, sed sunt intèr se primò diuersæ; Istæ enim possunt esse in perfectione æquipollentes, sicut sunt duæ differentiæ numericæ duorũ Equorum.

DISPVT. XXI.

An Diuinæ relationes sint perfectiones simplicitèr simplices.

CONstat iam ex dictis, Diuinas relationes aliquam realem perfectionem includere; sed qualis pfectio illa sit, adhùc obscurũ manet; Negat Suar. *li. 3. de Trin. c. 10* relationes diuinas esse pfectiones simplicitèr simplices; At oppositum verius mihi multò videtur; & probatur, quia omnis perfectio adæquatè diuiditur in pfectionem simplicitèr simplicem, & in perfectionem secundum quid; ex *D. Anselmo in Monol. cap. 15.* & ex commu

V 2

muni omnium Theologorum sententia; sed Diuinæ relationes non dicunt perfectionem secundum quid, quæ est mixta cum varijs imperfectionibus, ergo dicent perfectionē simplicitèr simplicem, quæ non habet imperfectiones admixtas.

Secundò omnis perfectio, quæ secundum propriam formam reperitur in Deo, est perfectio simplicitèr simplex; Nam perfectiones secundum quid, quia secundum suas formas admixtas habent imperfectiones, secundū omnes Theologos, non formalitèr, sed eminentèr in Deo continentur; sed Diuinę relationes formalitèr in Deo repetiuntur; ergo &c.

Tertiò probatur ex ipsa definitione perfectionis simplicitèr simplicis ab eodem Anselmo, vbi supra tradita, quę est huiusmodi. Perfectio simplicitèr simplex est illa, quæ in quolibet est melior ipsa, quam non ipsa, idest quam alia illi incompossibiles; sed Paternitas inquiunt Aduersarij non est melior filiatione, quę est Patri incompossibilis; ergo Paternitas non est perfectio simplicitèr simplex; Et quod dicitur de Paternitate, idem fieri potest argumentum de alijs relationibus.

Cæterum comparatio, quod Paternitas filiatione non sit melior, non est facienda respectu personæ Patris; sed respectu Diuinæ naturæ, cuius relationes sunt perfectiones, & ita respectu eius, melius est Deo esse Patrem, quàm esse Personam absolutam: Et melius est Deo esse genitum, & spiratum, quā habere personalitates absolutas istis incompossibiles; ergo respectu naturæ Diuinæ relationes sunt meliores ipsæ, quam aliud illis incompossibile; & ità respectu naturæ Diuinæ dicent perfectionem simplicitèr simplicem.

Nec vrget D. Anselmum dicere, illam esse perfectionem simplicitèr simplicem, quæ in quolibet est melior ipsa, quam non ipsa; Nam per ly *in quolibet*, intelligi debet quodlibet indiuiduum Entis, & naturæ, *vt Caiet. de ente, & essentia cap. 2.* rectè explicauit. Non autem quamlibet Personam, vt Suarez arbitratur; Nam Sapientia, verbi gratia, non est melior ipsa, quam non ipsa in lapide, cuius lapis non est capax, ità filiatio non est melior Paternitate in Patre, cuius non est capax. Addo, quod licèt Paternitas non sit melior filiatione positiuè, est tamèn melior negatiuè; quia est æquè perfecta, ac filiatio, & prorsus illi æqualis; Perfectio autèm simplicitèr simplex solùm excludit à subiecto, in quo est, minorem perfectionem, vt illi incompossibilem, non autèm excludit æqualem perfectionē, vt contingit in Diuinis relationibus; Quare fieri potest, vt aliqua sit perfectio simplicitèr simplex; & tamē non maiorem perfectionem dicat, quam eius oppositum, sed sufficit, si dicat æqualem, ac dicat opposita perfectio.

At dices, Si relatio Diuina dicit perfectionem simplicitèr simplicem, hæc tria absurda sequuntur. Primò aliquā perfectionem simplicitèr simplicem esse in Patre, quę nō est in Spiritu sancto, sci-

scilicèt spiratio actiua. Secundò esse admittendas tres perfectiones simplicitèr simplices in Diuinis realitèr intèr se distinctas. Tertiò Maiorem perfectionem simplicitèr simplicem esse in Patre, quam in Filio, & Spiritu sancto. At hæc omnia absurditatem sapere, & SS. Patrib. esse dissona quis non videt?

Respondeo si relationes dicerent perfectionem simplicitèr simplicem intensiuam, absurdum sanè esset, vnam perfectionem intensiuam in vna Persona concedere, & eandem in altera persona negare. Item magnum esset incommodum, maiorem perfectionem intensiuam reperiri in vna Persona, quam in alia. At absurdum non est maiorem perfectionem extensiuam sola ratione ab essentia distinctam in vna Persona Diuina, & non in alia admittere, cùm in re ipsa omnes Diuinæ personæ eandem habeant Diuinæ substantiæ realitatem, & consequenter perfectionem, vt supra etiam dictum est. Similitèr non putamus absurdum tres cõcedere perfectiones relatiuas realitèr distinctas, sicut cõcedimus tres res realitèr distinctas; nec nõ aliquã perfectionẽ extensiuam esse in Patre, quæ non sit in Filio: sicut enim in Patre est aliqua quidditas relatiua, quæ non est in Filio, & aliqua est in Filio, & Spiritu Sancto, quæ non est in Patre: Ità concedimus, aliquam in Patre perfectionem relatiuam, quæ non sit in Filio, & aliquam in Filio, quæ non sit in Patre: Semper tamèn intelligere debemus esse in Patre æquipollentem perfectionem, quia Paternitas tàm perfecta est in Patre, quàm Filiatio in Filio, & spiratio passiua in Spiritu sancto, cùm omnes istæ relationes perfectionem dicant æquè in suis generibus infinitam.

Instatur secundò, Si Diuinæ relationes sunt perfectiones simplicitèr simplices, quomodo non sunt perfectiones intensiuæ; Nam perfectio simplicitèr simplex, cum sit melior ipsa quàm non ipsa, Diuinam perfectionem intẽdere videtur, vt Disp. 17. dictum fuit.

Respondeo Perfectionem simplicitèr simplicem absolutã esse perfectionem intensiuam, vt illa Disputatione dictum fuit; At relationes solùm spectare ad extensiuam Dei perfectionẽ, cum Deus, vt abstrahit à Personis, tale ens sit, quo nihil perfectius excogitari potest, vt præcedenti Disput. Propositione secunda dictum fuit. Sicut Sapiẽtia in Creatis est perfectio intensiua, nõ sic indiuiduorum pluralitas.

Instatur Tertiò ex Vasquez, vbi supra cap. Quinto iuxtà nos etiam admittendas esse tres perfectiones, nõ solùm cum addito *relatiuas*, sed etiã sine addito, quod vt absurdum opinatur. Probatur assumptum. Multiplicato inferiori absolutè, multiplicatur superius absolutè, sed bonum, & perfectum est quid superius ad rem, absolutè autem conceduntur tres res, & tres relationes in Diuinis, ergo & tres bonitates. Rursus contendit, aliquam perfectionem esse absolutè in Patre concedendam, quæ non sit in Filio, per hunc syllogismum expositorium. Hæc Paternitas in-

inquit, est perfectio; Paternitas non est in Filio; ergo aliqua perfectio absolutè loquendo est in Patre, quæ non est in Filio, quod est maximũ incõueniens.

Respondeo negando primò Min. Quia bonum, & perfectum nõ est prędicatũ superius ad rem, cum æquè sint transcendentia, sed transeat Minor; distinguo Maiorem. Multiplicato inferiori absolutè, multiplicatur superius absolutè, verum est, nisi vsus nominis aliquod scandalum præbeat; & quia nomen bonitatis, & perfectionis absolutè prolatum semper accipitur in Diuinis pro absoluta, & essentiali perfectione; Ideò non sunt admittendæ simpliciter in Diuinis tres perfectiones, ne tres videamus essentias concedere, sed semper debemus admittere tres perfectiones cum suo addito, scilicèt relatiuas.

An in Diuinis sint admittenda tria entia, & tres res.

Hinc *S. T. in 1. dist. 25. quæst. 1. art. 4.* licèt absolutè in Diuinis tres res admittat, negat tamen posse dici in Diuinis esse tria entia, quidquid oppositum dicat *Suar. lib. 3. de Trinitate cap. 11.* Quia ens, inquit S. Doctor, significat quidditatem sub esse, & quia esse in Diuinis est vnum; ideò vnum ens non tria in Diuinis admitti debent. Res verò significat quidditatem sine ordine ad esse, & ideò potest dici esse tres res in Diuinis; sæpissimè tamèn pro eodem res, & ens vsurpantur, licèt minùs propriè, & ideò vulgari loquendi modo etiam tria entia in Diuinis dici possunt.

Ceterum dummodo sciretur, in quo sensu talis proposito proferatur, cessante scandalo, etiam posset absolutè dici, tres esse in Diuinis perfectiones, semper subintelligendo relatiuas.

Hinc dicimus propositionem illã; Hæc Paternitas est perfectio, non esse absolutè admittẽdam, sed cum suo addito, scilicèt est perfectio relatiua; Et ità solùm concluditur aliquam perfectionem relatiuam esse in Patre, quæ non sit in Filio, quod libentér concedimus: Vel si cessante scandalo talis propositio absolutè admittatur, non est absurdum, aliquam perfectionem esse in Patre, quæ non sit in Filio, quia implicitè semper est sermo de relatiua perfectione, semperque intelligimus æquipollentem esse in Deo perfectionem.

DISPVT. XXII.

An Persona Diuina significet de formali relationem, vel naturam Diuinã.

D. Th. art. 4.

Probatur significare de recto, & de formali Diuinam naturam. Primò ex *S. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6.* vbi ex professo probat, nomen Personæ non significare in Diuinis relationem, sed substantiam, ergo &c.

Secundò Relatio est alicuius Personæ relatio; ergo relatio non significat de formali Personam. Consequentia pro-

probatur, Illud non est significatum formale, & directũ alicuius nominis, quod ante illũ supponitur; sed Persona supponitur ante relationem, in qua fundatur; ergo Persona non significat de formali relationem.

Tertiò si in Deo esset vnica Persona, sicut Iudæi, & Saraceni opinantur, adhuc nomen Personæ in Diuinis idem significaret, quod nunc significat, sed tunc non significaret relationem, quæ in Deo non esset; ergo neque nunc significat relationem.

Quartò, Illud est directum significatum alicuius nominis, quod ponitur primò, & per se in eius definitione, sed nomen substantiæ primò, & per se ponitur in definitione Personæ, quæ definitur rationalis naturæ indiuidua substantia; ergo nomen Personæ de formali significat substantiam, & in obliquo, & connotatiuè significat relationem.

In hac difficultate sunt plures sententiæ, quas partim refert hic *S. Thomas*, partim *in 1. dist. 23. & 24. & de potentia quæst. 9. art. 4.* quas breuitatis causa omittimus ad solidiora properantes.

Pro solutione igitur notandum est primò, idem esse significatum directũ alicuius nominis, & significatum formale illius. Et idem esse significatum materiale, quod obliquum. Et ideò directum significari solet in casu recto, obliquum in casu obliquo. Vt cum dicitur, Persona est rationalis naturę, ecce significatum indirectũ, & obliquũ; indiuidua substantia; Ecce significatũ formale, & directum.

Notandum secundò, In ipsa Diuina relatione, verbi gratia, Paternitate duo posse nostra cogitatione distingui. Primò quod sit forma hypostatica, & substantialis Diuinæ Personæ constitutiua. Secundò vt dicit tendentiam ad filium; vel vt dicit actuale exercitium referendi patrem ad filiũ, quæ distinctio sumitur ex *S. T. hic ar. 4 ad 1. vbi Caietanus necnon quæst. 40. art. 4* si igitur consideretur formale significatum Diuinę relationis, sanè hoc erit actualis respicientia; Nam quælibet relatio ex vi suæ formæ tàm genericè, quàm specificè considerata habet referre: Si verò consideretur significatum illius quasi materiale, hoc erit esse formam hypostaticam personæ constitutiuam. His præmissis sit.

Prima Propositio.

Respondeo primò personam in cõmuni, vt abstrahit à creata, & increata nõ significare de formali relationẽ, nec quid absolutum. Hæc conclusio est contra Durand. *in 1. d. 23. quæst. 1.* probatur exemplo entis, & accidentis, quæ de se abstrahunt ab absoluto, & relatiuo. Secundò conceptus alicuius gradus communis non potest destruere gradum inferiorem, in quo gradus superior reperitur. Vel igitur persona in communi significat aliquid relatiuũ, & hoc non, quia destrueret conceptum personæ creatæ, quæ, vt patet, non est rela-

relatiuà, sed absoluta. Vel significat aliquid absolutum; & hoc neque, quia destrueret conceptum Diuinarũ Personarum, quæ sunt relatiuæ; ergo dicendum est, conceptum Personæ, vt abstrahit à creata, & increata, etiam abstrahere ab absoluto, & relatiuo.

Nec obstat argumentum Durandi, quod est huiusmodi: omne quod non habet suum esse ad alterum, absolutũ est; sed quod abstrahit à Persona relatiua, qualis solũ est Diuina, non habet suũ esse ad aliud; ergo talis conceptus personæ eo ipso fit absolutus.

Respódeo enim dupliciter aliquid non habere esse ad aliud: Primò positiuè per differentiam, scilicet positiuã, seù oppositam habitudini ad aliud. Secundò negatiuè, & quasi indifferenter. Primò modo concedo illam maiorem propositionem. At secundò modo nõ concluditur, quod non dicit ordinem ad aliud, illud eo ipso fore aliquid positiuè absolutum; solùm enim sequitur, illud fore indifferens ad absolutum, & respectiuum; sicut si dicas: omne quod non est ens creatum, est increatum; sed conceptus entis, vt sic non est creatum; ergo increatum: Illa maior est falsa, quia potest illud, quod concipitur, vt non creatum, esse indifferens ad creatum, & increatum, qualis est ratio entis, vt sic. Ità similitèr de persona, vt abstrahit à creata, & increata philosophandum videtur.

Secunda Propositio.

Respondeo secundò. Personam Diuinam significare de formali, & in recto relationem, & in obliquo naturam Diuinam. Hæc est sententia D. Tho. & Caiét. in hoc art. quidquid Canariensis hic oppositum doceat. Probatur primò ex ipsa definitione Personæ, in quã vides illam particulam *rationalis naturæ* esse casum obliquum. Secundò omne concretum tàm accidentale, quàm substantiale de formali significat suam formam, & de materiali subiectum; Sicut album de formali significat albedinem, & de materiali corpus; sed persona Diuina est quid concretum ex natura Diuina, & relatione; ergo de formali significabit Personalitatem, quæ est forma Personæ, & de materiali naturam Diuinam, quæ stat loco subiecti; & quæ intelligitur primò vt indifferens, & deindè per personalitates terminatur. Confirmatur hoc argumentum Persona de formali significat personalitatem; sed Diuina personalitas nihil aliud est, quam relatio Diuina, ergo Persona Diuina significat de formali Diuinam relationem.

Tertiò Absoluta in Diuinis nõ plurificantur. Nam quia essentia est absoluta, & omnipotentia est absoluta, non sunt plures essentiæ, aut omnipotentiæ in Diuinis, sed ratio Personæ in Diuinis plurificatur, cum sint tres Personæ; ergo Persona in Diuinis non significat de formali rem absolutam, sed relationẽ secundum rem significatam. Dixi secundum rem significatã, quia ex parte modi significandi, & cõcipiendi, quem nos ex creaturis Deo

attri-

attribuimus, Diuina Persona non significat expresse relationem, vt dicit actuale exercitium referendi vnam personam ad aliam; sed solùm vt dicit formam hypostaticam substantialem; Et hoc est quod docere intendit *D. Th. hic ad 1.* dum ait, *quod hoc nomen Persona dicitur ad se nõ ad alterũ, quia significat relationem non per modum relationis; sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis.* Cum enim nos Diuinas Personas non aliter concipere possimus, quam per quandam similitudinem ad personas creatas; Istæ autem à nobis concipiantur, vt primò in se cõstitutæ, quam in ordine ad aliud: ideò eundem conceptum Diuinis Personis attribuimus, & hinc est quod intelligimus diuinas relationes, vt sunt formæ hypostaticæ, & substantiales, in primò signo rationis Diuinas personas constituere, deindè in alio signo rationis intelligimus, Personam sic relatione constitutam ad aliam referri. Ceterum secundum rem significatam eadem relatio, quæ constituit Diuinam personam, eandem etiam ad aliã refert, & ab alia distinguit. Quare dicimus, Personam Diuinam secundum rem significatam de formali dicere relationem; & de materiali naturam Diuinam: Ex parte autem modi significandi, & concipiendi, Personam Diuinam dicere relationem secundum materiale, nempè secundum quod est forma hypostatica; non autem secundum esse formale relationis, quod est actu respicere; quia vt actu respicit vna Persona aliam, iam supponitur vt Persona constituta, iuxtà modum concipiendi nostrum. Et per has duas distinctiones omnia aduersæ partis argumenta facilè dissipantur.

Occurritur argumentis aduersæ sententiæ.

Ad primum respondetur S. August. solùm velle Personam Diuinam nõ significare relationem expresse sub nomine expresso relationis; sed sub conceptu substantiæ, idest formæ hypostaticæ, vt etiam S.Th. hic ad 1. respõdere videtur; Non negauit tamen D. Augustinus, nequè negare potuit, Diuinam Personã ex parte rei significatæ nõ significare ipsam realem relationẽ.

Ad secundum distinguo Anteced. Relatio vt est forma hypostatica non est personæ, sed naturæ Diuinæ, cum qua Personam constituit: considerata verò sub expresso conceptu relationis, iuxtà modom nostrum concipiendi res Diuinas supponit personam constitutam: & sic ex parte modi significandi, & concipiendi iam diximus, Diuinam Personam solùm materialiter significare relationem, vt relatio est: formaliter verò significare relationem, vt forma hypostatica est,

Ad Tertium nego Maiorem; Nam destructo Sanctissimæ Triadis Mysterio Persona significaret tunc aliquid merè absolotum; sed nunc significat aliquid relatiuum; sed non sub cõceptu expresso relatiui, sed sub concep

tu absoluto, scilicet formæ hypostaticæ, licet quoad rem significatam nomen Diuinæ Personæ totũ sit secundũ esse formale relatiuum vt dictum est.

Ad Quartum respondeo cum S. T. quod substantia nõ ponitur in definitione Personæ, secundum quod significat essentiam, sed secundum quod significat suppositum; quod patet, inquit, ex hoc, quod additur *induidua* hoc est *incommunicabilis*, vt idem explicat *quæst. 29. art. 3. ad 4. & art. 5. ad 3.* Quare sensus clarus Boetij est *Persona est rationalis naturæ induidua substantia*; hoc est *Persona est subsistens incommunicabile naturæ intellectualis*: Vbi vides hic à D. Thoma distingui subsistentiam ab incommunicabilitate; Vnde si subsistentia, & suppositum idem formaliter esset quod incommunicabile, inutiliter addita esset illa particula induidua, quæ secundum omnes incõmunicabilitatem significat. Ex quo roborantur ea, quæ de subsistentia absoluta Disput. 17. dicta sunt.

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate Personarum.

QVæcunque tota hac quæstione docet S. Thom. partim iam à nobis expedita sunt in Prælud. & Disput. 19. & 20. partim spectant ad Metaphysicã, veluti vtrum detur conceptus vniuocus Personæ tribus Diuinis Personis communis, partim ità dilucidè à S. Thoma traduntur, vt labore nostro non egeant.

QVÆSTIO XXXI.

De his, quæ pertinent ad vnitatem, vel pluralitatem in Diuinis.

DISPVTAT. XXIII.

Quam cautè in hoc Sanctissimæ Trinitatis Mysterio sit loquendum, quæ voces adhibendæ, & quæ cauendæ sint.

HÆc Disputatio Verbi Dei Concionatoribus, & sacræ Inquisitionis Consultoribus, quibus approbandorum librorum Prouincia demandatur, fructuosa erit; Nam vt ex D. Hieronymo monet S. Th. *art. 2. in C. ex verbis inordinatè prolatis incurritur Hæresis*; Et ideò cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modestia est agendum; quia teste *August. libro 1 de*

de Trinitate cap 13. *Nullibi periculoſius erratur, quam in hoc Myſterio*; Siquidem in hoc profundo vnitatis, ac Trinitatis pelago vbiquè Scillæ, vbiquè latitant Charybdes; Itaut ſoli Palinuri ideſt perfectiſſimi Theologi abſquè Naufragij diſcrimine in hoc mari tutò valeant nauigare; Teſtes ſunt Hoetus, Sabellius, Trinitarij, Arius, Macedonius, & tot alia ſimilia portenta longa à nobis ſeriè in Præludijs enumerata, quæ in hæc Scholia impigentia à Fide naufragauerunt. Vt igitur alieno exēplo edocti has Scyllas euitetis, ſequentes accipite certas veſtræ nauigationis Tabellas.

Prima Regula.

Cum de Trinitate loquimur, illa ſunt nomina adhibenda, quæ ità Perſonarum diſtinctionem ſignificent, vt naturæ diuerſitatem non ſapiant, vt omnis Ariani erroris prorſus ammoueatur ſuſpicio. Hanc regulam dat S. Th. art. 2. ex qua.

Primò ſequitur omnes iſtas propoſitiones eſſe falſas, vel ſuſpectas; Pater eſt diuiſus, ſeparatus, diſcretus, diſpar, diuerſus, alienus, differens à Filio. Ratio eſt, quia in his omnibus inſinuatur Patrem, & Filium non eandem numero naturam habere; præſertim cum dicitur, Pater differt à Filio; Nam vt rectè docet *S. Thom. art.* 2. *ad* 2. Differētia importat diſtinctionem formæ; eſt autem vnica forma in Diuinis, vt patet *ex ad Philipp.* 2. *Qui cum in forma Dei eſſet*; ideò nomen differentiæ nec propriè competit in Diuinis. Quod idem docuit *S. Ambroſius lib.* 2. *de Fide cap.* 2 vbi ait *Pater, & Filius Deitate vnum ſunt; nec eſt ibi ſubſtantiæ differentia, nec vlla diuerſitas*. Quod ſi apud aliquos probatos Auctores, vt apud *Damaſcenum lib.* 1. *de Fide, cap.* 10. *&* 11 inuenies Diuinas Perſonas inter ſe differre, vel eſſe diuerſas, vel quid ſimile, differentiam, vel diuerſitatem pro ſola reali diſtinctione ſumpſerunt, vt docet *S. Th. art.* 2. *c.*

Secundò ſequitur poſſe quidem dici Filium, & Spir. Sanc. eſſe maſculinè alium à Patre, iuxtà illud *Ioannis* 14. *Et alium Paraclitum dabit vobis*, non tamen poſſe dici in neutro caſu Filium eſſe aliud à Patre, ità *D. Th. hic art.* 2. *in C. &* *ad* 1. *Et S. Aug. lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 11. & omnes patres. Huius autē diuerſitatis rationem reddit *S. Thom. in ſolutione ad* 4. *quia* inquit, *neutrum genus eſt informe; Maſculinum autem eſt formatum, & diſtinctum, ſicut et fœmininum; Et ideò conuenienter per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis, per maſculinum autem, & fœmininum aliquod ſuppoſitum detectum in cōmuni natura. Vnde etiam in rebus humanis ſi quæratur. Quis eſt iſte? Reſpōdetur Sortes quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur. Quod eſt iſte? Reſpondetur Animal rationale, mortale; Et ideò quia in Diuinis diſtinctio eſt ſecundum perſonas, non autem ſecundum eſſentiam, dicimus, quod Pater eſt alius à Filio, ſed nō aliud; & è conuerſo dicimus, quod ſunt*

vnum, iuxtà illud. Ego, & Pater vnum sumus; sed non vnus; Hactenus S. Th.

Secunda Regula.

Omnia illa nomina sunt cauenda, quæ vel Diuinarum Personarum consortium negare videntur, vel confusionem earumdem iuxtà Sabellianum errorem redolere possunt; Ex hac regula sequitur primò, Non posse dici solus Pater spirat, quia excludit consortium Filij spirantis simùl cum Patre. Secundò non posse dici Deum esse solitariũ, vt monet *S. Hyllarius lib. 4. de Trinitate*, quem refert hic S. Th. *& Concil. Tolet. 1. in Confess. Fidei*. Nequè posse dici, Deum esse singularem, quia significaretur, naturam Diuinam esse tribus personis incommunicabilem; Si autem singulare pro Indiuiduo sumeretur, talis propositio posset admitti. Nequè item posse dici, Deum esse vnicum, vt ex *S. Hyllario lib. 7.* docet *S. T.* quia his omnibus vocibus trium Personarum consortiũ tolli videtur, tametsi *Vasquez Disp. 131. cap. 4.* dicat secundum omnem proprietatem sermonis, Deum vnicum dici posse, quod verum est ad Deorum pluralitatem, non personarum numerum excludendum.

Secundò sequitur, quid dicendum sit de hac propositione: Pater est idem cum Filio; Nam si sumatur in neutro casu, potest admitti; quia significat identitatẽ Patris, & Filij in natura: Si in masculino debet negari, quia significat identitatem Patris, & Filij in persona, atquè adeò eas confundit. Idcircò ad tollendam quamcunquè erroris suspicionem, debemus adiungere terminos significantes in neutro casu sumi, vt si dicamus Pater est idem, quod Filius: Vel Pater, & Filius sunt idem ipsum, non idem ipse. Qui modus loquendi extat in quadam cõfessione Fidei, quę in 6. Tom. Bibliothecę SS. Patrum habetur. Si autem talis propositio. Pater est idem cum Filio absolutè proferatur, suspecta auditoribus erit.

Tertiò sequitur. Quid dicendũ sit ad has, & similes propositiones. Pater est solus Deus. Solùm Pater est Deus. Vel solus Deus est pater; vel solus Deus creat, &c. Nam Ariani probabant, solum patrem esse Deum, non filium, & Spir. sanc. adducentes illud *Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solùm Deum, & quẽ misisti Iesum Christum*. Quæ sunt verba Christi ad patrem. Resp. cum *S. Th. hac quæst. 31. art. 4.* Si particula solùm, excludat aliud, idest aliam naturam Diuinam, seù alium Deum, semper esse veram. Si excludat alium idest aliam personam, esse falsam: Et ideò ly solum, *Ioann. 17.* non est aduerbium; sed nomen: nec est coniungendum cum ly te, sed cum ly, Deum; ita ut sensus sit; Vt cognoscant te illum solum, ac verum Deum. Ità *D. Amb. lib. 5 de Fide cap. 2. & D. August. adductus a S. Th art. 4. ad 1.* & hoc modo *Deuter. 32.* ad excludendã Deorum, non personarum pluralitatẽ dicitur, *Videte, quod ego sim solus, &c.* statim subdit, *& non sit alius Deus præter*

ter me. In art. autem 3. docet S. Th. ſi nomē ſolus cathegorematicè ſumatur, ideſt abſolutè, non poſſe tunc addi termino eſſentiali in Diuinis, quia tunc ſignificaret ſolitudinem perſonæ, & ſic ſequeretur, Deum eſſe ſolitarium; Vnde illa propoſitio *Solus Deus creat*, non eſt admittenda ſimpliciter, quia denotatur, Deum creare abſque Diuinarū perſonarum conſortio. Similiter hæc eſt falſa. *pater eſt ſolus Deus*; Nam ſenſus eſt, quod pater eſt Deus, & nulla alia perſona eſt Deus. Ità *D. Th. ar. 3. ad 2. & S. Aug. lib. 6. de Trinit cap. 9* Si verò nomē ſolus ſynchathegorematicè ſumatur, ideſt non vt dicit ſolitudinem, ſed vt ſolùm dicit ordinem prędicati ad ſubiectum, tuncſ ſolus, vel ſolùm poteſt addi termino eſſentiali. Ex quo ſequitur, has eſſe veras, ſolus Deus creat; ſolus Deus eſt omnipotēs, æternus, &c. quia ſenſus eſt, pręter Deum nullam aliam naturā eſſe omnipotentem, vel creatricem. Item hæc eſt vera: ſola ſecunda perſona eſt filius, eſt genitus, &c.

Quarto ſequitur, quid dicendum ſit ad illam quęſtionem; An poſſit dici ſola ſanctiſſima Trinitas eſt Deus; Videtur enim negandum, quia filius eſt Deus; & tamen filius nō eſt Trinitas; quia non eſt pater, nec Spir. ſanc. At oppoſitum eſt dicendum, quia ex regula Logicali dictio excluſiua ſolus, Nemò, & ſimilia, non excludit concomitantiam, quando prædicatum vtriſque cōuenit, & vnum in alio incluſum manet; Cum igitur filius ſit de concomitantibus, & incluſis in Trinitate, talis propoſitio admittenda videtur. Quare ſicut non licèt arguere Syluius ſolus loquitur. Ipſius os non eſt Syluius; ergo Syluius nō loquitur. Ità ſophiſma eſt dicere. Sola ſanctiſſima Trinitas eſt Deus: filius non eſt ſanctiſs. Trinitas ergo filius nō eſt Deus; Vt enim filius ſit Deus, ſufficit, ſi ſit aliqua perſona in Trinitate incluſa, cui tàm perfectè, & adæquatè cōueniat prædicatum Deus; quàm idem toti Trinitati conueniat; ſicut tàm ori, quàm Syluio locutio conuenit; etſi os non ſit adæquatè Syluius rectè tamen dicitur eius os loquitur, & Syluius loquitur.

Quintò ſequitur, poſſe quidem dici: in Deo eſſe Trinitatem, quæ, vt inquit, hic S. *Thom. art.* 1. *ad* 1. ex ſua ęthimologia ſignificat trium vnitatem; ſed tamen non poſſe dici in Deo eſſe triplicitatem proportionis, quæ Diuinis repugnat perſonis, Ità *D. Th. hic art. 1. ad 3.* quod deſumpſit *ex S. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 8. Et ex Concil. Tolet. 11.*

Sextò ſequitur non poſſe dici, Trinitatem eſſe trinam, vt docet idem S. Thom. *art. 1. ad 5.* quia ſecus eſſent tria ſuppoſita Trinitatis, & conſequenter nouem forent in Diuinis perſonæ.

Tertia Regula.

Quando vtimur nominibus adiectiuis, tunc propoſitio vera, vel falſa redditur iuxtà exigentiam nominis ſubſtātiui, cui adiectiuum adiungitur. Per hanc regulam multæ propoſitiones, quas

quas supra falsas esse diximus ad rectũ sensum reduci possunt. Explico exemplis. Hæc propositio; Filius est aliud à Patre; falsa est; si ly aliud sumatur per se, vt habet vim nominis substantiui; sed si sumatur adiectiuè, & dicamus. Filius est aliud suppositũ à Patre, propositio vera erit. At si dicas, Pater est alter, vel alius Creator à Filio, Falsa, est, quia repugnat suo substantiuo, qui est Deus vnus Creator rerum omniũ. Ità si dicas. Pater proprietate personali differt à Filio, vera est; quia tunc prędicatum determinat subiectum: si absolutè dicas. Pater differt à Filio; falsa est; quia est sensus differre in Natura.

QVÆSTIO XXXII.

De Cognitione Diuinarum Personarum.

DISPVT. XXIV.

An lumine naturali Trinitas Personarum cognosci possit.
Sanct. Thom. Art. primo.

PRo parte affirmatiua arguitur primo. Lumine naturali notum est omne, quod dicit perfectionem, Deo esse attribuendum; sed generare dicit perfectionem; ergo Deo est attribuendum. Igitur Deus generat aliam personam à se distinctam, & ità habemus duas Personas, cum Genitor, & Genitus eadē Persona esse nequeant. Ex alia parte cognoscitur lumine naturæ Deum esse naturæ intellectualis; In Natura autem intellectuali duæ emanationes reperiuntur, vna per intellectum, & sic habemus Verbum; altera per voluntatem, & sic habemus S. S.

Secundò, Bonum est natura sua cōmunicatiuum; ergo infinitum bonum, qualis est Deus, infinita bonitate se communicabit; sed non potest alia ratione se infinitè, & adæquatè communicare, nisi generando aliam Personam æquè infinitam; ergo ex natura boni naturaliter cognoscimus esse in Diuinis pluralitatem personarum.

Tertiò, Nullius boni sine consortio potest esse iucunda possessio; sed Deus est fœlicissimus, & iucundissimus; ergo in Diuinis debet concedi personarum consortium. Neque dicas sufficere Deo consortium Angelorum, & Animarum Sanctarum; Nam vt docet *S. Th. quæst. 31. art. 3. ad 2.* Licèt Angeli, & Animæ sanctæ semper sint cum Deo; tamèn si non esset pluralitas personarum in Diuinis, sequeretur, quod Deus esset solus, vel so-

solitarius; non enim tollitur solitudo per associationem alterius, quod sit extraneæ naturæ; dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamuis ibi sint plantæ multæ, & Animalia: similiter Deus diceretur esse solus, vel solitarius, Angelis, & hominib. cum eo existentib. si non essent in Diuinis plures personæ.

Quartò, Hoc principium est luminæ naturæ notum. Quicunquè intelligit, eo ipso quod intelligit, format Verbum, vt etiam docuit *S. Thomas 1. par. quæst. 27. art. 1.* sed naturalitèr scimus Deum intelligere, & velle, ergo naturalitèr scimus, Deum producere Verbum, & amorem; sed tale productum non potest esse accidens; ergo substantias, nec potest esse substantia diuersæ naturæ, quia hæc duo dicerent in Deo imperfectionem; ergo eiusdem naturę. Cumquè inter producens, & productũ necessariò realis distinctio intercedat; sequitur naturalitèr cognosci posse dari in Diuinis amorem productum, Verbum genitum, & aliam personam, quę sit harum principium, nempè Patrem.

Quintò, Qui clarè intuetur Imaginem, in ea etiam videt rem, quam ipsa repræsentat, sed Angelus clarè intuetur animam rationalem, quæ est imago Trinitatis, necnon intuetur omnes alias creaturas, quæ sunt eiusdem sanctiss. Trinitatis vestigium; ergo Angelus per cognitionem compræhensiuam naturalem, quam habet de Anima rationali, & de alijs creaturis poterit naturaliter Trinitatẽ cognitione assequi.

Sextò, Plures Philosophi, & Sybillæ in Præludijs relatę cognouerunt Trinitatem, sed Philosophi non habebant fidem; ergo solo lumine naturali tale Arcanum cognouere.

Prima Propositio.

Respondeo primò nullum creatum aut creabilem intellectum tàm humanum, quàm Angelicum, semota Dei reuelatione, per solũ naturæ lumẽ posse euidenter cognoscere, imò nec opinari in eadem natura Diuina tres Personas realiter distinctas reperiri. Ità *D. Thom. art. 1.* Et omnes Theologi. Probatur primò ex scrip. *Ioann. 1. Deum nemò vidit vnquam*, scilicèt vt vnum in essentia, & trinum in Personis; Nam Deum vt vnum etiam antiqui Philosophi videre, & subditur *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit vobis.* Matt. 11. *Nemò nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Mat. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed pater meus, qui in Cælis est.* Hoc est per nostræ naturæ humanæ vires, quæ per carnem, & sanguinem significantur citra Patris reuelationem non poteras mente assequi, me esse Filium Dei.

Secundò probatur ex SS. Patribus; Nam *S. Hylarius lib. 1. de Trinit.* ait *Non putet homo sua intelligentia generationis sacramentum posse consequi.* & Ambros. li. 1. de Fide ad Gratia c. 5. inquit, *Impossibile est generationis scire secretũ, mens deficit, vox silet, &c.* S. Cypr. serm.

serm. de Baptismo sic fatur, *sola sibi nota est Trinitas, & solus pater scit filium; patremquè nouit filius, nec à quocumquè nisi eo reuelante est cognitus. In hac Diuini mysterij schola pater est, qui docet, & instruit, filius, qui arcana Dei nobis reuelat, & aperit; spir. sanc. qui nos replet, & imbuit*. Porrò etsi adducta Scripturæ, & Patrum testimonia de Angelis, & de quocumquè creato intellectu non tàm clarè loquantur, sed de solis hominibus sermonem habeant. Nihilominus idem *s. Amb. lib. 4. de Fide cap. 1.* in principio etiam Angelos à naturali sanctiss. Triadis cognitione excludit ijs verbis. *Quid mirum si mysterium Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, per sapientiā mundi non potuerunt homines cōprehendere, quod nec Angeli cognoscere sine reuelatione potuerunt*.

Tertiò probatur ratione demonstratiua. Quælibet cognitio, quam de Deo naturaliter homo, vel Angelus habere potest, ortum habet ex Creaturis, sed Creaturæ sunt effectus Dei, vt vnus est, non vt trinus. Siquidem Creaturæ manant ab omnipotentia Dei, quæ est attributum essentiale. Vnde opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa; teste *August. lib. 5. de Trinit. cap. 14.* vbi inquit, *Nam ad Creaturam pater, filius, & spiritus sanctus vnum principium, sicut vnus Creator, & vnus Dominus est*; igitur ex Creaturis impossibile est posse quem deuenire in opinatiuam, nedū in clarā sanctiss. Trinitatis cognitionē.

Confirmatur si per impossibile Deus non esset Trinus, sed vnum suppositum, & persona, adhùc intelligeremus Deum æque esse Creaturarum omnium efficiens principium ratione suæ omnipotentiæ, ac de facto sit, ergo nulla Creatura potest nos deducere in triū personarum notitiam.

Confirmatur Secundò. Quis enim satis intelligere valebit, quomodo Sp. sanc. processio non sit vera generatio? Quomodo Pater Filio suo essentiam totam, sed non paternitatem communicet, cum essentia, & paternitas eādem habeant realitatem? Quomodo item Filius alium Filium, & Spir. sanc. aliū spiritum sanctū procreare nequeant? Quomodo essentia cum sit idem cum Patre, & Filio; attamen Pater, & Filius non sint inter se idem contra illud. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; Quod axioma cum in omnibus Creaturis verificetur, cur semota reuelatione, in Deo deficere aliquis affirmare posset? Deniquè quis sapiens, & intelliget, Quomodo vna, & eadem natura non vnitate generica, aut specifica; sed eadem numero in tribus Personis realiter inter se distinctis reperiatur? valdè nāq; diuersa hæc duo sunt, Vnū, & Tria, Tria, & Vnum.

Confirmatur Tertio. Nam omnia exempla, & similitudines, quæ ad hoc mysterium declarandum adduci possunt, infirma esse ad gignendum assensum nō solùm euidentem, sed neque opinatiuum, satis in Præludijs demonstratum fuit.

Ex

Ex his deducitur futile esse quoddam demonstrationis genus à Raymundo adductum, ac adinuentum, quod per æquiparantiam, vel per æqualia vocabat; quo mysterium istud tàm euidenter demonstrari opinabatur, vt Fides eiusdem prorsus tolleretur; qua de re legendus est Vasq. disp. 133. & Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 11.

Secunda Propositio.

Respondeo Secundò hoc mysteriũ neq; posse per lumẽ naturale cognosci, vt euidenter impossibile, nec vt euidẽter possibile: Ratio est, quia verum nõ repugnat verò; Nec Fides destruit lumen naturale; nec gratia naturam tollit, sed perficit. Sed Fides docet, hoc mysterium non esse impossibile; ergo nec lumen naturale potest euidenter cognoscere illud repugnare. Dixi euidẽter, quia semota Dei reuelatione fateor, quemcunquè intellectum sola naturæ facultate tali proposito mysterio statim opinaturum illud repugnare, sed reipsa deciperetur. Legenda sunt, quę diximus de Incarnatione Disp. 3.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertiò, Supposita Diuina reuelatione, quàm de hoc mysterio habemus, multas adduci posse congruentes rationes, quibus arcanũ istud suadeatur. Ità *D. Th. art. 1. ad 2.* Hanc conclusionem probant argumenta prò parte affirmatiua adducta, & exempla in Præludijs allegata, quę supposita reuelatione talis mysterij suadent, illud esse Diuinæ naturæ congruum; sed tamen nullo modo cogunt, aut illud conuincunt.

Diluuntur opposita rationes.

Ad primum distinguo Maiorem; Omne quod dicit perfectionẽ sine imperfectione esse Deo attribuendum: cõcedo: At si dicat perfectionem cum imperfectionibus, illud nego Deo attribuendum esse. Porrò generare dicit in Creaturis perfectionem multis admixtam imperfectionibus nempè cum seminis effusione, & naturę multiplicitate; Et ideò Philosophus Etnicus solo lumine naturali ductus hæc omnia mente reuoluens, perspiciens etiam in Angelis, & Cælis generationem deficere, consequenter putaret repugnare, Deum alium Deum generare, ne Deorum pluralitatem constitueret, cũ solo lumine naturali sciret Deum vnũ solum esse.

Ad Secundum respondetur cum S. Thom. *art. 1. ad 2. Bonitatem infinitã Dei sufficienter manifestari in productione Creaturæ, quia infinita virtutis est ex nihilo producere; Non enim oportet si infinita bonitate se cõmunicet quod aliquid infinitum à Deo procedat, sed secundum modum suum recipiat Diuinam bonitatẽ.* Hactenus S. Th.

Ad tertiũ respondetur cum eodem *S. Thom. art. 1. ad 2.* illam maximam *sine consortio non potest esse iucunda possess-*

fessio alicuius boni locum habere, quando in vna persona non inuenitur perfecta bonitas; Vnde indiget ad plenam iucunditatis bonitatem bono alicuius consociari sibi. Hæc S. Thom.

Ad Quartũ responderi potest primò maiorem verificari, quando quis produceret Verbum ex indigentia intelligendi, vt fere semper fit in Creaturis; at cum Deus non egeat verbo ad intelligendum, vt supra dictum est; proinde lumine naturæ, notum non est Deũ producere Verbum. Respondeo Secundò cognoscit Etnicus Philosophus Deum formare Verbum, sed illud non esse distinctum realiter, sed idem cum intelligente, quia tale verbum non esset per realem emanationem, sed esset Verbum essentiale, solum virtualiter emanans ab intellectu, vt dicitur de alijs attributis essentialibus; Et sic non sequitur ex Diuina Intellectione naturaliter cognosci posse, plures dari in Diuinis Personas realiter distinctas, & in eadem natura subsistentes.

Ad Quintum Respõdeo Maiorem esse veram, quando illa imago esset vniuoca, & eiusdem Ordinis cum repræsentata: at Anima rationalis est imago Trinitatis admodum deficiens, remota, & imperfecta, quæ solùm in hoc consistit, quod homo est liberi arbitrij, sicut est Deus, & intelligit; & vult, sicut Deus; Verum intelligere, & velle in homine fiunt ex indigentia intelligendi, sunt operationes accidentales, quæ recipiuntur in verò subiecto physico, quæ tria prorsus Deo repugnant. Ità fere respondet *S. Thom. hic art. 1. ad 2.*

Ad Sextum, & vltimum respondeo cum *D. Th. 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3.* Sybillas Trinitatis Mysterium cognouisse ex prophetica reuelatione, quæ in præmium suæ Virginitatis teste *D. Hieron. lib. 1. contra Iouinian.* fuit illis concessa. Philosophi autem vel solũ cognouerunt quædam essentialia attributa tribus Personis appropriata, vt potentiã, quæ appropriatur Patri, Sapientiam Filio, & bonitatem Spiritui sancto, ex *S. Th. art. 1. ad 1.* Vel si cognouerunt Trinitatem per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, & Processio, non naturæ lumine hæc cognouerunt; sed vel sacrorum librorum lectione; vel Hæbreorum, cum quibus versabãtur, traditione, quæ ab Adamo ad Filios, & Nepotes, & per hos ad successores descendit, vt Præludio 8. dictum fuit.

DISPVT. XXV.

Num viatori concedi possit notitia Trinitatis euidens in attestante.

CVm ex Creaturis nec homo, nec Angelus in sanctissimæ Triadis cognitionem peruenire possit, vt dictum est, sequitur hanc notitiam sola Diuina reuelatione haberi posse; Hanc autem reuelationem hominibus habitam fuisse tàm in veteri, quam in nouo testamento, pluribus sacræ Paginæ testimonijs in præludijs demonstra-

ſtratum fuit. Ceterum cum tanti arcani reuelatio nobis ſit ineuidens, & obſcura, ideò hic quærimus. An ſaltē euidentia in atteſtāte poſſit viatori fieri euidens. Ad cuius rei intelligentiam ſciendum eſt duplicem eſſe euidentiā. Prior dicitur euidentia rei, & obiecti; Secunda euidentia in atteſtante; tunc habetur euidentia obiecti, cum per intrinſeca media, ſiuè per cauſas, ſiuè per effectus neceſſarios res illa clarè penetratur. Tunc habetur euidentia alicuius rei in atteſtante, quando licèt res illa per extrinſeca media, nempè propter ſolam dicentis auctoritatē cognoſcatur, tamen teſtimonium dicentis euidenter cognoſco, vel quia illud proprijs auribus excepi, vel quia alia via euidenti certiſſimè conſtat tùm de exiſtentia reuelationis, tùm de illius veritate, & in hoc ſenſu aſſerimus non ſolum de poſſibili, ſed etiam de facto myſterium Trinitatis non quo ad quid ſit, ſed quo ad an ſit fuiſſe euidens euidentia in atteſtāte, pluribus viatorib. S. Eccleſiæ Procerib. Adamo, Angelis, Prophetis, Apoſtolis, & Euangeliſtis; ità *S. Thomas 2. 2. quæſt. 171. ar. 5.* & ibidem pulchrè, & latè Caiet. verſ. *Ad obiectionem*, & verſ. *ad obiecta*, & verſ. *ex eodem articulo*, *Abulenſ. in cap. 4. Mat. q. 120. & 122. Palatius in 2. diſ. 23. quæſt. 2. Richardus eadem diſt. art. 2. quæſt. 1. & 2. Alexander Peſantius 2. 2. quæſt. 1. art. 5. Zumel. 1. par. q. 32. ar. 1. verſ. ad ſecundam inſtantiam Ioannes de Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 6. ſec. 7. num. 28. in fine*, *Franciſcus Suarez* loquens de ſciētia Chriſti *3. p. diſp. 27. ſec. 2.* verſ. ſecundus modus, & *in tract. de Fide diſp. 8. ſec. 4. num. 6. et diſp. 5. ſec. 3. num. 15.* Quare ab hac communi Theologorum ſententia minus rectè receſſit *Lud. Molina 1. p. diſp. 4. Proemiali*.

Ad euidentiā huius aſſertionis duo obſeruanda ſunt. Primum Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas ea, quæ exterius anūtiabant, vel ſcribebant, intus quantum ad literalem, & ſæpe etiā ad miſticum ſenſum penetraſſe. Vnde valde errauit Montanus, qui temerè aſſerebat, Prophetas in ſuis reuelationibus, ità Diuinitus raptos; vt neque intelligerent, quæ illis à Deo reuelabantur, neque de reuelatis iudicium ferre poſſent; ſed quas reuelationes populis prædicabant, aut ſcriptis mandabant, non intelligerent, quæ dicebant, aut ſcribebānt, ſed more amentium à Diuino ſpiritu ad ità ſcribendum, aut loquendum impellebantur.

Huius erroris meminere *D. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & in Prologo ad Nahum Prophetam, Ephiſanius hereſi* 48. eundem errorē Phrigijs attribuit *Athanaſ. ſermone 4. contra Arrianos* agens de raptu Pauli, & in eodem errore fuiſſe Tertulianū referunt *D. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. & Nicephorus lib. 4. de Hiſtoria cap. 22. & 24.* Et ideò hoc deliramentum refellit *Sanct. Thomas quæſt. 12. de verit. art. 9. ad 3. 2. p. & 2. 2. q. 173. ar. 8. ad 4.*

Secundò ſciendum eſt in qualibet

Diuina reuelatione tres actus habuisse singulos Prophetas. Primus erat apprehensiuus obiecti reuelati, siuè per receptionem nouæ imaginis supernaturalis, siuè per alterationem specierum iam acquisitarum, & vtroquè modo dicebatur Deus illis loqui, quatenus illæ species erant quasi quędam voces, quibus Deus occulta arcana illis intus propalabat. Secundus actus erat iudicatiuus, quo intellectus Prophetæ lumine supernaturali illustratus cognoscebat Deum esse, qui illis loquebatur, siuè immediatè, siuè per Angelorum ministerium, penetrando naturam huius Diuinę locutionis factę per species prędictas, quam euidenter cognoscebant esse supernaturalem, & consequenter cognoscebant Deum esse, qui illis loquebatur, quamuis ipse Deus in se ipso non videretur; sicut cum amicus audit vocem alterius amici, cuius aspectu non fruitur, iudicat illam esse amici loquelam, licèt eiusdem vultum minimè cernat.

Tertius actus erat saltem implicitè discursiuus, quo intellectus Prophetæ certus fiebat de veritate Diuinæ reuelationis, hunc in modum ratiocinando: Deus nec fallere, nec falli potest, quod principium lumine naturali, & Fidei erat illis per se notũ, sed Deus est, qui loquitur mihi, neq. in hoc decipere quia penetro hanc locutioné esse supernaturalem, nec ab alio, quã à Deo effici posse, ergo res ista reuelata certissima erit, & in hoc nec falli, nec fallere possũ. His prænotatis probatur assertio, tũ ex testimonio Apostoli *1. ad Thimotheum. 4. Spiritus manifestè dicit* Hier. *26. in veritate misit me Dominus ad vos, vt loquerer ad aures vestras omnia verba. hac* in veritate id est certissimè, manifestè, id est clarè Prophetæ sciunt Spiritum sanctum illis loqui: Quo ignoto non potuissent esse certi de veritate Diuinæ reuelationis, sed suspicari semper potuissent, illam à Dęmone immissam, vel potius propria esse somnia, atquè ità Fides nostra omnimodè fluctuaret. Dicendum ergo Prophetas habuisse Articulorum Fidei euidentiam in attestante. Quod etiam inde magis confirmatur ex eo, quod, tàm Adamus in statų innocentiæ, quàm Angeli, dum erant in via, habuerunt notitiam Incarnationis, & sanctissimæ Triadis, sine qua notitia salutem consequi non poterant, sed hanc notitiam non habuerunt via disciplinæ, sicut eam nos habemus, ergo habuerunt eam cum euidentia in attestante, agnoscentes euidẽter huiusmodi mysteria fuisse illis à Deo reuelata, non à Dæmone accepta: idem ergo dicendum de Prophetis, & Euangelistis, quoties de hoc, vel alio nostræ Fidei mysterio intus illuminabantur.

Nequè proindè Fidem amittebant, quia Fidei repugnat clara, & euidens notitia rei reuelatæ, & testificatæ, non verò ipsius reuelationis, & testificationis.

Postremò quod Prophetæ certi essent de Diuina reuelatione argumentũ efficax sumi potest ex eo, quod Abraham admonitus prophetica visione filium

lium suum vnicè dilectum Deo immolandum obtulerit proprijs manib. occisurus, quod nullatenus fecisset inquit *D. Thomas. d. quæst. 171. art. 5. in C.* si de Diuina reuelatione omnimodam certitudinem non habuisset.

DISPVT. XXVI.

Num viatori concedi à Deo possit cognitio clara, & euidens Trinitatis extra visionem beatam.

PArtem negantem tradiderunt *Zumel 1. p. quæst. 32. art. 1. Molina 1. p. quæst. 1. Proemiali ad ar. 2. S. Thomæ. Suarez de Incarnat. disp. 26. & lib. 1. de Trinit. cap. 12. Gabriel Vasquez disp. 135. in 1. partem. Theodorus Forestus Ordinis Capuccinorũ tract. de Trinit. disp. 1. cap. 2. vers. Dico 2.* Fundamentũ est, quia cognitio euidens, & clara Diuinæ essentiæ, & triũ personarum reddit videntem statim Beatum, igitur repugnantia est, dari cognitionem euidentem Trinitatis extra visionem beatam. Siquidem illa cognitio erit clara, & intuitiua Trinitatis; sed hæc est visio beata, ergo &c. Confirmatur cognitio intuitiua est de re existente, & præsente, abstractiua est de re, vel non existente, vt cum cognoscitur Rosa in Hyeme, vel de existente, sed minimè cognitioni præsente; sed impossibile est attingi Deum trinum euidẽtia rei, quin cognoscatur existens & præsens, cum Deus non possit abstrahere ab existentia ergo talis cognitio erit intuitiua, consequenter erit visio beata.

Cognitio intuitiua ab abstractiua quomodo differat.

Pro resolutione huius difficultatis obseruandũ est Primò, cognitionẽ clarã, euidẽtẽ, & quidditatiuã duplicem esse, intuitiuam, quæ etiã dici solet visionis, & abstractiuam, quam etiam simplicis intelligentiæ vocant, intuitiua est perspicua, & clara appræhẽsio obiecti existentis, præsentis, & per propiam speciem cogniti: vno horum trium deficiente, cognitio desinet esse intuitiua, & degenerat in abstractiuam, quæ est de obiecto, vel non existente, sed possibili, vel non præsenti, vel cognito per alienas species, vt cum cognoscitur causa per effectus, & Deus per Creaturas. Quæ quidem cognitio licèt sit clara, & euidens de Deo existente, & præsente, non est tamen intuitiua, nec apta beare humanum intellectum, quia per eam, non cognoscitur Deus per propriã speciem, & eo modo, quo in seipso est cognoscibilis, sed solũ quatenus in Creaturis relucet.

Anima Christi an per scientiam infusam distinctè cognouerit Mysterium Trinitatis.

Secundò obseruandum est, nullam esse repugnantiam, cur Deus concedere nequeat viatori cognitionẽ euidentem, & intuitiuam illorum nostræ Fi-

dei

rebatur in tres Diuinas personas, vt obiectum illius actus.

Ceterum hæc explicatio nō satis arridet. Siquidem actus Fidei obscurè solùm fertur in hoc arcanum, ergo pariter non potest nisi obscurè deducere Animam Christi in cognitionem eiusdem sanctissimæ Triadis. Sed quælibet cognitio obscura, & ineuidens, ità repugnat Animæ Christi, quæ clarè videbat Deum, vt in se est, sicut eidem omnis actus, vel habitus Fidei aduersatur, ergo hæc notitia ineuidens non potuit esse in Christo, vel saltem ad hanc scientiam infusam clarissimam pertinere non poterat.

Secundus modus explicandi hanc difficultatem est aliorum Theologorū, qui nō ineptè tradiderunt, omnia dona supernaturalia, Fidem, Spem, Charitatem, & ceteras virtutes, secundum propriam naturam, & conditionem illud includere, vt nos deducant ad Deum, vt trinus est, conformando nos, & configurando tribus Diuinis personis. Nam licèt ista dona effectiuè sint à Deo, vt vnus est, tamèn terminatiuè, & finaliter diriguntur ad Deum, vt trinus est, qui est finis Creaturę rationalis. Quare sicut Angelus ex Creaturis ducitur in claram Dei cognitionem naturalem, quatenus relucet in Creaturis, ità Anima Christi, & quilibet alius viator per species infusas hæc supernaturalia dona euidēter cognoscens, manuducitur in euidentem, & claram Diuinarum personarum notitiam extrà visionem beatam. Hic dicendi modus nō solùm probabilis, sed valdè plausibilis mihi videtur. Nihilominus subijciā hic tertiam viam multò ceteris veriorem.

Tertius modus soluendi hanc difficultatem ceteris probabilior est, si non omnia supernaturalia dona poterant esse medium ad euidentem huius arcani notitiam inducendam, saltem visionem beatificam, & vnionem hypostaticam, quæ ab Anima Christi clarissimè fuisse cognita iam demonstratum est, hunc effectum optimo iure, & summa facilitate præstare potuisse. Siquidem visio beatifica, vel est expressa triū Diuinarum personarum imago, si beati Verbum creatum formant, vel est vitalis tendentia in Deum trinum, ergo vtroque modo poterit esse medium manuducens in cognitionem sanctissimæ Trinit. quæ suo modo ità relucet in illa visione beata, sicut Deitas relucet in Creaturis: idem argumentum fit de vnione hypostatica, quam clarè, & intuitiuè cognoscebat Anima Christi, sed impossibile est cognosci clarè vnionem duorum extremorum, nisi simul quidditatiuè extrema, quorum vnum erat Diuinum Verbum, cognoscantur, ergo &c.

Nec satisfacit responsio Suarez opinantis ex cognitione clara vnionis hypostaticæ Animam Christi sola cognitione confusa cognouisse, fuisse in Deo subsistentiam aptam terminare illam vnionem, non verò per eam, vt mediū prius cognitū, & distinctū, Diuini Verbi notitiā habere potuisse. Non inquā satis-

satisfacit. Siquidem vnio hypostatica non respicit subsistentiam Diuinam cō fusa quadam ratione, sed respicit hanc numero personalitatem Filij Dei relatiuam, & illi propriam, cuius est nexus, habitudo, & vinculum, ergo qui clarè intuetur, & penetrat naturā talis vnionis, simul & necessariò penetrabit personā filij Dei, ad quam se tota ordinatur, sicut si materia aliqua ordinaretur ad vnicam formam, verbi gr. cœlestem, si est distinctæ speciei à nostra, certè visa illa materia clarè, & distinctè, necesse est simul formam illam, ad quam solam ordinabatur, clarè, & distinctè cognosci, cum correlatiua sint simul natura, & cognitione.

Quod si semel concedatur, vt argumenta facta conuincere videntur, ex notitia vnionis hypostaticę clara, acquisitā fuisse clarā pariter Diuini Verbi cognitionem, cōsequitur statim cognitū fuisse etiam Æternum Patrem, iuxtà illud *Qui videt me, videt & Patrem meū*; & quia non potest stare processio per intellectū sine processione per voluntatem, quæ eandem habet fœcunditatē, modo euidenti quodam discursu saltem virtuali etiam ad Spiritus sancti cognitionem distinctè peruenit, ad quam etiam quilibet alius viator de absoluta Dei potentia modo dicto pertingere poterit.

Reliquum est, vt explicemus, qua ratione ista clara Sanctissimæ Triadis notitia differat à visione beata. Quintuplex autem discrimen intercedit. Primo visio beata nō est discursiua, sed intuitiua Diuinarum personarum apprehensio. Ista verò notitia procedit ex notis ad ignota. Secundò visio beata est de Deo trino cognito per propriam speciem, vt est in se ipso cognoscibilis. Ista notitia habetur per species alienas rerum creatarum, & finitarum, nempè visionis beatæ, & hypostaticæ vnionis, & ideò hæc cognitio non potest dici intuitiua, nec apta beare videntem. Tertiò visio beatifica tantūmodo beat intellectū, quem informat, nō verò beare potest intellectū, qui illā, vt obiectū quod extrīsecè intuetur. Quarto obiectū primariū visionis beatificę est Deus Trinus, secundarium sunt Creaturę, sed obiectum huius notitiæ in casu nostra primarium forent vnio hypostatico, & visio beata, quę sunt obiecta creata, & finita, secundarium esset Deus trinus per illa cognitus. Quintò visio beata regulatur à lumine gloriæ, ista scientia à lumine diuerso supernaturali, vt dicemus, ergo talis cognitio tametsi clara, & euidens de tribus Diuinis personis à visione beata quintuplici via discriminatur.

Et per hęc, omnibus, & singulis argumentis aduersæ partis, cumulatissimè, ni mea me fallit opinio, satisfactum videtur.

Lumen scientia infusa Anima Christi num fuerit distinctum à lumine gloria.

Ex his primò deducitur quid dicendum sit ad illam quæstionem, Num lumen, quo regulabatur scientia infusa

sa Animæ Christi, fuerit distinctum à lumine Gloriæ, quo regulabatur visio eiusdem beata. Resolutio huius quæstionis ad rem nostram valde spectat. Nam si sint lumina diuersa, habebimus quintum discrimen supra tactum inter hanc claram notitiam Trinitatis, & visionem beatam. In hac igitur cõtrouersia *Franciscus Suarez disp. 29 sec. 4. eiusdem tractatus de Incarnatione* sustinet lumen gloriæ fuisse regulam tùm scientiæ infusæ, tùm visionis beatæ in Anima Christi, cuius sententia mihi non probatur, tùm quia lumine glorię videtur Diuina essentia intuitiuè, sed per lumen scientiæ infusæ non videtur Diuina essentia intuitiuè, vt clarum est, & tradit *Sanctus Thomas 3. p. quæst. 11. art. 1.* ergo ista sunt lumina diuersa, tùm quia lumen glorię non est essentialiter ordinatum ad manifestandum aliquot creatum, vt obiectum primariũ, quod solummodo est Deus, in quo cognito cognoscuntur à Beatis Creaturę, sed lumen scientiæ infusæ animæ Christi natura sua ordinatur ad manifestandas res creatas naturales, & supernaturales, vt obiecta primaria, ergo lumen scientiæ infusæ non est confundendum cum lumine gloriæ, secus non darentur in eadem Anima, & intellectu Christi duæ scientiæ realiter diuersæ secundum duplicem eiusdem statũ, quia vt compræhensor habebat scientiam beatam, vt viator loco Fidei sciẽtiam infusam. Etenim si lumen glorię pertinet ad scientiã infusam, ergo Christus vt viator habuit lumen proprium Beatorum, ergo Christus vt viator fuisset compræhensor, quod apertam contradictionem inuoluit.

Neque obstat fundamentum, quo nixus Suarez in aduersam abijt sententiam, nempè per ipsum lumen gloriæ Animam Christi clarè attigisse naturã eiusdem luminis gloriæ, & alia mysteria supernaturalia, consequenter non videntur distinguendum ista duo lumina. Nam huic argumento facilè occurrimus verum discrimen supra tactũ assignantes. Siquidem per lumen gloriæ attingitur ipsa natura huius luminis quasi reflexè, vel vt obiecta secundaria relucentia in obiecto primario, scilicet Diuina essentia. At scientia infusa Animæ Christi fertur in lumen gloriæ visionem beatam, & alia mysteria supernaturalia directè, & per se, vt obiecta talis notitiæ primaria. Modus autem attingendi eadem obiecta diuersus diuersitatem constituit luminum, & scientiarum.

Lumen scientiæ infusę Animæ Christi An sit distinctum à speciebus infusis.

Hinc secundò deducitur scientiã infusam Animæ Christi non fuisse solam specierum supernaturalium eidem infusarum collectionem, veluti minus rectè tradiderunt *Gregorius de Valentia de Incarnat. quæst. 12. puncto primo, & Gabriel Vasquez disput. 54. eiusdem tract.* Sed præter totam specierum collectionem assignandum esse proprium, & distinctum lumen. Quam sententiam

 adeò

adeò certam, & germanam in Scola D. Thomæ mihi persuadeo, vt non possim non satis illos mirari, qui dicunt oppositam sententiam in doctrinâ D. Thomæ non leue habere fundamentũ. Siquidem *in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. ad secundam quæstionem* ait ad cognitionem intellectiuam tria requiri, potẽtiam intellectus, lumen quo intelligat, & similitudinẽ rei, per quam cognitio determinatur, *& in vers.* Ad quartam quæstionem inquit vno habitu omnia cognouit, quæ spectant ad hanc scientiam quamuis diuersis speciebus, *& 1. par. quæst. 12. art. 1. & 2.* docet præter lumen gloriæ diuinam essentiam fungi vice speciei intelligibilis, *& 3. p. quæst. 11. art. 6. ad 3.* distinguit inter lumen scientiæ infusæ animæ Christi, & species infusas, *& 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 3. & 173. art. 2.* tradit præter species infundi à Deo prophetantibus intellectuale lumen: igitur D. Thomas præter totam specierum collectionem lumen distinctum constituit. consentiunt eidem traditioni *Caietanus 1. p. d. quæst. 12. ar. 6. in solut. ad 3.* & ibidem *Medina, Aluarez, Suarez disput. 29. sect. 2.*

Nec minus efficacibus rationibus, quam Doctorum auctoritate ista sententia suadetur. Primo ex eo, quod sicut in visione corporali præter imagines colorum intentionales, necessarium est lumen corporale, sine quo coloratum non videtur, & sicut præter species ab intellectu acquisitas, necessarium est lumen Fidei ad assentiendum reuelatis, & sicut in visione beata ponitur lumen gloriæ, & species intelligibilis Diuinã essentiam clarè repræsentans, vel ipsa Diuina essentia munus speciei supplet; & sicut in scientijs naturalibus dantur habitus acquisiti, qui à tota specierum intelligibilium collectione distinguuntur, ità similiter in scientia infusa Animæ Christi dicendum videtur, vt præter species supernaturales infusas, lumẽ eisdem proportionatum, & sibi propriũ à lumine naturæ, Fidei, & Gloriæ omninò distinctum necessariò includat.

Quod etiam ratione à priori hunc in modum comprobatur. Cuicunquè rationi formali existenti in actu debet respondere similis ratio existens in suo principio effectiuo, vel proprium principium effectiuum, iuxtà illud commune axioma, Nihil est in effectu, quod non præcesserit in causa, quia omne quod habet effectus, id totum habet à sua causa.

At hæc ratio formalis considerabilis in actu scientiæ infusæ Animæ Christi triplex esse potest. Primò enim habet, quod sit intellectio, & hoc obtinet ab intellectu. Secundò quod sit intellectio supernaturalis, & hoc obtinet à lumine supernaturali, quia naturale est omninò eidem improportionatum. Tertiò habet, quod sit talis, vel talis obiecti repræsentatiua, & ad hoc munus datur species intelligibilis.

Neque quis minus cautè sibi cum Gabriele Vasquez persuadeat, intellectionem posse accipere esse supernaturale à speciebus supernaturalib. Siquidem

dem munus specierum est vnire potentiam cum suo obiecto, & illud intellectui offerre, & repræsentare, non autẽ munus est specierum eleuare potentiã ad esse supernaturale. Debet enim potentia per prius fieri proportionata obiecto, antequam intelligamus eam habere aptitudinem proximam ad considerandum, & ad vitaliter exprimendum obiectum. Vnde *S. Thomas quæst. 16. de malo art. 12.* rectè scriptum reliquit species ad appræhensionem, lumẽ ad iudicium pertinere; & per hæc, fundamenta Gabrielis Vasquez conuulsa me iudice manent.

In Angelis Num detur species congenita clarè repræsentans Diuinam essentiã.

Tertiò deducitur quid dicendum sit ad illam quæstionem, Num in Angelico intellectu detur species connaturalis repræsentans distinctè Diuinam essentiã cognitione clara quidem, & abstractiua, non tamen intuitiua, in qua quæstione *Scotus in 3. dis. 3. q. 9.* vers. *Hæc distinct. &* vers. *Dico igitur ad quæst.* tenet affirmatiuam, quem acritèr refellit *Franciscus Suarez tom. 2. Metaph. disput. 30. sect. 11. à numer. 21. ad 27* ex duobus principijs. Primò quod impossibile sit distinguere cognitionẽ distinctam Diuinæ essentiæ abstractiuam ab intuitiua. Secundò quòd concessa abstractiua etiam concedenda videatur naturaliter cognitio Dei intuitiua, quæ repugnat. Primum, in quo est difficultas probat, quia cognitione distincta Dei necessariò cognoscitur eius immensitas, & æternitas, igitur cognoscitur Deus vt præsens, & sic intuitiuè. Tantò magis, quia Deus non potest abstrahi ab actuali existẽtia, quia esse est de essentia Dei, igitur hæc cognitio, quam ponit Scotus naturaliter inditã à Deo in Angelis, non præscindit ab existentia Dei, consequenter erit intuitiua facialis, & beata, quæ cuilibet Creaturę naturaliter repugnat.

Ego verò repugnantiam istius speciei planè non video, an verò de facto sit in Angelis collocanda, non satis mihi constat. Quod enim inquit Scotus *rationabile esse tribuere Angelis omnem perfectionem, quæ conuenit intellectui creato*, id nullo modo à nobis probatur. Posset enim Deus alios Angelos perfectiores, & perfectiores in infinitũ producere, quibus posset concreare speciem sui ipsius, consequenter opus non est illam in Angelis de facto creatis cõstituere; neque enim ista notitia per speciem istam est necessaria ad naturalem eorũ Beatitudinẽ, cum ex solis Creaturis Angelicæ illæ mentes possit in distinctam Diuinæ essentiæ cognitionẽ perfectissimè eleuari, & ad naturalem illius dilectionẽm peruenire.

Remanet igitur, vt videamus. Num possibilitas huius speciei repugnet? Quod dupliciter intelligi potest, vel quia nullis Creaturis possit esse connaturalis, & sit supra totam naturam, & pertineat ad ordinem gratiæ, & Glorię, vel etiam repugnet supernaturaliter eam fieri. Ceterum ex quo capite orie-

tur hæc repugnãtia? An quia repugnet Diuinam essentiam repræsentari per speciem creatam finitam, & inferioris ordinis? At si sit sermo sit de specie repræsentante Diuinam essentiam intuitiuè transeat, licèt adhuc lis ista sub iudice sit, si abstractiuè, id negamus. An repugnantia ista ex eo oritur, quòd ista cognitio abstractiua non differat ab intuitiua, cum per illã cognoscatur Deus æternus, immensus, vbique præsens, essentialiter existens, veluti Suarez vbi supra argumentabatur. At neque hoc dici potest; quia Philosophus, & Dæmon ex Creaturis de facto hæc omnia de Deo distinctè, & clarè cognoscunt, neque tamen illa cognitio est intuitiua Dei, & facialis. Quare ad cognitionẽ intuitiuam nõ satis est, quod illa ferratur in rem existentem, sed etiam debet ferri in modum existentiæ, idest vt res cognoscatur, sicut est in se cognoscibilis, vt etiam notauit *Scot. d. q 9. vers. secunda scilicet* vbi habet hæc verba. *Secũda scilicet quæ est quidditatis rei secundũ existentiam actualem, vel quæ est rei præsentis secundum actualem existentiã vocō cognitionem intuitiuam; non prout intuitiua distinguitur contra discursiuam, quia sic aliqua abstractiua esset intuitiua, sed simpliciter intuitiua, eo modo, quo dicimus intueri rem sicuti est.* Vnde cum Scotus, & alij dicunt per abstractiuam ferri intellectum in rem absentem cognoscibilem intuitiuam in rem præsentem sermo est non de præsentia locali, aut rei existentis, sed obiecti, idest vbi immediata obiecti præsentia eo modo, quo in se est cognoscibile menti nostræ offerratur, tunc illa pſentia obiecti cognitionẽ cõstituit intuitiuã: cognitio verò abstractiua distinguitur in cõfusam, & distinctam penetrationem aliam, & aliam cognoscendi *ex eodem Scoto ibidem vers. Nam abstractiua*. Quare cũ istæ cognitiones de Deo sint valdè diuersæ, ex vna necessariò non alia infertur, nam ex disparatis non fit illatio. *l. Papinianus ff. de minorib.* Quæ cum ita sint, cur repugnabit dari speciem ità Diuina virtute attemperatã, vt distinctè, & clarè repræsentaret Deum, quatenus est per Creaturas perfectissimè cognoscibilis, vel vt est auctor naturæ, non gratiæ, vel vt est vnus, & non trinus?

An verò ista repugnãtia in eo locatur, quòd concessa naturali Diuinæ essentiæ distincta cognitione abstractiua in Angelo, etiam concedenda sit eiusdem cognitio intuitiua naturaliter cõparata? At hæc ratio minoris est ponderis, quia cognitio Dei abstractiua pertinet ad ordinem naturæ, intuitiua ad ordinem gratiæ, illa non eleuat hominem supra naturam, ista est supernaturalis finis Creaturæ rationalis.

Num possibilis sit species repræsentans Tres Diuinas Personas abstractiuè.

Quartò deducitur quid dicendum sit ad illam quæstionem, An sit possibilis species repræsentans distinctè mysterium Trinitatis extrà visionem beatam, Negat *Suarez lib. 1. de Trinit. cap.* 11.

11. *num.* 14. & 17. mouetur ex eo, quod illa species repræsentaret Deum sicut est in se, idest quatenus est in personis, sed hæc est visio intuitiua, & beata ergò. Verum non video cur nō possit creari à Deo species supernaturalis repræsentans Trinitatem personarum secundum nostrum modum intelligendi, idest diuisionis, & compositionis, nō vt in se est, sicut idem dicebamus de specie repræsentante Diuinam essentiam repræsentatione abstractiua, non intuitiua, vel repræsentaret nobis illa species personam Patris, & Filij, non personam Spiritus sancti, vel alijs modis Deo cognitis. Et confirmatur ex supra dictis, Anima Christi habuit claram, & distinctam notitiam Trinitatis per obiecta supernaturalia, sed potest dari species clarè repræsentans illum actum notitiæ Christi de Deo Trino, ergo intellectus tali specie informatus simul cognosceret Deum Trinum cognitione abstractiua, & ideò *Scot. d. 9. 9. vers. ad aliud posset dici in fine* non solum in Angelo admittit talem speciem repræsentantem clarè tres Diuinas personas, sed etiam supponit in intellectu eiusdem lumen naturale sufficiens, & proportionatū, itaut dicatur solummodo supernaturalis illa species, quatenus est indita à Deo, nec poterat causari à quocunque obiecto creato. At hæc nos non admittimus, cum cognitio distincta Trinitatis sit supra omne naturale lumen, vt Disput. 24. demonstratum fuit, neq. Angelicis mentibus naturaliter debita fuerit, nec ad naturalē, sed ad supernaturalem eorum beatitudinem pertinere possit.

DISPVT. XXVII.

Num in Theologis, et Ecclesiæ Doctoribus de facto detur lumen quoddam Theologicum, medium inter Fidem, & visionem beatam, quo Sanctissimæ Trinitatis arcanum, & reliqua reuelata non sine aliqua euidentia cognoscantur.

Proponitur, & examinatur opinio Henrici Gandauensis, & Henrici Antonij Burgi.

NE nostro docendi muneri desse videamur, examinanda hic etiā à nobis erit peruetus Henrici Gandauensis *art.* 16. *quæst.* 6. & *quodlibet.* 12. *q.* 1. sententia, quam è scholis Theologorum iam diu explosam, & in tenebris iacentem, rursus ab exilio reuocauit, ac multis illustrauit alter eiusdem instituti *Henricus Burgius* acerrimus Gandauensis Patronus *tra. cit. de Henrici Gandauensis Paradoxis Paradoxo primo per capita duodecim.* Verū quid Henricus de hoc medio lumine, quod Fide superius, & euidens supponit, senserit, non omnes consentiunt. Quidam teste *Suarez lib.* . *de Trinit. cap.* 11. *num.* 3. Henrico tribuebant, quòd Triadis Sanctissimæ arcanū absq; Diuina reuelatione, euidēti ratione demonstrabile esse docuerit. Sed longè alia fuit Henrici mens, qui Diuinam reuelationem, & Fidem à Theologis

non

non exclusit. Alij ergo dicunt, Henricum opinatum fuisse, supposita Diuina reuelatione, per vires humani ingenij rationes naturales demonstratiuas de hoc mysterio, & alijs nostrę Fidei inueniri: In hoc errore fuisse Henricum, Raymundum Lullum, & Richardum de S. Victore testatur idem *Suarez non eodem capite 11. num. 8.* vt scribit *Burgus,* sed *capite 12. num. 8.* Verum ad hunc errorem non accessit Henricus, cuius opinio à Pico Mirandulano publicè absque vlla censura Romæ inter alia eiusdē Theoremata exposita fuit, quemadmodum etiam longissimè distat ab aliorum hæresi, qui quòd mysteriorum nostræ Fidei euidentiam se habere gloriabantur, illuminati dicebantur. Cum igitur Henricus suorum temporū calamitates deplorasset, quòd Theologiam scientiarum omnium Reginam, à numero Scientiarum excluderent, quia euidentia careret, vt ipse theologicum habitum verè scientificū, & euidentem redderet, lumen Theologicum, Fide superius, medium inter lumen gloriæ, & Fidei adinuenit, præcipuis Theologis à Deo ob bonos illorum mores, assiduum studium, & frequentem rerum Diuinarum contemplationem communicatum, quo illuminati supra Fidei obscuritatem eleuātur, ac tum Fidei Articulos, tum conclusiones ex eis deductas euidēter percipiunt, consequenter isti verè se scire dicuntur, ac proinde Theologiam ob maximam certitudinem, & euidentiā inter veras scientias recensendam.

Agnouerunt hoc lumen medium Sancti Viri, illō nō semel collustrati, inter quos D. Ansel. in Proloquio c. 4. sic fatur *Gratias tibi ago, quia quæ prius credidi te donante, iam nunc intelligo te illuminante.* Agnouit & S. Ægidius, qui teste *Cartusiano quæst. 1. Prologi* Symbolum recitaturus iam dicere nolebat *Credo in Deum,* sed dicebat *scio Deum:* Agnouit etiam Thomas de Villanoua, qui in cōcione de Sanctissima Trinitate inquit. *Dicam, & cum nimio gaudio cordis meo dicam, nisi forsan vobis temerarius visus fuero dicam. Fides tua, Domine, Sanctis tuis iam verè Fides nō est, quoniam de Fide iam quodammodo transit in lucem.*

Verum hæc dicta non arguunt euidentiam mysteriorum omnium nostrę Fidei, vt Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, sed potius demonstrant maximum in his pijs Viris Fidei ardorem, firmum, & immobilem eorum assensū reb. reuelatis, deuotionis excessū, donū intelligentiæ, & intellectus, & vt vno verbo dicam, ostendunt hæc dicta Sanctorum euidentiam, quam Theologi vocant credibilitatis, non euidentiam rei cognitæ, de qua nos loquimur.

Posset etiam eadem Henrici sententia comprobari non paucis S. Augustini, Bernardi, Gregorij, Leonis, & Prosperi testimonijs, quæ idem Burgus toto cap. 5. prosequitur: sed illa omittere visum est, quia non probant lumē Henrici medium euidens, & scientificum, sed donum intelligentiæ, siuè donum intellectus, & sapientiæ ineuidens, & obscu-

obscurum. Quamobrem mirari satis non possum Doctorem istum, ingenio alioqui perspicacissimum, & eruditione cumulatissimum, qui, vt Henrici lumen patrocinetur, multis conglobatis Scolasticorum auctoritatibus, quas toto capite sexto, & septimo producit, omnes ferè Theologos hoc lumen Fide superius cõcessisse demonstrat, dum, præter Fidem, donum intelligentiæ, donum intellectus, sapientiæ, vel scientiam infusam Animæ Christi, vel lumẽ propheticũ in Prophetis admiserunt, quasi idem sit lumen ab Henrico confictum cum dono intellectus, sapientiæ, scientia infusa Animæ Christi, vel lumine prophetico. Quod si ità est, iam Henrici opinio ad dogmata nostræ Fidei accederet, quæ prædicta lumina teste Apostolo 1. *ad Cor. 12*. admittit. *Alij datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ secundum eundem spiritum, alij prophetia, alij interpretatio sermonum*: iam ergo opinio Henrici esset credenda de Fide, consequenter in Fide errassent Scotus, Durandus, Franciscus Maior, Thomas de Argentina, Alphonsus Toletanus, Lelius, Gregorius de Valentia, Ludouicus Molina, Gabriel Vasquez, Alexander Pesantius, & Theologi reliqui, qui huiusmodi Henrici lumen oppugnarunt, & reiecerunt, aut fatendum erit, ex his Theologis nullum, præter Henricum Burgum, Henrici Gandauensis mentem fuisse assecutum. Non igitur Fidei nostræ dogmata cum opinionibus vnius, vel alterius Doctoris Scolastici sunt permiscenda, aut confundenda, upiet

Itaquè vt vera à falsis discernamus, opinio Henrici tres cõtinet partes. Prior est dari lumen Theologicum Fide superius. Secunda hoc lumen esse mediũ inter Fidem, & visionem beatam. Tertia istud lumen esse euidens, atquè euidentiam Articulorum nostræ Fidei, & cõclusionum in nobis parere, ac proindè per istud lumen Theologiam habitũ esse scientificum: Singula discutiamus.

Quantum ad priorem partem, si per lumen Theologicum intelligatur lumen supernaturale, donum intellectus, & sapientiæ aliquibus Doctoribus in Ecclesiæ vtilitatẽ diuinitus interdum communicatum, sed tamen obscurum, & ineuidens, illud quidem concedendum est, nec habebit contradictorem, sed ex hoc lumine paucissimis concesso postea minus rectè inferre poterit Henricus, per illud Theologiã fieri scientiã: esset enim in paucis ista Theologia, maiorq; Theologorum pars, quæ hoc lumine caret, etiam priuari Theologico habitu diceretur, imò cum Fidei obscuritatem euacuare in hac vitã minimè possit, nequè euidentiam scientificam in illis gigneret, vt latius infrà demonstrabimus. Accedit hoc lumen intelligentiæ sæpissimè nihil aliud esse, quam naturalem ingenij viuacitatem, & perspicacitatẽ diuinitus adauctam, qualis fuit in Sanctis Augustin. Thoma, & alijs, ob quam articulos Fidei intimè penetrantes, credibiles faciunt, & ex illis necessarias, & vltimas conclusiones, ad Ecclesiæ instructionem, non sine Diuino auxilio actuali, absquè erro-

rorum permixtione deducunt.

Quantum ad secundam propositionis Gandauensis partem, in qua hoc lumen statuit medium inter visionem beatam, & Fidem, displicet hic dicendi modus propter tria præcipua.

Primò quia medium debet participare naturam extremorum, sed extrema sunt Fides obscura, & lumen gloriæ clarum, ergo hoc lumen medium esset simul obscurũ, & clarum euidens, & ineuidens, quæ opponuntur cõtradictoriè, consequenter nõ possunt vniri in vna, & eadem simplici qualitate luminis, quæ non est capax recipere differentias oppositas, vel dicendum esset illud degenerare in tertiã qualitatem, quæ neque esset euidens, neq; ineuidens. At hoc non minus repugnat, quia inter duo contradictoria non datur medium, sed euidens, & ineuidens sunt contradictoria, ergo &c.

Secundò medium ità constituitur ex extremis, vt extrema ipsa nõ maneant secundum propriam formam in eadem parte subiecti, vt constat in colore viridi medio inter album, & nigrum, sed lumen Fidei secundum propriam formam manet in Theologis simul cum hoc lumine medio, ergo minus rectè vocatur medium. Tertiò medium non habet maiorem repugnantiam ad vnũ extremum, quam ad aliud, sed hoc lumen Henrici, quod potest stare cum lumine Fidei, nequit stare cum lumine Gloriæ, quia teste Apostolo 1. ad Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est*, ergo hoc lumen Henrici nequit dici medium inter visionem beatam, & Fidem. Respondet *Henricus Burgus cap. 11. in responsione ad tertium argumentum*, lumen medium cum in sua ratione formali obscuritatem claudat, magis opponi lumini Gloriæ, cui contradictoriè opponitur, quam lumini Fidei, cum quo cõuenit in obscuritate. Verum hoc responsum nec tactam difficultatem euacuat, nec cum alijs eiusdem dictis cohærere aptè potest. Etenim si hoc lumen mediũ ob sui obscuritatem lumini gloriæ contradictoriè opponitur, quomodo medium appellatur inter Fidem, & visionem beatam? Quod enim mediat inter aliqua extrema, non opponetur vni extremo contradictoriè. Deindè si hoc lumen medium asseritur esse euidens, vt toto capite 7. & passim alibi hic auctor bucinatur, quomodo nunc in sua ratione formali obscurum esse affirmatur? aut quomodo per lumen obscurum Theologia euidens scientia redditur, si euidentiam Articulorum Fidei non demonstrat, aut manifestat? Sanè non video, qua ratione ab aperta cõtradictione hic Doctor expurgari possit; cum lumen istud modo in sua ratione formali euidens, modo ineuidens, & obscurum ab eodem constituatur.

Iam verò descendamus ad tertiam Gandauensis propositionis partem cõsiderãdam, simulque qua ratione lumẽ istud euidens, & scientificum dicatur, studiosè scrutemur. Suppono hic esse sermonem de euidentia cognitionis, ex qua gignitur scientia, non de euidentia

rei secundum se, item suppono nos non loqui de euidentia in attestante, de qua supra diximus, quæ tamen scientiā nō gignit eorum, quæ credimus; sed hic nos loqui de euidenti appræhensione, & discursu mysteriorum nostræ Fidei. Suppono itē ex eodem *Burgho toto c. 7.* illam dici euidentem cognitionem, quę est certa, & clara de aliquo obiecto cognitio, & dicitur certa ad differentiam opinionis, cui potest subesse falsum, vel cui intellectus cum formidine adhęret, clara ad differentiā Fidei, quæ est obscura. Clara autē cognitio illa dicitur, quādo intellectus intuetur cōnexionē prędicati cum subiecto, illiq; assentitur non ex alieno testimonio, aut ex imperio voluntatis, sed ex penetratione ipsius obiecti cogniti, quia scilicet cognoscitur res sicuti est. Quibus suppositis sic argumentor. Qui habet euidentem cognitionem Verbi gratia Trinitatis, & Incarnationis, assentitur illis, quia videt rem sicuti est, sed quilibet Theologus assentitur huic propositioni, Deus est trinus, vel Verbum caro factum est ob testimonium Diuinæ reuelationis, non propter euidentiam obiecti cogniti, ergo non habet eorum euidentiam. Maior Propositio ex modo dictis supponitur, vt indubitata.

Minor probatur. Nullus Theologus etiam hoc lumine medio illustratus Fidem amittit: Inquit enim Paulus 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Si Paulus Theologorum Princeps, præ ceteris à Deo illuminatus, mysteria Fidei in ænigmate, quod obscurum est, videbat, quomodo isti Doctores illuminati eadem Fidei nostræ mysteria se clarè & euidenter tenere audebunt; Neque solus Paulus, sed etiam omnes ferè ss. Patres idem dicunt, nempè Fidei mysteria illis esse obscura, sic Augustinus, Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, quorum testimonia producit *Valentia tom. 1. in 1. partem disp. 1. quæst. 1. puncto tertio.*

Hinc minus rectè *Burghus capite decimo vers. ad secundi capitis argumenta* docet eum, qui est hoc lumine illuminatus, propter illius euidentiam penetrare veritates Fidei, nequè tamen excludi assensum Fidei, *sed per Fidem habet assensum certū, & per lumen Theologicum assensum euidentem.* Quod sanè responsum pugnat cum iam allato Pauli, & aliorum Sanctorum Patrum responso, pugnat cum ipsa experientia. Nullus enim Doctor experitur se habere claram Trinitatis notitiam, nullus Scriptor euidentiam Trinitatis nobis reliquit. Pugnat demum cum euidētia rationum: Primò, quia si habitus Fidei influit in Trinitatis assensum, ergo sicut dat illi certitudinem, ità dabit & obscuritatem. Fides enim teste Apostolo *ad Hębreos 11. est argumentum non apparentium* Cum autem ista sit Fidei definitio, debet verificari in quocunq; subiecto illa reperiatur, etiam à Deo illuminato, dummodo Viator ille sit.

Secundò, sicut conclusio ex vna de Fide, & alia nota lumine naturę, non est de Fide, quia conclusio sequitur debi-

A a lio-

liorem partẽ, ità si ille assensus est à Fide obscura, & à lumine euidenti, sequitur illum actum, vel esse obscurum, vel neque obscurum, neque euidentem, sed medium quid, quod sanè repugnat cũ hæc duo euidens, & non euidens respectu eiusdem actus indiuisibilis sint contradictoria.

Tertiò. Quicunque habet lumen euidens alicuius rei non potest illi disentire; siquidem intellectus euidentia rei coactus assensum illi necessariò præbet. Sed quilibet Theologus quantumuis hoc lumine collustratus potest disentire veritatibus Fidei per Apostasiam à Fide, ergo euidentiam illarum non habebit. Huic argumento, quod validissimum existimo, occurrit *Burghus c. 11. ad 2.* dicens habentem illud lumen posse disentire in sensu diuiso, non in sensu cõposito, idest *vt habet illud lumen, quia illud habere nequit, quin habeat Fidẽ, dum autẽ Fidem habet, non potest disentire, potest tamẽ per culpã à Fide recedere, et tunc consequenter lumine illo, quod Fidei innititur priuatur.* Sed hòc responsum ingeniosè excogitatũ difficultatem effugit, sed non soluit. Nam *Concil. Trid. sess. 6. de iustificatione Can. 4.* definit anathema eum, qui dixerit *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non posse disentire si velit*, ergo multo magis intellectus Doctoris illuminatus de mysterio Trinitatis poterit disentire si velit, ergo poterit disentire si velit tàm in sensu diuiso, idest quatenus caret illo lumine, quam in sensu composito, idest etiam dum habet illud lumẽ, sicut etiã homo Christianus habens Fidẽ potest disentire si velit, & disentiendo statim Fidem illam infusam amittit; imò prius natura est disensus rebus Fidei, quã amisio Fidei, quia disensus est causa amisionis. Deindè quidquid sit de modo loquendi, vis argumenti in suo robore manet. Nam quilibet habens claram, & euidentem cognitionem alicuius rei, nullo loco, aut tempore poterit illi disentire, vt patet in omnibus veritatibus naturalibus, sed quiuis Theologus potest in hac vita disentire rebus Fidei, ergo non habet illarum euidentiam: ideò autem potest disentire, quia Fidei Articuli obscurè illi proponuntur ob solam dicentis auctoritatem, de qua potest dubitare, quia rem ipsam propositam, sicuti in se manet, nequit intueri.

Quartò si Ecclesiæ Doctores, ac præcipui Theologi per istud lumen mediũ euidentiam habent eorum, quæ Fide credunt, igitur nõ assequuntur, meritũ Fidei, igitur ista sententia tollit ab Ecclesiæ Doctoribus, ac præcipuis Theologis maximam meritorum Fidei multitudinem. Quod esse absurdum nemò est, qui non videat. Porrò auferri meritum Fidei per euidentiam reuelatorũ docet S. Gregorius illis verbis *Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* Meritum enim oritur ex eo, quod homo Christianus intellectum captiuat in obsequium Christi, Fide credens, quæ euidenter non nouit, igitur vbi est euidentia, ibi non est meritum: igitur hæc sententia, quæ euiden-

dentem scientiam Theologicam statuit in præcipuis Theologis, vel Fidem illorum penitus euacuat, vel deprimit meritorum multitudinem.

Quintò denique sic argumentor. Vel Henricus Gandauensis, & eius Sectatores nunquam à Deo receperunt hoc lumen euidens Theologicum, vel illud non semel consecuti sunt. Si nunquam tale lumē in se ipsis agnouerunt, nomen igitur Theologi non merentur, qui Theologicam scientiam non habent, qua sanè carent omnes, qui rerum Fidei euidentium nō assequuntur, nec alio modo nisi per hoc lumen euidens cōparari illam posse profitētur: deinde vt quid tale lumen in alijs Theologis statuere volunt, quod ipsi eandem Theologiam profitentes in se ipsis nunquam experti sunt?

Quod si fateantur lumine isto Theologico euidenti se fuisse collustratos, atquè ad euidentiam mysteriorum Fidei se peruenisse gloriantur, illos etiam atquè etiam rogamus, vt nobis etiam euidentiam Incarnationis, & Trinitatis arcana cōmunicent. Quilibet enim sciens rem aliquam euidenter, aptus est alios euidenter docere, quod est signum verè scientis ex Aristot. 1. Metaph. Atqui certum est nullam nobis euidentiam suis scriptis de his arcanis reliquisse vtrumque Henricum; ergo qui hoc medium lumen statuunt, in lumine euidenti suspicor eos lumen non vidisse.

DISPVT. XXVIII.

Vtrum de potentia absoluta possit videri Deus visione beata non visis Diuinis personis.

INdubitatum est apud omnes Catholicos Beatos de facto tres Diuinas personas facialiter intueri. Colligunt Theol. hanc veritatem ex illo Christi responso Ioann. 14. *Philippe, qui videt me videt & Patrem meum, nō credis, quia ego in Patre, & pater in me est?* Secundò hæc veritas Catholica constat ex *Concilio Florentino in Decreto de Purgatorio*, vbi statuitur. *Animas iustorum post absolutam purgationē in Beatas illas sedes recipi, & clarè intueri ipsū Deum vnum, & trinum sicuti est.* Ratione etiam idem suadetur, quia visio clara succedit Fidei, quæ teste Apostolo, in patria per visionem beatam euacuabitur, quod etiam Regius vates aptè sanè insinuauit dicens, *Sicut audiuimus, sic vidimus*, idest sicut Fide, quę est per auditum, credimus, ità credita in patria videbimus, sed nostra Fides potissimum versatur circa sanctissimæ Trinitatis mysterium, ergo istud maximè in Verbo à Beatis videbitur.

Tota igitur difficultas est vtrū de potentia Dei absoluta visione clara, & intuitiua videri possit Deus vnus in substantia non visis personis. Denegant id Diuinæ omnipotentiæ *Caietanus 1. 2. quæst. 2. art. 8. ad 3. Bannes, Zumel, & Nazarius 1. p. quæst. 12. art. 8.* vbi etia

Valentia puncto 6. Molina disp. 4. Vasq. p. 2. disp. 13. c. 2. Suarez lib. 2. de Attributis c. 23. num. 19. Prob. 1. quæ à parte rei sunt vna, & eadem realitas simplicissima si videtur vnum visione intuitiua, videtur etiam aliud, quod est idem cum illo, sed Diuinæ personæ, & Diuina essentia sunt vna, & eadem realitas simplicissima, ergo non potest videri Diuina essentia nō visis personis, visione inquam clara, & intuitiua. Maior sumitur ex *Aristot. 12. Met. c. 11.* vbi docet rem simplicem, & indiuisibilem aut totam ignorari, aut sciri, nec circa illam intellectum contingit decipi.

Secundò de ratione visionis intuitiuè est, vt per eam videatur res prout est in se, & secundum conditiones suæ existentiæ, sed Deus existit in tribus personis, ergo videns Deum visione intuitiua, necessariò cogitur etiam videre Diuinas personas secus illa non erit visio distincta, sed confusa, nec intuitiua, sed abstractiua.

Tertiò non potest videri Diuina essentia nisi videantur prædicata omnia illius essentialia, sed vnum ex prędicatis essentialib. Diuinæ naturę est, quod sit fœcunda, & communicabilis tribus personis, ista autem communicabilitas est omninò actualis in tali natura, ergo qui videt clarè Deitatem, videt etiam clarè Diuinas personas, quia non potest videri communicabile sine suo termino.

Quartò si in Deo esset vnica sola persona, vtiquè sola Deitas non visa personalitate creatum intellectum beare non posset, quia Deitas abstracta a personalitate non esset Deus, nec summum bonum, sed eadem identitas de facto reperitur inter Deitatem, & tres personalitates relatiuas, quæ tunc in eo casu reperiretur inter Deitatem, & illā vnicam personalitatem absolutam, ergo si tunc sola Deitas non esset per se obiectum Beatitudinis, nequè nunc esse poterit.

Quintò obiectum nostræ Beatitudinis est summum bonum, sed Deitas pręcisa à tribus relationibus non est summum bonum, quia nō est infinita in tota latitudine entis, cum illi desit personalitas, quæ est maxima eius perfectio, non solùm secundum quid, sed etiam secundum aliquos simpliciter simplex.

Sextò Visio beata est visio clara, & distincta Dei prout est in se, & cognitio perfectissima, sed si sola Deitas videretur à Beato non visis trib. personis, illa non esset visio distincta Deitatis prout manet à parte rei, cum in re ipsa in trib. personis verè reperiatur, nec item esset cognitio perfectissima, sed potius diminuta, nam magna perfectio est videre difficillima Dei, Trinitas autem personarum in eadem natura est captu difficillimum, ergo visio Deitatis sine personis non esset beatifica, sed rudis, & imperfecta Dei cognitio, nullo modo apta creaturam rationalem beare.

Respondeo dicendum, Diuinæ omnipotentiæ nequaquam esse denegandum, posse aliquem intellectum eleuare ad videndum clarè, & intuitiuè Diuinā essentiam, non visis tribus personis in actu. Ità *Scotus in 1. dist. 1. quæst. 2.* & reli-

reliqui S cotistę, inter quos legendus est *Faber*, qui fusissimè, & vt solet subtilissimè hanc agitat controuer. eandẽ sententiã tenet *Rada bit cõtr. 6. Ioan de salas p. 2. trac. 2. disp. 4. sec. 3.* nec dissentit *S. Th. 1. 2. q. 2. ar. 8. ad 3.* vbi solum loquitur de facto, & de potẽtia ordinaria, nõ autẽ de potẽtia Dei absoluta, vt nos loquimur, clarius videtur loqui *3. p. q. 3. ar. 3. in C.* vbi docet in cognitione Dei sicuti est, impossibile esse, circũscribi aliquid per intellectũ à Deo, & quod aliud remaneat, quia totũ id quod est in Deo est vnum, salua personarũ distinctione, at si Deus cognoscatur per modum nostrum, qui est per compositionẽ, & diuisionem, abstracta per intellectum personalitate, posse nos intelligere naturam assumentẽ sine personis, verum D. Th. loquitur de cognitione Dei etiam in via, & de abstractione negatiua, non de præcisiua, *vt ibidem Suarez nostræ sententiæ aduersarius, vbi supra num. 9. fatetur.* Quare sensus erit, eum, qui Deum verè cognoscit, non posse de Deo Diuinas negare personalitates, vel 2. dic D. Thom. vt constat *ex solutione eiusdem ad 3.* & docet idem *Suarez in Comment. illius Articuli* loqui de abstractione resolutiua, qua personæ à Diuina essentia distinctè, & separatè cognoscerentur, quod prorsus est impossibile, non autẽ loquitur de quacumq; cognitione pręcisiua possibili potentia absoluta, qua essẽtia sine personis videretur, vel 3. si D. T. loquitur de vidente Deum sicuti est visione beata, dum postea impossibile censet Diuinam essentiam à personis circumscribi, idest cogitatione separari, explicari potest de impossibilitate secũdum potẽtiã ordinariã, nõ autẽ secũdũ potẽtiã absolutã. Quinimò hanc nostram sentẽtiam à D. Th. mente nõ discordare ex alijs eiusdẽ princincpijs mox afferendis non obscurè patebit.

Ad euidentiam itaquè huius concl. tria fundamenta recolenda sunt, ex quibus ista quæstio iudicio meo admodum dependet. Primum igitur fundamentum sit, Relationes Diuinas, vt Disp. 11. demonstrauimus, omninò esse extrà totam quidditatem Diuinæ naturę, & è contra, & cõsequenter relationes solùm esse modos existendi incommunicabiles eiusdem Diuinæ naturæ, quę iuxtà D. Thom. & veritatem ipsam, neque propriam habent existentiam, neq; subsistẽtiã ratione distinctam ab existẽtia, & subsistẽtia Deitatis, vt supra dictũ est, ex quo fundamento sic argumẽtor.

Quando duo ita se habent, vt vnum sit extrà quidditatem, & existẽtiam alterius, non implicat viso vno non videri aliud, sed Diuinæ relationes sunt extra totã quidditatẽ Diuinæ naturæ, solũq; sunt modi existẽdi eius, ergo visa Diuina natura, personas nõ videri quid implicabit? minor supponitur ex dicta Dis. 11. quã etiam multi aduersarij amplectuntur; Maior probatur tripliciter. Primo exẽplo Angeli. Nam Dæmon habet intuitiuam cognitionem corporis Christi, nec tamen clarè rimatur sacramentalem eius pręsentiam in Eucharistia, clarè item intuetur humanitatem, non tamẽ vnionem eius hypostaticam

ad

ad Verbum, quia hæc omnia sunt extrà essentiam humanitatis, & modi eiusdé existendi. Secundò ad cognitionem intuitiuam non est necesse penetrare omnia, quæ in aliquo supposito reperiuntur. Sed sufficit intueri quidditatem, & existentiam actualem illius rei, cuius cognitio intuitiua habetur. Atqui Diuinę relationes nec sunt de quidditate Dei, nec dant illi existere, sed solum sunt modi existendi eiusdem, ergo visa Deitate non necessariò videntur relationes Diuinæ. Tertio si potest communicare Diuinam essentiam Pater, paternitate haud communicata, si Verbum vniri potest humanitati, vt terminus primarius assumptionis ipsa Deitate nō sic vnita, cur quæso cognosci non poterit cognitione intuitiua Diuina esśetia, vt existens, & subsistentia absoluta subsistens non cognitis relatiuis personalitatibus?

Secundum fundamentum est. Diuinas relationes esse perfectiones Deitatis nō intēsiuas, sed extensiuas, vt Disp. 19. enucleauimus. Nam vt ibidem dictum est, Deus à personis præcisus omnem in sui conceptu intensiuam entis claudit perfectionem, quia Deo vt sic nihil maius, aut perfectius potest recogitari. Ex quo fundamento sic argumentor.

Deus vt vnus est, est summum, & infinitum bonū, ergo vt sic est aptū beare Creaturam rationalem, ergo est obiectum per se nostræ beatitudinis: ergo non implicat dari visionem beatā sine visione personarum, illaquè essentialiter esset quietatiua nostri appetitus: cōsequentiæ omnes sunt claræ: Antecedens verò est expressè *S. Th. 1. p. q. 6. art. 2.* & patet ex dictis, quia Deus est tale ens, quo nihil maius excogitari potest, hic enim est cōceptus Dei, vt Deus est: ergo vt sic continet omnem intēsiuam perfectionem in tota latitudine entis: ergo est summum bonum, quo vi so essentialiter homo in tāti obiecti fruitione bearetur, vnde accedente visione personarum visio illa accessoriè solùm, & extensiuè foret perfectior, non autē essentialem beatitudinem secum afferret.

Tertium fundamentum est. Verbum non gigni per se ex cognitione Spiritus sancti, aut creaturarum possibiliū, vel contingentiū, & consequenter æternum Patrem in eo signo quo genuit Filium non habuisse cognitionem terminatam ad Spiritum sanctum, vt existentem, cum in eo signo nequaquam existeret, vt infrà demonstrabitur. Ex hoc igitur præmisso fundamento, sic Tertiò arguo.

Pater Æternus in priori signo, quam Verbum generet, & Spiritum sanctum spiret, fuit verè, & essentialiter beatus sola visione clara Deitatis, ergo omnes tres personæ non fuerunt obiectum per se Beatitudinis Patris, ergo neque sunt obiectum per se nostrę Beatitudinis, sed solùm accessoriè, & extensiuè, ista consequentia est clara, quia idem obiectum Beatitudinis Patris est etiam obiectum Beatitudinis aliarum Diuinarum personarum, & to-

& totius creaturę rationalis, quæ licet à Patre differat quātū ad modū attingendi, quia Pater diuinā essentiā compræhendit, quam rationalis creatura compræhēdere nequit, nō tantum differunt in obiecto beatifico. Vnde Deus, & Beati, & omnes tres personæ, vt docuit S. Thom. in Hymno Missæ Corporis Christi dicuntur commensales, quia eodem obiecto beatifico fruuntur. Primū autem Antecedens probatur, tùm quia Pater non accipit suam beatitudinem à Filio, & Spir. sancto, sed potius è cōtra res se habet, tùm quia Pater prius supponitur intelligens, & infinitè sapiens, quam producat Verbum, quia Verbum, vt sępe docuit Augustinus, est sapientia genita à sapientia generante, sed sapientia infinita Patris est ipsa Patris beatitudo, incōpręhensiua Deitatis cognitione consistens; tùm denique, quia qui clarè appræhendit summum bonum infinitum est essentialiter beatus, sed Pater Æternus antequam producat Spiritum sanctum, vel Verbum in illo priori signo verò, & reali apprę hendit Deitatem, quæ est summum, & infinitum bonum, ergo ex sola eiusdem visione fit essentialiter beatus. Neque dicant Patrem Æternum intuendo Diuinam essentiā simul etiam eām videre in trib. personis. Nam contra est, quia Pater potest intelligere Diuinam essentiam prius, vt incommunicatam, & deindè vt communicatam Filio, & Spiritui sancto, nam potest intelligere, vt eam habet in se, & deindè, vt illa in alijs duabus personis reperitur. Deindè contra hanc, & alias responsiones, quæ huic argumento afferri possunt, fusè arguimus dicta Disp. 29

Quartò argumentor, potest clarè videri Diuina essentia non visis eius ideis, vel actibus liberis omnibus, ergo potest videri essentia sine personis: consequētia probatur, eadem est identitas Idæarum cum Diuina essentia, quæ est inter essentiam, & personas, & ex alia parte persona addit essentiæ aliquid reale, idea vero secundum multos addit essentiæ solùm aliquid rationis, ergo Idææ magis sunt idem cum Diuina essentia quam personalitas Diuina sit idem cum eadem Diuina essentia. Atqui nō obstante hac idētitate videtur essentia sine visione Idearum, & Decretorum Dei liberorum, ergo etiam potest videri essentia sine personis de potentia Dei absoluta. Confirmatur, Ad Diuinam essentiam magis pertinent Idęæ quam personæ, sicut essentialia magis quam notionalia, sed potest videri Diuina essentia absque Idæis, ergo etiam potest videri non visis personis. Confirmatur Secun. Scientia possibilium in Deo, & scientia visionis est vna, & eadē sciētia realis simplicissima, sed Pater Æternus gignendo Filium habet cognitionem possibilium, sed non visionis, quia Verbum non oritur ex contingentium cognitione, vt Disp. 31. probatum fuit, & aduersarij omnes pro certo supponunt, si ergo hæc duo in ordine ad Paternū intellectum in aliquo vero signo de facto separantur, cur de potentia Dei absoluta hæc duo separari non po-

poterunt, videlicet vt intellectus creatus tali sit visione præditus, & lumine gloriæ collustratus, vt Diuinam essentiam absquè personis perspicuè intueatur.

Quintò sola Diuina essentia, vt fatetur Suarez, & eius Socij, est illa, quæ in genere causæ efficientis per modum formæ intelligibilis concurrit cum intellectu Beati ad eliciendam Dei visionem, eo quòd omnis actiuitas ad extra sit ab omnipotentia, & nō à relationibus, quæ neque sunt actiuæ; si ergo sola Diuina essentia est illa, quæ influit in visione beata Sanctorū, cur si illa sola influit, illa etiam sola videri nō poterit? Siquidem obiectum eatenus videtur, quatenus propriū habet influxū in actum videndi, sine quo influxu visio nō esset, sed sola essentia influit in actum visionis Beatæ, vt aduersarij docent, ergo sequitur ipsam solam de facto à Beatis videri iuxtà concessa principia, cur ergo quod de facto ex aduersariorum principijs sequitur, Diuinæ omnipotentiæ agenti secundum omnes suas vires id audent denegare, quod implicitè iuxtà concessa principia coguntur concedere? aut cur non poterit Diuina essentia, ità influxum suum temperare, vt ipsa sola absquè personis ab aliquo Beato sic Deo volente cerneretur?

Ex his deducitur primò, sicut potest videri essentia absq; visione vllius Diuinæ personæ, ità posse videri Patrem sine Spiritu sancto, & Spiritum sanctum sine Patre, & Filio, secundum proprias personales relationes, non tamen posset videri Pater sine Filio, nec Filius sine Patre, quia correlatiua sunt simul cognitione. Hoc Coroll. est etiam ad mentem Scoti vbi supra.

Secundò deducitur in eo casu, quo essentia sine personis videretur, vel vna persona sine alia non correlatiua, tunc visionem illam nō quidem specificè, sed saltem numericè differre à visione illa, qua de facto Beati vident Deum vnum trinum; Neque mirum Patri Suarez esse debet, si ad hunc effectum præstandum, indiuidualem visionis differentiā sufficere putamus. Nam si hæc sola sufficit ex sententia eiusdem li.2.de attrib. c. 26. num. 21. cur vnus Beatus plures in verbo videat creaturas, tàm possib. quā futuras, cur eandem sufficere non dicemus ad videndum Deum vnum, & trinum?

Ad primum nego Maiorem esse necessariò, & vniuersaliter veram, visus enim intuitiuè percipit nigredinem, nō cognoscendo an ipsa sit substantia, vel accidens, an à quantitate re sit distincta nec ne, nec attingit differentiam eius specificam attomam, aut propriam eius hæcceitatem, cum tamen ratio accidentis, differentia specifica, & indiuidualis sint vnū, & idem cum albedine, & quod dixi de visu, idem proportionaliter de humano intellectu eandem nigredinem clarè intuente dici potest. Etsi mentis oculos paulo altius extollere vellimus, Angelicus intellectus intuitiuè videt meam humanitatem, & totam eius naturalem virtuté nō tamen intuitiuè percipit potentiam meam obedientialem,

& ca-

& capacitatem ad vnionem hypostaticam Dei, quæ tamen ratione sola à mea humanitate distinguitur, & Beatus videt intuitiuè Diuinam essentiam nō visis idæis, & decretis liberis, quæ tamen à Diuina essentia sola ratione distinguũtur. Quando igitur aliqua res ob suam eminentiam plura, & diuersa in vna simplici entitate continet prædicata, tunc non repugnat clarè videri secundum vnum prædicatum, & non secundum aliud, præsertim si hoc aliud prædicatum sit extrà totam essentiam, vt de facto Diuinę relationes sunt extra quidditatem Diuinę naturæ.

Respondeo secundò. Quando duo adęquatè sunt idem, viso vno videtur & aliud, at Diuina essentia, & relationes non sunt idem adæquatè, sed inadequatè; quia non cum quocumque Diuina essentia idētificatur, etiam quęlibet Diuina relatio identificatur, secus Diuinæ personæ non distinguerētur inter se realiter. Quare sicut non implicat videri animal, non visa rationalitate, quia animal nō adæquatè identificatur cum rationalitate, & extrà totam essentiam rationalitatis reperitur, ità cur repugnabit visa essentia non videri Diuinas relationes, quæ non identificantur adæquatè cum Diuina natura, atquè extra totam eius quidditatem reperiuntur.

Ad probationē illius maioris ex Aristotele. Respondeo ipsum, vt patet ex Textu, nihil aliud eo loco intendere voluisse, nisi in simplicium apprǽhensione intellectum non posse falli, quia veritas, & falsitas in sola compositione, & diuisione intellectus consistit. Ceterum ad pleniorem solutionem.

Respondeo secundò, rem simplicem non posse secundum aliquid videri, & secundum aliquid non videri (intellige quasi illud aliquid sit aliqua eius pars vera, & realis, eo quod res simplex partibus careat) posse tamen rem simplicem clarè videri secundum vnam rationem, & non secundum aliam, atquè ita nostra cogitatione, quasi in duas partes secari. Respondeo Tertiò, & melius rem simplicem, vel totam attingi, vel totam ignorari, stat dupliciter. Primò materialiter, secundò formaliter. Primò modo tale axioma semper verificatur, at secundò modo non semper possidet veritatem. Siquidem res simplex cum sit indiuisibilis materialiter ab intellectu semper tota quidem attingitur, sed non semper formaliter, quia intellectus posset eam attingere formaliter secundum vnam rationem, & non secundum aliam, vt patet ex exemplis supra adductis. Sic qui videret solam Diuinam essentiam, non visis personis, materialiter quidem, & concomitanter etiam Diuinas personalitates cerneret, sed non formaliter, quia nullum de Diuinis relationibus expressum conceptum haberet.

Ad Secundum dupliciter potest aliquid videri pro vt est in se. Primò quia non videatur àliter quam sit. Secundò quia videatur secundum omnem modum, quem in re ipsa habet, & secundum omnes conditiones suæ existentiæ.

Primò modo dictum axioma verificatur, non autem Secundò modo, non enim est de ratione visionis intuitiuæ, vt res videatur secundum omnem modum, quo est. Nam sicut non valeret arguere, qui rem aliquam clarè intuetur, videt eam pro vt est in se, sed Dæmon videt Christi humanitatem, quæ erat Verbo vnita, ergo Dæmon vidit vnionem naturæ humanæ cum Verbo, ità similiter nõ licebit argumentari, Beatus habet intuitiuam Diuinæ essentiæ visionem, quæ est cognitio rei prout est in se, sed Diuina essentia existit in personis, ergo Beati necessariò vident personas. Vt igitur Diuina essentia videatur pro vt est in se à Beatis, sufficit, si ipsa cernatur à Beatis, vt quoddam ens a se, infinitum summeque perfectum, ac fons totius esse, & summum bonum, & hac ratione non videretur aliter, quam sit, licet nõ videretur secundum omnem modum, quo in re est, quod secundum est longè à primò diuersum.

Ad Tertium respondeo primò. Si essentia Diuina à Beato compræhenderetur, vel etiamsi videretur secundum omnia, & singula prædicata essentialia, visa illa, omnes etiam relationes simul, & necessariò videri libenter concederem. At fieri potest de potentia Dei absoluta, vt ipsa Diuina essentia videretur solùm secundum prædicata eius essentialia, quæ ad Creaturas dicunt respectum rationis, non secundum prædicata, quę dicunt respectum ad relationes; & ita visa illa non necessariò Diuinæ personę viderentur.

Respondeo secundò, fœcunditatem Diuinæ naturæ esse quãdam illius proprietatem, non autem esse prædicatum essentiale, at non implicat de potentia Dei absoluta, videri clarè essentiam, non visa aliqua illius proprietate.

Respondeo Tertiò, & longè melius, qui Diuinæ naturæ fœcunditatem clarè intuetur, consequenter etiam relationes Diuinas sub illius cadere intuitum, sed tamen diuerso modo, siquidem fœcunditatem clarè, & distinctè perciperet, at relationes posset videre solùm in communi, & in confusò, non autem secundum proprias rationes, nõ secus ac qui clarè omnipotentiã Dei videt, non necessariò omnes, vel aliquas Creaturas possibiles in particulari secundum proprias rationes distinctè cognoscit, sed solùm in communi cognoscendo aliquid possibile à Diuina omnipotẽtia emanabile, vt etiam aduersarij fatentur, & inter cęteros *Suarez dictò lib. de Attrib. negat. c. 16. num. 13. & 14.*

Ad Quartum concedo si esset vnica persona in Diuinis, eam tunc ad obiectũ per se nostræ Beatitudinis pertinere, nego tamen idem in casu nostro contingere, duplicemquè affero disparitatem: Prior est, quia si vnica personalitas in Diuinis foret, tunc illa esset cum Diuina essentia adæquatè identificata; at proindè visa Diuina essentia personam illam absolutam nõn videri, tunc prorsus repugnaret, at Diuina essentia non adæquatè identificatur cum suis relationibus, & hæc est vna essentialis disparitas multum perpendenda.

Alia

Alia etiam ac magis efficax assignari potest, nempè quia concessa illa hypothesi, tunc personalitas illa absoluta ad intensiuam Dei perfectionem per se spectaret, necnon ad summi boni constitutionem, quod solum apetitum creatum explere potest. At Diuinæ relationes spectant de facto ad extensiuã Dei perfectionem per eiusdem naturæ communicationem tribus factam personis, sine qua Deus ipse vt vnus est, manet ens infinitum, & summũ bonum, consequenter, vt sic consideratum etiam præcisis relationibus aptum est nostrum apetitum explere.

Ad Quintum nego Maiorem. Siquidem Deus vnus subsistens, infinitũ ens est in omni latitudine entis, omniaque eminenter continet, imò ipsæ Diuinæ relationes altiori ratione in ipsa Diuina essentia continentur, præsertim si ab ipsa Diuina essẽtia habent quod existant, & subsistant, vt supra dictum est.

Ad Sextum visio solius Dei esset distincta respectu absolutorum, non respectu notionalium, esset etiam perfectissima cognitio, vt constat ex perfectissimo obiecto viso, scilicet Deo, cui cognitioni si adderetur visio trium personarum, foret perfectior tùm extensiuè, tùm intensiuè, sicut vtroque modo perfectior est illa visio, quę plures in eodem Deo, quam quæ pauciores intuetur Creaturas.

DISPVT. XXIX.

Quid sint notiones, & vtrum Deo atribuendæ.
D.T.ar. 2.

Prima Propositio.

RESpondeo primò notionẽ nihil aliud esse, nisi signum manifestatiuũ vnam Personã ab alia distingui, Ità *D. T. hic ar. 3. in C.* vbi ait, *Notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi Diuinam Personam*, Et ad secundum inquit. *Notiones significantur, vt rationes notificantes Personas*, & D. Basil. Epist. 43, *Notionem*, inquit, *esse cognoscibile signum, quo vnam Personam ab alia distinctam esse noscimus*; & D. Boetius teste *Alber. in 1. tract. 9. q. 39. membro secundo* sic notionem definit, *Notio est proprietas, qua innotescit Diuina Persona in esse personali proprio*.

Aduerte tamen Notionem non solùm hic sumi pro actu cognoscendi, quę dicitur Notio formalis; sed multò magis pro notione obiectiua respondente notioni formali, quę, vt dictum est, proprietas est quædam realis in Deo existens, sed nostra cognitione abstracta, qua vna Persona ab alia distincta cognoscitur; Cuius exacta natura, & conditiones ex dicendis sequenti Disputatione maximè pendet.

Secunda Propositio.

Respondeo secundò ad rectè decla-

randum hoc mysterium sanctiss. Trinitatis aliquas notiones obiectiuas necessariò in Deo esse cócedendas. Hanc conclusionem admittunt omnes Theologi præter Præpositiuũ, vt refert *S. Th. art. 2. in C.* quem postea sequutus est *Gregorius Ariminensis in 1. d. 26. q. 2.* Probatur primò, quia notiones in Diuinis expresse admittunt SS. Patres *D. Basil. Epistola 43. Damascenus lib. 1. de Fide cap 9. 10. & 11. August. lib. 5. de Trinit. c. 16.* vbi ait; *Alia est notio, qua intelligitur Genitor, alia qua ingenitus.*

Secundò probatur duplici ratione D. Th. hic. Prior est si Hæreticus à Catholico quærat; Quomodò Deus sit vnus, si est trinus; Necessariò respondebit, Deitate esse vnum, & personalitatibus esse trinum; sed huiusmodi personalitates, & proprietates Diuinarum Personarum sunt notiones; ergò in Deo dantur notiones; Et ideò subdit S. Th. Essẽtia significatur in Diuinis, vt quod, Persona vt quis, Proprietas autem, vt quo.

Altera ratio est. Pater in Diuinis refertur ad Filium, & ad Spiritum sanctũ; sed non refertur per vnicam relationẽ, quia sic sequeretur, Filium, & Spiritum sanctum vna, & eadem relatione referri ad Patrẽ; Et sic cum sola relatio multiplicet Trinitatem, sequitur, Filium, & Spiritum sanctum non esse duas Personas inter se realiter distinctas; ergo refertur duplici relatione, Paternitate ad Filium, & spiratione ad Spiritum sanctum. Ecce quæ sit notionum necessitas; Nam cum Persona Patris non sit nisi vna, non possumus vtranquè relationem in cõcreto commodè significare; necesse igitur est vti nominibus abstractis, quæ dicuntur proprietates, & notiones, atque ità rectè affirmamus, Patrem paternitate respicere Filium, & Spiritum sanctum spiratione. Plura de hac D. T. ratione legenda sunt apud Caiet. & Canariensem hic.

DISPVT. XXX.

De verò Notionum numero.
D. Th. art. 3. & 4.

Vnica Propositio.

RESpondeo notiones esse quinque, spirationem passiuam, spirationem actiuam, filiationem, Paternitatem, & innascibilitatem, ità D. Th. art. 3. & omnes alij Theologi vno excepto *Scoto in 1. d. 28. quæst. 2. ad 3.* qui addidit sextam notionem, nẽpè inspirabilitatem in Filio, sicut nos ponimus innascibilitatem in Patre. Verum hac ratione possemus etiam addere septimam nempè ingenerabilitatem in S.S. quia tã S.S. est ingenerabilis, sicut Filius est inspirabilis. Item Spi. sanc. nõ est alterius Personæ productiuus, nec Filius alterius Personæ generatiuus; ergo nouem essent multiplicandæ notiones, imò multò plures ad cuiuscunque libitum.

Ad euidentiam igitur nostræ Conclusionis sciendum est ex *S. Th. art. 3. in C.* Notionem esse rationẽ, seù formam

secun-

secundam, quam cognoscitur vna Persona ab alijs duabus distincta. Diuinæ autem Personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet à quo alius, & qui ab alio; & secundum hos duos modos potest innotescere persona. Ex his deducit S. Th. notiones esse quinque, nec plures, nec pauciores hunc in modum; Notio est ratio, seù principium cognoscendi vnā Personam, quatenus ab alijs distinguitur, sed per quinque rationes, & principia cognoscere possumus, Diuinas Personas inter se distingui; ergo quinq; sunt in Diuinis notiones. Minor probatur incipiendo à Patre sic. Pater innotescit nobis non per hoc, quod sit ab alio; quia ipse est primum aliarum personarum principium; Debuit igitur supponi vt persona improducta; secus in Diuinis personis daretur processus in infinitum: Igitur prima persona innotescit nobis per hoc, quod non est ab alio, quæ ratio non innotescit per paternitatem, vt sic, quia Patres in Creatis, ex quibus nos in Æterni Patris cognitionem deuenimus, nō sunt personę sine principio; ergo opus fuit notionem aliam primæ personæ concedere, quæ hanc illius conditionem explicaret; Et hæc est innascibilitas, quę expressè significat rationem primi principij improducti, quod est à se, & nō ab alio; Et hæc est necessitas ponendi innascibilitatem, vt primam notionem; Per hoc verò quod ab illo sit alius, innotescit nobis Pater dupliciter, primò per respectum ad Filium, & sic innotescit paternitate. Secundò per respectum ad Spir. sanc. & sic innotescit media spiratione actiua. Ex his tres iam in Patre Notiones habemus, Innascibilitatem, Paternitatē, & Spirationem actiuam.

Filius autem innotescit nobis dupliciter, primò per hoc, quod est ab alio nascendo; & sic habetur quarta notio, scilicet filiatio. Secundò per hoc, quod Spir. sanc. est ab eodem; & sic habetur spiratio actiua, quæ cùm sit Patri communis, non constituit nouam notionē.

Spir. sanc. autem non potest innotescere nobis per hoc, quod alius sit ab eo. Quia nulla Diuina persona ab eo procedit; Igitur innotescit nobis per hoc; quod ipse est ab alijs duabus Personis; & sic habetur quinta notio; Nēpè processio, vel spiratio passiua.

Ex his deducitur primò notiones includere relationes, proprietates, & personalitates Diuinas; sed non omnē relationem esse proprietatem alicuius Personæ: Igitur se habent, vt superius ad inferius; Siquidem spiratio actiua relatio est; sed non est proprietas, quia est communis Patri, & Filio; Innascibilitas est proprietas, quia soli Patri competit; sed non est relatio, nec proprietas personalis, quia non constituit personam, cum vt infrà dicemus, sit negatio; sicut nec spiratio actiua constituit Personas, quia supponit personas, in quibus reperitur. Remanet igitur, quinque esse notiones, quatuor relationes, seù quatuor proprietates, scilicet Processionem, Filiationem, Paternitatem, Innascibilitatem, & Spirationem actiuam.

tiam. Ità *D. Thoma. art. 3. in fine C.*

Secundò deducitur; licèt vna, & eadem res, vt Ver.gr. filiatio possit esse notio, relatio, proprietas, & personalitas; tamen in modo significandi valdè differunt; Nam filiatio dicitur notio, quatenus est id, quo cognoscitur filius à Patre distinctus: Dicitur relatio, quatenus refert ipsum ad Patrem; Dicitur proprietas, in quantum vni soli personæ cõuenit. Dicitur Personalitas, quatenus est forma hypostatica incommunicabilis, *D. Th. in 1. d. 26. quæst. 2. art. 3. in C. & q. 10. de Potentia art. 5. & 12.*

Tertiò deducitur, Notiones, actus notionales, & origines aliquo modo inter se differre; Nam origo Personæ duplex est; actiua, & passiua, sed actus notionalis est origo actiua, vt generatio, & spiratio, & cum sit actus actionem significans vix vnquam potest propriè sumi pro origine passiua. Notio verò, & actus notionalis differunt per hoc, quod actus notionalis significat viam, & fieri personæ; at notio significat aliquid in facto esse, vt rectè obseruauit Canariensis; & ex ipsa notionis definitione satis colligitur.

Quartò Deducitur, quid dicendum sit ad illam quæstionem, quam *art. 4. D. Th.* pertractat; An erret contra Fidem, qui contrarium de his notionibus opinatur.

11. Respondeo primò non errare directè contra Fidem, quia directè solum nobis reuelatum est, Deum esse vnum in natura, & trinũ in personis, nec Articuli Fidei nostræ sunt directè de notionibus.

Respondeo Secundò negare nomen notionis, vel numerum earum, non est negare aliquid expresè definitum ab Ecclesia, quia hæc definitio non extat, esset tamẽ temerarium hoc facere, quia communi omnium Theologorum, & aliquorum ss. Patrum sententiæ absq; ratione se opponeret:

Respondeo Tertiò si sit sermo de rebus ipsis per notionem significatis, & nõ de solo nomine; aut numero earum, qui de notionibus oppositum opinaretur, erraret contra Fidem saltem indirectè, quia tolleret indirectè mysterium Trinitatis; nam consequenter tolleret indirectè quatuor relationes, & esse ingenitum in Patre, quæ omnia sunt de essentia huius mysterij. Verum quia ad hæresim requiritur pertinacia; Ideò si quis falsum de notionib. opinaretur, non considerans, aliquid ex hoc sequi contra Fidem, is non formaliter, sed tãtum materialiter Hæreticus foret. Et per hoc excusantur aliqui, qui de notionibus contrarium olim sensere.

Argumenta contra Diuinas notiones eneruantur.

At dices primò, Innascibilitatem nõ esse notionem, quia notio, *ex S. Th. ar. 3. ad 4.* significat aliquid pertinens ad dignitatem personæ, sicut ipsa persona dignitatem importat, sed innascibilitas cum sit negatio essendi ab alio, non importat aliquam dignitatem, ergo &c.

Respondeo innascibilitatem non esse puram negationem, sed aliquid positi-

sitiuum, quia esse primum principium absque principio, & esse ipsum Diuinitatis fontem, positiuum quid sapit. Ità tenet *Vasquez disp. 37. cap. 5. & disput. 149. cap. 3.* Verùm quia oppositum expresse sentit *Sanctus Thomas in 1. d. 28. quæst. 1. art. 1. ad 1. & 1. par. q. 33. art. 4. ad 1. Et Sanctus Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 3.* vbi ait. *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Ideò aliter respondetur, non esse de essentia notionis, vt formaliter significet aliquam positiuam personæ dignitatem, sed sufficere, si illã connotet, circumscribat, & in eius ducat cognitionem, quod rectè facit innascibilitas. Nam esse principium sine principio, magna est talis personæ dignitas. Ex quo motus *Hylar lib. 9. de Trinitate*, & alij Patres Græci, Patrem Filio, maiorem appellarunt, non quia Filium æquè esse Deum, vt Patrem non crederent, sed propter hanc maximam Patris auctoritatem, scilicet quia ipse est prima persona, à qua aliæ sunt, & ipsa à nullo est; Propter quam causam etiam Filius in Euangelio semper omnia ad Patrem refert, quem sequuta Ecclesia omnes Orationes ferè semper ad Patrem dirigit.

Secundò probatur spirationem actiuam non esse notionem; quia notio est aliquid speciale, sed spiratio actiua est communis Patri, & Filio, ergo &c. Maior est *S. Th. hic art. 3. ad 5. & D. Basilij Epistola 43.* vbi dicit. *Patrem, & Filium non communicare inter se in proprijs notionibus.*

Respondeo notionem debere esse aliquid speciale, idest debere esse aliquam formam specificam principalem, & indiuiduam, facientem innotescere personam; Non debet tamen omnis notio esse proprietas personæ, ita ut alteri non possit esse communis, vt suprà dictum est; & ità D. Basilius, vt constat ex contextu, non loquitur de quacumque notione, sed de notionibus, quæ sunt proprietates personales.

Tertiò, Non minus Pater est inspirabilis, quam sit innascibilis, sed innascibilitas est notio distincta à Paternitate, ergo & inspirabilitas.

Respondeo Cum S. Th. quæst. 33. art. 4. ad 2. Innascibilitatem non solùm dicere negationem natiuitatis presse, sed negationem cuiuscunq; productionis; Ita ut idem sit Pater innascibilis, & ingenitus, quod habens esse à se, & nullo modo procedens ab alio quacunquè emanatione. Vndè iudicio meo innascibilitas proprius improducibilitas appellanda esset, quæ non solùm Natiuitatem, sed etiam spirationem omnem prorsus excluderet.

Quartò etiam Deus, vt Deus est, est improducibilis; sed etiam Filius, & Spiritus sanctus est Deus, ergo improducibilitas non est notio propria Patris.

Respondeo, Deum esse improducibilem ab alio, vt à causa, non tamen vt à principio, iuxtà illud *Deum de Deo, lumen de lumine*: At Pater est improducibilis ab alio, vt à causa, & vt à principio, & in hoc secundò sensu accipitur notio improducibilitatis.

Quin-

Quintò produci, & esse ab alio non minus conueniunt Filio, & Spir. sancto quam Patri conueniat innascibilitas, ergo esse ab alio erit quædam notio communis Filio, & Spir. sancto, sicut spiratio actiua communis est Patri, & Filio; Et ità sex erunt notiones concedendæ.

Respondeo, Produci, & esse ab alio, si significentur in fieri, non distingui ab originibus. Si sumantur in facto esse, includi in specialibus notionibus filiationis, & processionis; Nec aliquid ab illis distinctum significare, sicut significat spirare. Paulo aliter respondet *S. Th. ar. 3. ad 5*. apud quem nonnulla alia argumenta legi possunt.

QVÆSTIO XXXIII.

De Personis in speciali, & primò de Patre.

DISPVTATIO XXXI.

De Æterni Patris proprietatibus.
D. Th. ab art. 1. ad 4.

PRima Patris proprietas, quæ ante alias supponitur, est esse ingenitum. Nam antequam intelligamus, Patrem esse principium Filij, & Spiritus sancti, oportet supponere illam esse Personam improductam, ne in Diuinis Personis detur processus in infinitum; Vnde etiam de illis suo modo verificatur illud axioma, *Primum in vnoquoque genere est causa ceterorum*. Porrò hoc nomen ingenitum tripliciter sumitur ex S. Th. art. 4. ad 2. Primò vt significat quidquid non est creatum; & hoc modo Ariani teste *Epiphanio Hæresi* 73. Catholicos vocibus decipiebant, fatentes, Patrem esse ingenitum, idest non creatum, & Deum, & Filium genitum, idest factum, & creatũ putabant. Secundò dicitur ingenitum, quod via generationis non procedit, & hoc modo etiam conuenit Spir. sanc. Verum vtraquè ratione ingenitum non est Patris proprietas. Tertiò ingenitum significat negationem cuiuscunquè processionis; & hoc modo est Patris proprietas, quæ, vt dicit S. Thom. art. 4. *in solut. ad* 1. est formalis negatio essendi ab alio, vt supra dictum est; Et hic probatur; quia omne positiuum, quod est in Patre, vel est essentia, vel Paternitas, vel spiratio actiua, sed Pater non dicitur ingenitus ratione essentiæ, quia hæc est communis, & communicabilis alijs personis, Vnde etiam aliæ duæ Personæ ingenitæ dicerentur. Nec ratione Paternitatis, vel spirationis actiuæ, quia sic esse ingenitum non esset notio ab illis distincta, ergo remanet, ingenitum dice-

re-

re de formali negationem principij.

Dices esse ingenitum dicere aliquid positiuum, nempè ipsam Paternitatem non vt relatio est; sed vt forma hypostatica est; & hoc modo sunt duæ notiones ratione distinctæ.

Sed contra nam Paternitas, vt forma hypostatica est, non significat illam personam tali forma constitutam esse primam, & non habere suum esse ab alio. Nam omnis paternitas creata, secundum quam ad Diuinam ascendimus, habet suum esse ab alio; ergo esse ingenitum non potest esse aliquid positiuum; vel si est aliquid positiuum, non erunt nisi quatuor notiones in Diuinis. Confirmatur. Nam hac ratione possemus etiam dicere filiationem, & spirationem passiuã; quatenus sunt relationes, duas constituere notiones; quatenus sunt formæ hypostaticæ duas alias constituere notiones; Sicut hoc idem Aduersarij dicunt de paternitate. Quare non solùm quinque, sed septem forent concedendæ in Diuinis notiones.

Pater num dici possit causa Filij.

Secunda Patris proprietas est, quod sit aliarum duarum Personarum principium; omne enim, à quo aliquid quomodolibet procedit potest dici principium, vt inquit *S. Thomas art. 1 in C.* Non tamen potest dici Pater est causa Filij, vel Spiritus sancti, vt dicunt Patres Græci, quos longa serie cumulat *Vasquez disp. 139. cap. 6.* Nam ex *S. Thoma art. 1. ad 1.* Græci sumunt nomen causæ indifferenter pro principio; quod est dicere, Græcos sumere causam latissimè, vt significat omne illud, à quo aliquid procedit. At apud nos Latinos nomen Causæ videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam vnius ab alio, quæ duo Diuinis personis repugnant. Magis igitur latè patet principium, quam causa; Vndè priuatio est principium naturale, non tamen causa; & punctum est principium lineæ, non tamen causa; Vnde cum Philosophus *quinto Met.* videtur sumere principium, & causam pro eodem, loquitur in subsistendi causa; quatenus omnis causa est principium; sed non omne principium est causa; Nec omnis causa Elementum, vt ibidè docet Philosophus. Quare principium, causa, & Elementum se habent, vt superius ad inferius. Valetquè dicere est Elementum; ergo est causa; ergo est principium; sed non valet dicere est principium; ergo est causa; ergo est Elementum.

Neque dicas, principium, & principiatum sunt correlatiua: Si ergo Pater dicitur principium Filij, sequitur Filium, & Spiritum sanctum dici à Patre principiatos.

Respondet enim *S. Th. art. 1. ad 2* apud Græcos inueniri de Filio, & Spiritu sancto, quod principientur; sed hoc non est in vsu nostrorum Doctorum: Ego dicerem, principiatum posse sumi dupliciter; primò, vt significat trahere ab alio originem: Secundò vt

 signi-

significat principium durationis; Iuxtà illud Genes. 1. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Primò modo dici potest Filium, & Spiritum sanctum à Patre principiatos; sed nõ secundo modo, aut quocunquè alio, quò significetur eos ipsi Patri subiectos esse, aut illo fore minores.

Principium, vt dicitur de Deo, ad intra, & de eodem ad extrà. An sit vnivocum.

Respondeo esse analogum analogia proportionis. Ratio est, quia vbi est perfectius, & minus perfectum in aliqua ratione communi, ibi est analogia, sed ratio principij multò perfectiori modo conuenit Deo, quatenus est principium ad intra, quam ad extra; Nam quatenus est principium ad intra, est principium infinitum, & productiuum Diuinæ personæ, quatenus est principium ad extra est solùm productiuum rei finitæ, & creatæ; sicuti igitur substantia, & ens sunt quid analogum ad esse finitum, & infinitum. Ità similiter de ratione principij dicendum est; Et ità tenet *S. Th. quæst. 33. art. 2. ad 4.*

An hæc locutio sit admittenda. Pater auctor est Filij, & Filius est auctor Spiritus sanctus.

Respondeo Admitti posse: Nam *August. lib. 3. contra Maximim. cap. 4.* Patrem vocat Filij auctorem; & eandem loquutionem admittit *S. T. hic ar. 1.* dicens, hanc vocem significare primum principium, ex quo fieret, Filium non posse dici auctorem Spiritus sancti. Verum hanc loquutionem admittit *Sanctus Hylarius lib. 2. de Trinit.* vbi Patrem, & Filium vocat auctorem Spiritus sancti.

An Pater possit dici initium Filij sui.

Respondeo hanc loquutionem esse suspectam, quia initium ex sua vsitata phrasi significat initium durationis, vt notauit *S. Thomas in 1. d. 29. quæst. 1. art. 1.* Vnde dum quis diceret, patrem esse initium filij, videretur insinuare Arianam Hæresim, & filium non esse æternum, & patri consubstantialem. Si tamen quis nota aliqua declararet, se sumere initium pro principio rei, non pro principio durationis, talis loquutio vtique admitti posset; vt docet *D. Bonauentura in 1. d. 29. art. 1. quæst. 1. ad 2.*

An dici possit, Pater est principium totius Deitatis, & Trinitatis.

Respondeo secundũ sermonis proprietatem hæc dici non posse, quia principiatum distinguitur realiter à patre; Sed Deitas non distinguitur realiter à patre, nec Trinitas distinguitur realiter à se ipsa; Vnde licèt Sanctus Augustinus, quem *in Argumento, sed contra art. 1. refert Sanctus Thomas*, & alij patres, *quos Suarez lib. 8. de Trinitate c. 3.* adducit, ita fuerint loquuti; attamen vt benè hic monet Canariẽsis, interdum non nobis permittitur, vti omnium patrum loquutionibus; ne demus occasionem simplicibus errandi, quam neutiquam ipsi suo tempore dederunt; oportet enim tempori nos frequenter accomodare. Deindè ta-

lis

lis locutio exponitur cōmuniter hunc modum. Pater est principium totius Deitatis, idest Pater est origo omnis Personæ, cui Diuinitas ipsa communicatur; Et similiter Pater dicitur à *Concilio Vormatiensi in Fide confessione*, principium Trinitatis; quia Pater est fons, à quo dicunt originem aliæ duæ personæ. Vnde sicut vnitas potest dici principiū Ternarij, etsi in Ternario inclusa maneat: Ità Pater potest dici principium Trinitatis, etsi in Trinitate ipsa includatur.

Tertia Primæ personæ proprietas, quæ post duas præcedentes consurgit, est esse Patrem. Nam primò concipere debemus primam personam improductam, deindè hanc personam esse principium Filij per intellectū, postremò in tertiò signo rationis consurgere in illa relationem Patris ad Filium. Paternitas enim fundatur in generatione actiua, & per consequens supponit ipsam generationem actiuam, vt rationē fundandi. Ex quo sequitur, Patrem supponere primam Personam, vt primum principium in actu, quæ persona constituitur paternitate, non vt relatio est; sed vt forma hypostatica est; Ceterum circa hoc nomen Patris duo manent soluenda dubiola, quorum primum est.

An Pater, vt est, quid commune Patri in Creatis, & Patri in Diuinis sit analogum.

Respondeo cum *S. Thom. ar. 2. ad 4.* esse analogum: Et probat, quia de ratione generantis est, quod generet sibi simile secundum formam, sed forma in Diuinis est eadem numero, quæ Verbo communicatur; In Creatis autem est numero diuersa, ergo generatio, & per consequens Paternitas prius dicitur de Deo, quam de Creaturis, in quibus ratio generationis est diminuta, nempè solùm secundum aliqualem naturæ similitudinem, non verò per communicationem eiusdem numero naturæ, vt fit in Diuinis.

Secundò dubitatur, An hoc nomen Patris, vt conuenit Deo ad extra, & primæ personæ ad intra sit analogum.

Respondet idem S. Th. art. 3. esse analogum analogia attributionis; rationem affert, quia paternitas in Patre Æterno respectu processionis ad intra perfectissimè impletur, sed respectu Creaturarum solùm secundum aliquid: ergo intercedit hic analogia. Antecedens explicatur sic. Nam Deus respectu Creaturarum potest dici Pater quadrupliciter. Primò ratione Creationis iuxtà illud *Iob. 38. Quis est Pluuiæ Pater, aut quis genuit stillas roris?* sed cùm non sit vna natura Creatoris, & Creaturæ, ideò non est hic filiatio, nisi secundum aliqualem similitudinem, quatenus in omnibus Creaturis Dei vestigium relucet. Secundò Deus dicitur Pater magis propriè respectu Creaturæ rationalis, iuxtà illud *Deuter. 32. Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Sed hic similiter nō est eadem natura Creaturæ rationalis, & Creatoris, sed solùm similitudo imaginis. Tertiò Di-

citur Pater Iustorum adoptiuus, iuxtà illud *ad Rom. 8. Ipse Spiritus testimoniū reddidit spiritui nostro quod sumus filij Dei*. Quartò dicitur Pater aliquorum per gloriam, iuxtà illud ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*; sed vtroque modo paternitas, & filiatio est solùm diminuta; quia non est naturalis, sed adoptiua, & communicatio naturæ non est secundum formam substātialem, sed solùm secundum formam accidentalem; Et ideò Pater per prius dicitur de prima persona ad intra, quā de Deo ad extra.

Cōfirmatur ex dictis supra, vbi ostēsum fuit rationem principij primò conuenire Deo, vt est principium ad intrà, quam vt est principium ad extra. Quæ ratio idem probat de Patre.

Quarta Patris proprietas est, quod sit spirator, sed quia hæc est communis Filio, & Correlatiua sunt simul cognitione. Ideò agentes de Spir. sancto, seù de spiratione passiua, quæ digna scitu erunt, ibidem de spiratione trademus.

QVÆSTIO XXXIV.

De Persona Filij.

DISPVTATIO XXXII.

De natura, & conditionibus Verbi mentalis creati.
Ad art. 1. S. Thomę.

VErbum Diuinum occultissimū non aliter nobis innotescere potest, quam per Verbi mentalis nostri notitiam, quod est imago illius perfectissima, ideò quæcūq; de Verbo creato scitu digna sunt, hic præmittere visum est, vt per ea veluti per gradus quosdam ad Diuini Verbi emanationem ascendamus. Audi S. August. *lib. 15. de Trinit. cap. 11.* optimè de more sic scribentem. *Quicunque*, inquit, *cupit ad qualemcumquè similitudinem Dei Verbi quamuis per multa dissimilem peruenire, non intueatur Verbum nostrū, quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur; sed transeunda sunt hæc, vt ad illud perueniamus hominis verbū, per cuius qualemcumque similitudinē sicut in ænigmate videntur vtcumque Dei Verbum, et amor. Perueniendum ergo est ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo nata, sed à Deo factæ imaginis Dei, quod neq; prolatiuum est in sono, neque cogitatiuū in similitudinem Soni, quod alicuius linguæ est necesse sit, sed quod omnia, quibus significatur, signa præcedit, & gignitur de scientia, quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur sicuti est. Simil-*

millima est visio cogitationis visioni sciẽtiæ. Nam quando persona dicitur, vel per aliquot corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicuti potest videri, audiriuè per corpus. Quando ergo in notitia est hoc est in Verbo, tunc est verum verbũ, & veritas, qualis expectatur ab homine, vt quod est in isto, hoc sit, & in illo, quod non est in isto, nec sit in illo. Hic agnoscitur est est, non non. Sic accedit quantum potest ista similitudo imaginis facta ad illam similitudinem imaginis natæ, qua Dei Filius Patri per omnia substantialiter similis prædicatur. Hactenus Sanctus Augustinus.

De significatione huius vocis Verbum.

Verbum dupliciter sumitur, impropriè, & propriè: Impropriè modo significat imperium. *Ad Habreos 1. Portans omnia verbo virtutis suæ*, idest imperio suę potētiæ omnia gubernans, vt Glosa ibi exponit. Sæpe significat rem conceptam per verbum interius, siuè obiectum repræsentatum, *Exodi 15. Cras faciet Dominus verbũ istud* idest faciet id, quod hoc verbo, & conceptu significatur. *Lucæ 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, idest nulla res erit Deo impossibilis, *1. Regũ 3. Ecce ego facio Verbum*, idest omne, *quod quicumq; audierit, tinnient ambæ aures eius.*

Verbum propriè sumptum multiplex est, *Est enim*, inquit Sanctus Thomas Opusc. 59. cap. 8. ex S. Augustino. *Verbum cordis, quod mente concipitur, et est verbum oris, quod aure percipitur, et est verbum vocis, quod oculo cognoscitur, & est verbum scriptum, quod in charta legitur. Primum est verbum hominis ad se ipsum. Secundum est vnius hominis ad alterum præsentem. Tertium similiter ad alium præsentem. Quartum est vnius hominis ad alium absentem loco, vel tempore, vel vtroque*, & statim subditur ex eodem August. *Quod cogitatio hominis in corde formata, quæ dicitur conceptus mentis, est verbum cordis, quod neque Græcum, neque Latinum, neque alterius linguæ est*, & addit, *Verbum quod foris fit, idest quod foris sonat, est signũ verbi, quod intus latet, cui magis competat nomen verbi. Nam quod ore carnis profertur, non est verbum.*

Propriùs tamen diuiditur verbum in mentale, vocale, & imaginabile, ad quæ capita alia reducuntur; quam diuisionem habet hic S. *Thomas art. 1. in C. & Sanctus Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ c. 14.* vbi sic scribit. *Tripliciter verbum intelligitur. Vel cum homo verbum ore profert, vel cum idem verbum homo absq; motu linguæ in corde suo format, vel cum ipsa res, quam significat verbum, intellectu concipitur.*

Quod si quæras, quod magis propriè ex his tribus dicatur verbum. Respondeo cum S. Thom. & Caiet. hic, secũdum nominis impositionẽ prius dici de verbo vocali, ex quo nomen verbi translatum est ad verbum mentale, & imaginarium, sed secundum rem significatam prius dici de verbo mentali,

li; Secundò de imaginario; Tertio de vocali; quidquid Caietanus præferat verbum vocale verbo imaginationis, quod non formaliter, sed causaliter ver bum dici opinatur. Sed Caietano non consentio. Moueor, quia verbum mentale magis repræsentat obiectum, quam imaginarium; & hoc magis quam vocale, quæ repræsentat solum extrinsecè ab humana voluntate; idem dixit *sanctus Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 11.* & S. Thom. Opusc. citato, vbi saltem præfert verbũ mentale verbo vocali. *Verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis verbi competit nomen &c.* est ergo vox verbi analoga analogia proportionis.

Hinc deducitur verbum phantasiæ non solùm causaliter, vt docet hic *Caietanus*, & ante eum *Scotus in 1. dist. 27. quæst. 1. ad primum.* sed etiam formaliter dici tale. Nam participatione intellectus, imaginatio hominis interius dicitur loqui eo ipso, quo cogitat, & non solùm dicitur verbum vocis appræhendere, sed aliquid sibi intus repræsentare; experimur enim in somnis nos habere expressas rerum similitudines, & idola quædam: Sed similitudo expressa propriè verbũ est, quod minus rectè negauit *Henricus de Burghis in suis Paradoxis ad Henricum Gandauensem in Paradoxo de verbo*, ea ratione per motus, quod aliàs etiam bruta sibi ipsi, & alijs loqui dicerentur, cum in phantasia rerum simulacra habeant. At si bruta idola rerũ habent intus expressa, quid prohibet dici, illa sibi ipsis de rebus singularibus appræhensis loqui? non tamen alijs bruta loquuntur, quia vocib. articulatis carent. Et ideò verbum phantasiæ esse propriè verbũ supponunt manifestè S. Augustinus, & S. Thomas in trimembri verbi diuisione iam allata, & omnibus his tribus modis asserunt, verbum propriè dici, cui traditioni consentiunt *Vasquez in commentario huius articuli, Molina quæst. 27. ar. 1. disp. 6. Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 2.* & alij Recentiores.

Quod etiam manifestè probari videtur ex *S. Anselmo in Monologio cap. 9.* vbi sequentia verba legi, *Frequenti nãque vsu cognoscitur, quia rem vnam tripliciter loqui possumus: Aut enim res loquimur signis sensibilibus, idest quæ sensibus corporeis sentiri possunt, sensibiliter vtendo, aut eadem signa, quæ foris sensibilia sunt, intra nos insensibiliter cogitando, aut nec sensibiliter his signis vtendo, sed res ipsas, vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu pro rerum ipsarum diuersitate intus in nostra mente dicẽdo. Aliter namque hominem dico, cum eum hoc nomine, quod est homo, significo: aliter cum idem nomen tacens cogito, aliter cum eum ipsum hominem mens, aut per corporis imaginem, aut per rationem intuetur, per corporis quidem imaginem, cum eius sensibilem figuram imaginatur, per rationem verò, vt cum vniuersalem eius essentiam, quæ est animal rationale mortale cogitat. Hæ verò tres loquendi varietates, singulæ verbis sui generis constant.* Ex hoc Anselmi testimo-

monio habemus tres esse loquēdi species, oris, imaginationis, intellectus, consequenter tria erunt verborum genera, quibus respondent tres modi dicendi, oris, imaginationis, intellectus.

Verbum mentis, quod magis propriè verbum est, multis nominibus appellatur à D. Th. & à reliquis Theologis. Primò dicitur conceptio rei intellectæ 1. *par. quæst.* 27. *art.* 1. Secundò cōceptio intellectus, vt 4. *cont. gent. cap.* 12. vbi dicit, *ipsa conceptio intellectus, quæ est interius verbum*. Tertiò dicitur intentio intellecta, vt *eodem lib. cap.* 11. Quartò interius intellectum, *quæst.* 4. *de verit. art.* 1. Quintò operatio intelligentis, *in* 1. *dis.* 27. *q.* 2. *ar.* 2. *ad* 2. Sextò species intellecta eodem loco. Septimò appellat intentionem rei intellectæ, vt 1. *contra gentes cap.* 51. Octauò verbum dicitur species expressa ab intellectu, 4. *contra gent. cap.* 11. quia est actus secundus intellectus, proles, & partus illius mentalis, & alio nomine notitia genita, vel expressa *q.* 4. *de verit. ar.* 2. *ad* 2. Vnde S. Aug. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 11. hæc habet. *sicut Filius procedit per modum naturæ per omnia Patri similis, sic verbum intellectus à mente procedit per modum naturę per omnia ei simile, & æquale: vnde dicitur mentis conceptio*.

De necessitate verbi mentalis.

Necessitas ponendi verbum non fuit simpliciter, & vniuersaliter ad intelligendum, quasi verbum sit forma nostræ intellectionis, secus Beati, qui, vt mox demonstrabitur, verbum non formant, Deum non intelligerent, item Filius, & Spiritus sanctus, quibus non cōpetit producere verbum, omni prorsus intellectione carerent, ergo actus intelligendi non fit formaliter per verbum, sed isti differunt inter se, vt multis supra Disp. 3. demonstratum à nobis fuit.

Benè verum est quod loquendo de statu viæ, omnis creata intellectio secū trahit verbum, seu ad verbum creatum terminatur, secus in Diuinis, cuius rei discrimen assignat S. D. *q.* 4. *de ver. ar.* 2. *ad* 5. ijs verbis. *in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est exprimere aliquam cōceptionem, nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, & ideò omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere, sed Deus potest intelligere sine hoc, quod aliquid ab ipso procedat secundum rem, quia in eo idem est intellectus, & intellectum, & intelligere, quod in nobis non accidit, & ideò non omne intelligere in Deo propriè loquendo est dicere.*

Necessitas ergo ponendi in nobis viatoribus verbum ex duplici capite prouenit. Primò vt res intellecta fiat obiectiuè intellectui præsens, sine qua præsentia obiectiua expressa non stat intellectio. Nam cum ex intellectu, & re intellecta magis fiat vnum, quam ex materia, & forma, ipseque intellectus fiat intellectione res intellecta, oportet quod obiectum fiat intellectui pro-

por-

primò cognoscitur, ad quod operatio nostri intellectus primò terminatur; item *in 1. d. 27. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 1.* vocat verbum *speciem intellectam*, & alibi vt supra vidimus *interius intellectum*, *intentionem intellectā*; quæ nomina denotant ipsum verbum primò attingi, & intelligi ab intellectu, secus ineptè diceretur species intellecta, intentiò intellecta, interius intellectum, si ipsum verbum nullo modo actione intelligendi intelligeretur.

Neque vrget locus ex *lib. 4. contra Gentes cap. 11.* vbi videtur velle verbū cognosci solo actu reflexo. *Aliud est*, inquit, *intelligere rem: & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur; vnde & aliæ scientiæ sunt de rebus, & aliæ de intentionibus intellectus*. Nam respondetur vtrūque tradi à S. D. nempè verbum simùl cum re intellecta primò cognosci, & pariter actu reflexo, vbi incognito obiecto, verbum ipsum attingitur, exemplo actus intelligendi, quem experimento cognosco, cum aliquid intelligo, & simùl reflexè, dum de solo actu cognitionis discurro.

Certum sit igitur ex manifesta D. Tho. mente verbum, esse id quo, & in quo, & quod intellectus cognoscit, & per illud, & in illo exterius obiectum. Quam sententiam sequuntur omnes Thomistæ, *Capreolus in 1. d. 27. quæst. 2. ar. 3. ad 3. Caietanus 1. par. quæst. 27. ar. 1. ad 4. dubitationem*, & ibidem Bannes *post Conclus. 7. ad 3. Ferrariēsis 1. contra Gentes cap. 53. & lib. 3. cap. 53.* & hanc esse mentem S. Th. fatetur *Vasquez* licèt contradicat *1. par. disp. 39. cap. 2.*

Rationibus eadem veritas suadetur. Primò experientia. Nam dū rem aliquā speculamur, vel absentē percipimus, exprimur nos intus formare quoddam rei cognitæ Idolum, in quo tanquam in speculo obiectum attingimus; item quia nulla res est apta aliquid alteri actu repræsentare, nisi prius ipsa dignoscatur. Sic enim voces primò auditę aliud repræsentant, & imago Pontificis prius visa ducit nos in cognitionem rei repræsentatæ, sed verbū repræsentat nobis obiectū, ergo verbum est primò cognitū, & ratio cognoscendi alia, & ita est id quod cognoscitur immediatè, & quò mediante exterius obiectum dignoscitur, & sic est id quod, & in quo.

Dices nos dum intelligimus, nequaquam experiri primò à nobis intelligi verbum, & per verbum obiectum, cum vix, quid sit verbum, sciamus. Respondeo *cum Caiet.* hoc prouenire, quia nos non discernimus inter verbum, vt rem, & verbum, vt rei imaginem, & causa huius duplex est. Prima, quia verbum nil est aliud quam intētio, seù res intellecta intus manens, adeò obiecto similis, vt omnimodè inter se conueniant, & ità vix discernatur, quod nam sit exēplar, & quod exemplatū. Secunda est, quia teste *Arist. primò de memoria, & reminisc. c. 2.* eodem motu quis mouetur in imaginem, & in rem, cuius est imago, & ità non discernimus co-

Dd gni-

gnitionem imaginis à cognitione rei per imaginem repræsentatæ.

Dices secūdò si in omni intellectione verbum ipsum est primò cognitum, ergo quælibet intellectio erit reflexa, quia habebit pro obiecto ipsum verbum, quo mediante intelligit. Respōdeo cum *S. Thom. Opusc. 13. de natura verbi* negando sequelam, tùm ob rationem allatam, quia eodē motu quis mouetur in imaginem, & in rem repręsentatam etiam in cognitione directa, vt patet dum intueor B. M. V. imaginem; talis enim cognitio nequaquam est reflexa; Item quia cognitio reflexa tunc propriè contingit, quando intellectus cognoscit se intelligere per duplicatum conceptum, in quo casu primus conceptus est obiectum directum, & adæquatum alterius, at in casu nostro vnicus est conceptus, qui fertur in verbum, & in eius obiectum.

Dices tertiò obiectum supponitur ante cognitionem; si ergo verbum est primò cognitum, & primariū obiectū, p quod cognoscitur obiectū exterius, sequitur verbū præsupponi ante intellectionem, quod non solùm est impossibile, sed etiam est contra superius dicta, vbi docuimus productionem verbi, & intellectionem esse vnam, & simplicem actionem. Respondeo in cognitione speculatiua obiectum pręsupponitur ante cognitionem. At secus est in cognitione practica, & factiua sui obiecti, cum mediante ipsa cognitione producatur.

De verbi mentalis quidditate, & definitione.

Ex his deducitur, quid verè, & propriè sit verbum mētale, quod licèt obscurissimum, & ab omni sensu remotissimum, tamen non incongruè sic definiri posset. *verbum mentale est qualitas intentionalis ab intellectu expressa, quæ est intellectionis terminus, ac vitalis rei intellectæ imago, & idolum à specie impressa exemplatum.* Dicitur qualitas qualificans intellectum, vt recederem ab illa opinione, quæ asserit, verbum esse de genere relatiuorum secundum esse, & includere formalem respectū realem ad dicentem, vt effectum ad suā causam, & respectum rationis ad rem dictam. Sic *Torres ad q. 27. S. T. ar. 1. disp. 2. cuius opinioni non assentimur.*

Nam licèt verbum secundariò, vt effectus causam respiciat dicentem, nō tamen sequitur esse de genere relatiuorum, secus omnes effectus creati essent relationes; est ergo verbū primò qualitas absoluta, cui secundariò huiusmodi respectus cōuenit. Quod facilè suadetur, tùm quia verbum est similitudo obiecti, sed similitudo fundatur in aliqua forma, in qua plura inter se cōueniant; tùm quia verbum per se primò fit ab intellectu. Relatio non fit, sed consurgit, supposito fundamento, & termino, nam ad relationem non datur motus, tùm quia verbū est proles, partus, & notitia genita, ab anima concipiente, sed partus, & genitum

non

non est relatio sola, sed substantia est illa, quæ generatur, ergo similiter verbum creatum non erit sola relatio, sed qualitas absoluta. Demũ, quia sic expressè scriptum reliquit sanctissimus Præceptor *in 1. dis. 27. quæst. 2. ar. 2. quæst. 1.* his verbis. *Hoc nomen verbum non significat relationem, sicut hoc nomen Pater, vel Filius, sed imponitur ad significandam rem aliquam absolutam simul cum respectu, sicut hoc nomen scientia, sed in hoc differt, quia relatio, quæ importatur hoc nomine scientia, non est relatio originis, secundum quam refertur scientia ad illud, à quo est, sed est relatio, secundum quam refertur ad illud, ad quod est, scilicet ad scibile. Sed hoc nomẽ verbum importat relationem, secũdum quam refertur ad illud, à quo est scilicet ad dicentem.*

Dicitur secundò loco qualitas intẽtionalis ad differentiã qualitatum sensibilium, & vt intelligamus illam esse qualitatem ordinatam ad intellectionem saltem vt terminũ. Tertiò dicitur ab intellectu expressa, ad differentiam speciei impressæ, quæ est quidem qualitas intẽtionalis, sed ab intellectu possibili minimè producta, sed vel infusa, vel producta ab intellectu agente. Dicitur terminus intellectionis, quia est, id, in quo, & per quod intellectus intuetur obiectum; & ideò *D. Th. quæst. 4. de verit. art. 2. in C.* docuit operationem intellectus ad verbum terminari, *&. quæst. 8. de potentia art. 1. in C.* ait: *Differt autem*, scilicet verbum, *ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, et quasi quoddam per ipsum constitutum.* Dicitur Idolum, & imago rei intellectæ, quia verbum nil aliud est, quam quædam vitalis pictura in tabula intellectus descripta, ex propria differentia obiectũ repræsentans, & manifestans, adeò vt esse repræsentatiuum, & manifestatiuum obiecti sit vltima eiusdem differentia.

Quod si quis interroget, ad quam speciem qualitatis sit verbum reducendum. Respondeo esse reducendum ad quartã speciẽ qualitatis, in qua figura, & forma collocatur. Est enim verbũ forma quædam, & figura obiecti exemplata à specie impressa eiusdem; ita vt sicut Statua Cæsaris est figura eiusdem artificialis, ità verbum Cæsaris est figura eiusdem vitalis, & intentionalis.

DISPVT. XXXIII.

Vtrum Beati videndo Deum forment verbum creatum.

PArtem affirmatiuam tenent *Valent. Molin. Vasquez 1. par. quæst. 12. ar. 2. Suarez lib. 2. de Attrib. c. 1.* [illegible] *Ioan. de salas in 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 2. prob. 1. ex S. Th. 1. par. q. 27. ar. 1. in corpore*, vbi probans dari processionem in Diuinis, id demonstrat ex natura intellectionis, vt sic, *Quicumquè intelligit*, inquit, *eo ipso quod intelligit producit verbum*, dum dicit eo ipso, idem est, ac si dixisset ex natura intellectionis, vt sic, at Beatus De-

um intelligit, ergo producit verbum, & *quæst. 4. de verit. art. 2. in corpore* docet in omni cognitione verbum formari, & hoc inquit. *vniuersaliter verum est de omni, quod à nobis intelligitur, siuè per essentiam videatur, siuè per similitudinem*, ergo Beatos, qui vident Deum per essentiam, verbum producere, est aperta D. Th. sententia.

Secundò probatur eandem esse mẽtem D. August. *qui lib. 14. de Trinit. c. 17.* exponens illud Ioan. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eũ sicuti est. Hinc*, inquit, *apparet, tunc in ista imagine Dei fieri illius plenam similitudinem, quando eius plenam perceperit visionem.*; sed verbum est plena similitudo obiecti, ergo ex mente S. August. Beati formant verbum. Idem clarius habet *lib. de Trinit. cap. 16. cogitatio*, ait, *nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata verbum nostrum est*, & subdit. *Tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neq; mentiemur, neq; fallemur*, dum in Patria nos verbum nostrum habere tradit S. Aug. de illius hac in re mente ambigendum non videtur, scilicet Beatos verbum creatum formare.

Tertiò idem probatur rationib. Prima est, quia omnis actio habet suum terminũ, quia non potest intelligi productio, si non sit productum, sed visio beata est vera actio, ergo visio beata producit verbum, quod nihil est aliud, quam intellectionis terminus.

Quartò cognoscere est quasi penicillo quodam vitali depingere, & exprimere vitalem obiecti imaginẽ per speciẽ impressam præsentati, sed Beatus cognoscit Deum actu creato, ergo per quid creatũ exprimet vitalem eius imaginẽ, quod nihil est aliud, quam verbum producere.

Quinto visio beata est qualitas ab intellectu beatifico producta ad intelligendum, sed hæc qualitas est verbũ creatum, ergo in visione beata est verbum creatum. Maior patet, quia visio est quid factum, & non est substantia, sed accidens, ergo est qualitas, cùm nec relatio, nec quantitas, nec quid aliud esse possit.

Sextò si vbi obiectum est præsens, & potentiæ proportionatum, tunc non producitur verbum, vt dicunt Thomistæ, ergo Pater non produceret verbũ in Diuinis, cũ Diuina essentia sit obiectum intellectui Diuino perpetuò præsens, & illi maximè proportionatum.

Unica Propositio.

Respondeo Beatos Deum clarè videntes nullo modo formare verbum creatum, sed verbum increatum esse illis terminum beatæ visionis. Ità D. T. *d. q. 12. ar. 2.* vbi negat omnem creatam similitudinem Diuinæ essentiæ, cuius rationes equidem efficaces non essent, si tùm impressam, tùm etiam expressam similitudinum non exclusisset; eandem sententiam sequitur *Caiet. d. art. 2. & quæst. 27. art. 1. Ferrar. 1. contrà Gent. cap 53.* licèt addat vtramquè sententiã in Doctrina S. Th. esse

esse probabilem, & ideò plures Thomistæ eius auctoritate decepti sustinent Beatos formare verbum creatum, vt *Raphael Zanardus d. q. 12. ar. 2* & alij, sed manifestè falluntur, vt facilè constabit ponderanti verba illius articuli secundi, & alia eiusdem testimonia mox afferrenda, & ideò *Nazarius, Bannes, Ripa d. ar. 2.* & alij in Doctrina D. Th. admodum versati, nostram sententiã patrocinantur; Quæ primò probatur. Magis clara, & distincta similitudo est verbum, quam species impressa, sed nulla potest dari similitudo creata impressa repręsentans Dei quidditatẽ vt in se est, vt supponitur ex eadem 1. *par q. 12. ar. 2.* ergo neq; potest dari verbum creatum, quod sit formalis, & realis similitudo quidditatis Dei.

Secundò verbum in nostro intellectu non alia ratione ponitur esse terminus nostræ intellectionis, nisi vt intellectus informatus similitudine expressa, fiat res intellecta, vt dixi Disput. præcedenti: verbum enim stat loco obiecti intellecti intrà animam constituti, & eidem media intellectione vitaliter præsentati. Quare si obiectum ipsũ, per se ipsum poterit immediatè intellectionem terminare, tunc verbum superuacaneum erit; cessabit enim idolum, vmbra, & figura, vbi est realitas, & veritas ipsa obiecti cogniti. Sic autem in visione beata contingit, in qua Diuina essentia, non solùm vt forma intelligibilis, sed etiam vt forma intellecta immediatè intellectui beatorum vnitur, consequenter illa erit terminus beatæ visionis immediatus; ex quo sequitur ibi nullũ esse verbũ creatũ, sed ipsam Diuinam essentiã fungi munere speciei impressę, & expressæ, & cum primum omnes ferè Theologi admittant, vt quid in secũdò casu admittẽdo, tàm difficiles, & morosos se ostendunt?

Tertiò si Beati formant verbũ creatum, sequitur ipsos videre Deum, & non videre Deum, consequens est hæreticum; ergo: sequela probatur visio Dei beata est visio immediata, & intuitiua Diuinæ essentiæ, sed verbum est medium, quod primò cognoscitur, & in illo, vt in simulacro videtur obiectum, vt constat ex testimonijs S. Th. & rationibus supra allatis, ergo si Beati formant verbũ, sequitur eos immediatè videre quid creatum, & sic non videre Deum. Confirmatur hoc argumentum. Nullum creatum potest esse primarium nostrę beatitudinis obiectum, sed verbum est quid creatum, & ipsum (vt ex dictis est manifestum) est primarium obiectum cognitionis, in quo relucet obiectum, ergo in visione beata nullum est verbum creatũ.

Dices si hæc ratio cõcluderet, sequitur ex ea euerti omnem nostram cognitionem intuitiuam naturalem, in qua semper est verbum. Respondeo quando verbum est eiusdem omninò rationis, quidditatis, & speciei cum suo obiecto, nec non æquè perfectum, ac sit illud, vt contingit in cognitione naturali intuitiua obiecti naturalis, tũc cognitionẽ mediatam per verbum nõ tollere visionem intuitiuã, & claram.

At

At secus est quando medium est inferius ordinis ab obiecto, & inter se quidditatiuè differunt, sicut differt verbum creatum à Deo increato, & quod dicitur de verbo, idem proportionaliter de specie impressa est dicendum: & sic cessat obiectio.

Quartò argumentor. Si Beati formant necessariò verbum creatum, id cōtinget ob duas aduersariorū præcipuas rationes, quarum prior est, quia verbum est forma constituens intellectum actu intelligentem. Si ergo Beatus intelligit Deum, necessariò sequitur ipsum vi suæ facultatis producere similitudinem expressam Dei, quæ est verbum. At hæc ratio vtroque pede claudicat. Siquidem Pater Æternus in primò signo intelligit, antequā producat verbum, tùm quia in Patre non tàm est intellectus in potentia, quàm ipsum intelligere in actu, verbum enim est sapientia genitā, à sapientia generante, ipseque Æternus Pater non producit verbum ad intelligēdum, sed ex intelligentia, vt inquit *S. August. lib. 7. de Trinit. cap. 3. & lib. 15. cap. 7.* Si ergo in Patre est actuale intelligere in priori signo, quam producat verbū, ergo in eo signo est intelligere sine verbo, ergo verbum non est vniuersaliter forma intelligendi, nam ablata forma non remanet effectus eius formalis. Idem clarius apparet in Filio, & Spiritui sancto, qui intelligunt per intellectionem essentialem, & communē Trinitati, cum tamen nullū detur verbum essentiale toti Trinitati commune, vt docet *S. Th. 1. p. quæst. 34. art. 1.* & fatentur etiā aduersarij omnes quos in sequēti Disputatione producemus, ergo sicut in Diuinis datur vera intellectio in Filio, & Spiritu sancto, quæ formaliter non habetur per verbū, ita dari etiam poterit visio beata absquè verbo, cum visio beata Sanctorum sit quædam Diuinæ visionis participatio.

Altera Aduersariorū ratio est, quia omnis operatio habet operatum, & terminum; sed verbum est terminus intellectionis, ergo in visione beata verbum necessariò producitur. At hęc ratio in doctrina S. T. nullo modo subsistere potest, ergo in doctrina S. Tho. Beati nō formant verbū. Prob. assumptum manifestis eiusdem testimonijs, nā primò per operationē volūtatis nō producitur aliquis terminus, sicut per intellectionem sæpe verbum producitur. Hęc docet *S. Th. quæst. 4. de verit. art. 2. ad 7.* his verbis. *Hæc autem est differentia inter intellectum, & voluntatem, quia operatio voluntatis terminatur ad res, in quibus est bonum, et malum, sed operatio intellectus terminatur in mente, in qua est verum, & falsum, vt dicitur 6. Met. t. 8.* & Opusc. 13. de natura verbi, inquit, *verbum formari per solam perfectam veritatis contemplationem, non verò per inquisitionem, & quamdiu intellectus ratiocinando huc illucquè iactatur*, ergo non in quacumq; operatione, intellectus ratiocinatis producitur verbū: Tertiò idē docet de visione corporali, quæ nullā pro-

producit qualitatem, quæ sit formalis similitudo obiecti, & terminus operationis, sed ipsa visio immediatè fertur in rem visam. Hanc Doctrinam habet *S. Th. Quodlib. 5. art. 9. ad 2.* his verbis. *Sicut cognitio sensus exterius perficitur per solam immutationem sensus à sensibili, vnde per formam, quæ sibi à sensibili imprimitur, sentit, nō autē sensus exterior format sibi aliquam formā sensibilem, hoc enim facit virtus imaginatiua; cuius forma quodammodo simile est verbum intellectus.* Hic vides S. Th. posuere discrimē inter sensum exteriorem visus, & phantasiam; quod hæc format imaginem aliquam intentionalem, quæ respondet verbo mentali intellectus, visus autē nullā format qualitatem, aut imaginem intentionalem. Ratione etiam idem probatur, quia obiectum potentiæ visiuæ debet esse illi proportionatum, & præsens obiectiuè, vnde potentia mea visiua ad obiectum immediatè terminatur, & nō ad Idolum, vt facit intellectus, & phantasia, idem ergo in visione beata continget, quæ non fertur immediatè in Idolum ab intellectu effectum, quod verbū vocamus, sed in ipsam Diuinæ essentiæ realitatem, & propterea illa dicitur visio intuitiua, & facialis.

Vltimò visio beata ab omnibus Theologis, & præsertim à Diuo Augustino visio in verbo dici solet, at non alia ratione nisi quia Diuina essentia est terminus beatæ visionis, & verbum eiusdem, quod à Beatis vitali quodam cōtactu cognoscitiuo attingitur. Nam si essentia Diuina solùm esset obiectū cognitum à Beatis, ineptè diceretur visio in verbo, sicut visio lapidis malè diceretur visio in lapide, ergo visio beata dicetur visio in verbo increato, quod supplet locum verbi creati.

Diluuntur opposita rationes.

Ad primum D. Th. testimonium. Respondeo cum Caietano ibidem, ly quicumque sumi distributiuè pro omni viatore, non autem pro omni creato compræhensore, vel secundò dic S. Th. loqui de cognitione naturalis obiecti, vt inde aliquod Diuinarum processionum vestigium haberemus, non verò loqui de quocumquè intelligente, & de quacumque intellectione, etiā supernaturali, & Beata. Porrò S. Th. ità esse exponendum manifestè probatur, tùm quia Filius, & Spiritus sanctus intelligunt, & tamen non producunt verbum, ergo non quicumque intelligit, eo ipso quod intelligit producit verbum, sed vt talis propositio in tota sua vniuersalitate verificetur, plura alia reperiuntur, & sicut hos casus excipere necesse est, ità ob aliam rationem excipere poteris visionem beatam; tùm quia si hoc principium esset vniuersaliter verum, & fundaretur in natura intellectionis vt sic, ex hoc consequeretur, nos posse habere euidentem cognitionem Trinitatis naturalem contra eundem S. Th. supra quæst. 32. art. 1. Siquidem possemus sic ratiocinari. Quicumquè intelligit

eo

eo ipso quod intelligit producit verbū, hæc est nota per se lumine naturæ, sed hæc est notior. Deus intelligit, & amat, ergo producit verbum, & amorem, & cum euidenter sciamus idem non posse producere se ipsum, nec in Deo accidens cadere posse, euidenter ex tali discursu Sanctissimę Trinitatis notitiam colligeremus.

Ad secundum eiusdem testimoniū dic S.Th. loqui de quacumquè cognitione naturali viæ, non patriæ (nā in toto illo articulo, nec vnū quidē habet verbum de visione beata) Quare sensus D. Th. est iste. In omni intellectione viæ verbum producitur, siuè cognitio fiat per similitudinem exterius propositam, vt cum Pontifex per eiusdem statuam cognoscitur, siuè cognoscatur per essentiam, idest per immediatam cognitionem ipsius obiecti exterius propositi, vt dum cognoscitur Pōtifex per eiusdem immediatam præsentiā, & in vtroq; casu docet S.Th. in via formari verbum, ex quo non sequitur illud formari in visione beata, quia licèt illa sit cognitio per essentiam Diuinam, est tamen longè diuersa ab omni cognitione viæ per essentiam. Nam cum hac potest stare Idolum, figura, & vmbra obiecti per verbum intus genitum. At cum visione beata nequit stare Idolum verbo genitum, secus primariū obiectum visionis beatæ nō esset Deus, sed verbum creatum, quod est impossibile.

Ad secundum argumentum Resp. S. August. per plenam similitudinem non intelligere aliquam speciem impressam, vel expressam, quæ ab eius mente prorsus est aliena, sed sensus est, cum anima, quæ ad Dei imaginem creata fuit ad claram Dei visionem perueniet, perfectè illi assimilabitur, tùm quia tunc recipiet lumen Gloriæ, quæ est perfecta similitudo Diuini intellectus ex S.Th. d. quæst. 12. ar. 2. in fine corporis, tùm quia recipiet ipsam Diuinam essentiam in esse intelligibili, & in esse intellecto per modū verbi, tùm quia anima in Patria cum Deò consumatam habebit vnionem, & fiet indeclinabiliter amans sicut Deus, & impeccabilis sicut Deus, & in his tribus perfecta Animę nostræ beatæ assimilatio cum Deo consistet.

Ad secundū testimoniū *ex 15. de Trinit. cap. 16.* Resp. Augustinum nomine verbi interdum sumere ipsam notitiam, seù intellectionem, quæ est actio distincta à Verbo, sicut etiam plures Theologi nomine notitiæ verbum intelligunt, vt supra visum est, vel si per verbum intellexit Augustinus terminū intellectionis, tunc *per verbum nostrū* non intellexit verbum creatum à nobis productum. Sed ipsum verbum increatum, quod peculiari ratione dicitur *nostrum*, quia à nobis per visionem beatā attingitur, & intellectū Beati actuat, & fungitur munere verbi nostri creati si adesset, & eijsdem ferè modis exponuntur alia eiusdem testimonia *ex lib. 9. de Trinit. cap. 16.*

Ad Tertium Argumētum Respondeo primò, si per Suarez potest dari pro du-

ductum absquè productione, vt hæc actionem significat, sicut ipsemet docuit *lib. 1. de Trinit. cap.* 8. multò magis poterit dari actio absquè termino. Respondeo secundò. Omnis actio habet terminum, vel nouiter productum, vel nouiter communicatum, primum negamus, secundum admittimus, & sic visio beata habet terminum, sed hoc est Verbum increatum, improductum, intellectui beato in ratione speciei expressæ vnitum. Respõdeo tertiò actio duplex est, vna, quæ ex sua essentia est ordinata per se ad productionem alicuius rei, cuius generis sunt actiones transeuntes, altera, quę per se est solùm ordinata ad vniendum obiectum cum sua potentia; & tales sunt actiones immanentes, quæ non necessariò habent operatum, quia non sunt ordinatæ ad producendum aliquid, sed solùm ad cognoscendũ, vel amandum. Hinc Arist. *9. Met. c. 6.* docuit actiones immanentes esse steriles, quia per illas non necessariò producitur aliquid intra, vel extra potentiam, cuius rei rationẽ subdit Philosophus, quia potentiæ visiuæ vltimus finis est visio, & quod pręter visionem nullum est opus idest pręter actionem videndi nulla alia est qualitas relicta, quę sit visionis effectus; & ità Philosophum exponit Diuus Thomas lect. octaua, vide Disp. 1. ad 2.

Ad quartũ respondeo negando maiorem, tunc enim intellectus solùm exprimit, & depingit, quando cognitio est fœcunda, & productiua verbi. Intellectio igitur vniuersaliter accepta consistit in actu vitali intellectus vitaliter attingente obiectum suum. Dices omnis notitia fit per assimilationẽ, & per quãdam quasi vitalem picturam. Respõdeo cum decent Philosophi notitiam fieri per assimilationẽ, nomine notitię acceperunt notitiam intellectã, seu verbum ipsum conceptum, nõ verò per notitiam tunc intellexerunt solum, & nudum actum intelligendi pręcisè consideratum; non enim notitia, vt præcisè significat actionem intelligendi potest esse obiecti assimilatio, quoniam productiones, quibus rerum similitudines producuntur, nec nomẽ, nec quidditatem similitudinum sortiũtur, vt Fabrefactio Statuæ Cæsaris nõ est similitudo Cæsaris; & Generatio Filij, vt præcisè significat actionem generatiuam, non est imago Patris, sed solus Filius genitiuus est imago Patris, itẽ quia intellectio spectat ad prædicamẽtum actionis; similitudo ad prædicamentum ad aliquid. Siquidẽ simile est alicui simile, & sic verbum creatum, vt præcisè qualitas quædã est, spectat ad prædicamentum qualitatis, vt præcisè est similitudo obiecti spectat ad prædicamentum ad aliquid. Dices secundò, vt Beatus intelligat Deum, debet Deus obiectiuè præsentari intellectui, non enim sufficit indistantia localis ad cognitionem, sed quod Deus pręsentetur intellectui in esse obiectiuo, nõ potest aliter intelligi, nisi per quandã Dei similitudinem, & imaginem ab intellectu efformatam; ergo in visione beata est similitudo Dei expressa, &

per consequens verbum creatum. Respondeo vel est sermo de præsentia obiectiua ante intellectionẽ, & in actu primò, & ad hoc, secundum omnes, sufficit vera, & realis ipsius Dei præsentia, vel est sermo de præsentia obiectiua in actu secundò, & tunc dico Deum sufficienter intellectui in actu secundò obiectiuè præsentari, quatenus intellectus vitali contactu attingit ipsum Deum sibi realiter præsentem. Quare ineptum est dicere hanc præsentiam in esse obiectiuo fieri per imaginẽ, aut per verbum, cum ex parte Dei sufficiat realis eiusdem substantia intimè cuilibet Creaturæ præsens, ex parte verò intellectus sufficit actio eius vitalis, versans circa ipsum Deum, vt obiectum, & terminum intellectionis Beatorum.

Ad quintum Respondeo visionem beatam non esse qualitatem informantem, sed actionem gramaticalem non quidem inferentem motum, & passionem, cuiusmodi sunt actiones sensibiles, & materiales, quas apud nos experimur, sed esse actionem secundũ se totam tendentem in obiectum suũ, ad quod intrinsecè à natura fuit instituta. Siquidem in tali forma informante, Diuinam, vel humanam intellectionem nequaquam consistere supra satis fuit à nobis demonstratum. Et cum instatur, quod visio est aliquid factum, & est accidens, ergo erit qualitas. Respondeo actiones immanentes dici factas, quia non expectant aliud factum esse, quemadmodum expectant actiones transeuntes, quæ ad aliud opus sunt ordinatæ, consequenter actiones immanentes non dicuntur qualitates, quia munus earum non est qualificare subiectum, vt albedo, sed est attingere vitaliter obiectum cognitum, & illud menti offerre, & vitaliter præsentare.

Ad Sextum Respondeo, quod æternus Pater increatum Verbum intus gignat, hoc neq; prouenit præcisè ex natura intellectionis vt sic, neq; ex reali sui obiecti pñsentia, sed prouenit ex alio capite, nempè, quia solus Pater habet Diuinam naturam, & Diuinum intellectum à se, qui in eo signo, in quo est in Patre, est infinitè fœcundus; hanc tamen infinitam Diuinæ naturæ fœcũditatem, ex qua in Diuinis processio verbi oritur, sola Fide credimus, cum ex natura intellectionis vt sic, nunquã naturaliter penetrare eã potuissemus. Itaquè licèt Æternus Pater præsente obiecto producat Verbũ, nõ licèt tamen idem arguere in visione beata Sanctorũ, quia hoc esset argumentari à superiori ad inferius, & à rebus sola Fide creditis ad res humana sola ratione inuestigabiles, qualis est quæstio ista, de qua agimus, quod genus arguendi non solùm infirmum, sed vitiosum semper fuit.

***

DIS-

DISPVT. XXXIV.

An solus Filius in Diuinis sit propriè Verbum.

Ad Art. 2. S. Thom.

AD tituli intelligentiã obseruãdum est aduerbiũ *propriè*, posse sumi dupliciter. Primò vt opponitur metaphorico. Secundò vt contradistinguitur à cõmuni, adeò vt hoc nomen Verbi ità sit Filio propriũ, vt non Patri, neque Spir. sanc. aptè cõ ueniat; imò etiam Verbum essentiale toti Trinitati commune penitus exclu dat. In priori sensu agemus hac Disputatione, cuius intellectus est iste. An Filius in Diuinis non tantum metapho ricè, sed etiam propriè Verbum dicatur. In secundò sensu tractabitur sequenti Disputatione.

Secundò sciendum est. Secundam Trinitatis Personam quatuor nominibus in Scriptura appellari. Primò dicitur Filius, & Vnigenitus. Secundò dicitur Verbum. Tertiò dicitur Imago, Figura, & Character substantiæ Dei. Quartò dicitur Sapientia genita. Et quia solùm nomen Verbi, & Imaginis nonnullas continet difficultates: Ideò D. Th. omisso nomine Filij, & Sapientiæ solùm hic agit de secunda Persona, vt Verbum est; In sequẽti verò questione agit de eadem, vt est quædam Patris Imago: attamen omnia hæc nomina eandem Personam exprimunt; sed sub diuersa ratione; Nam dicitur Filius, quatenus habet eandem Patris naturam generatione communicatam. Dicitur Verbum, quatenus repræsentat intellectualiter quidquid Pater intelligit. Dicitur Ima go, quatenus est perfectissimè Patri simile. Dicitur Sapientia genita, quatenus est perfectissimæ sapientiæ prolis. Dicitur splendor, quatenus est Patri coeternus. Sic S. Th. hic ar. 2. ad 3. His iactis fundamentis.

Vnica Propositio.

Respondeo, secundam Trinitatis Personam esse propriè Verbum, & nõ tantum metaphoricè. Hæc est de Fide contra Hæreticos Allogianos, qui nõ recipiebant Ioannis Euang. quia in principio eius dicitur. In principio erat Verbum. Et hinc dicti sunt Allogiani, idest sine Verbo, de quibus legi põ test *Alphonsus Castro Verbo, Deus hæresi 7. Isidorus lib. 8. Etymolog. cap. 5.* Huic errori consentiebant Arriani, qui cum Filium creaturã esse autumarent, cogebantur negare, Filium esse propriè Verbum, quia Verbum manet intra ipsum intelligentẽ; sed nullũ creatum manet intra Deum, ergo: vnde loca Scripturæ afferenda metaphoricè exponebant.

Probatur igitur Conclusio ex sacris litteris. *Sapientiæ 9. Qui fecisti omnia Verbo tuo.* Psal. 44. *Eructauit cor meũ Verbum bonum;* Qui locus de Verbi generatione communiter à ss. Patribus exponitur D. Ioannes in 1. Canonica cap. 1. inquit. *Quod fuit ab initio, quod au-*

audiuimus, quod vidimus, de Verbo vitæ hoc annunciamus vobis, & in Apoc. *Tres sunt, qui testimoniũ dant in Cælo, Pater, Verbũ, & Sp. S.* Et c. 19. *Et nomen eius erat Verbum Dei*, qui locus adeò perspicuus est, vt eo conuicti Allogiani proindè Apocalypsim negarent. Et c. 1. Euang. *In principio erat Verbũ, etc.* Vbi Erasmus transtulit sermo, & Caiet. inquit. Quod significatius poneretur ratio; Sed vt notat *August. lib. 83. quæstionum q. 63.* Melius dicitur Verbum, quam sermo, vel ratio; tùm quia sermo non tàm propriè dicitur de Verbo mentali. Tùm quia sermo significat orationem, ex multis simplicibus verbis compositam. At Verbum significat simplicem vocem, & conceptum. Cum igitur præallegata Scripturæ testimonia possint propriè intelligi, & ab omnibus SS. Pat. & à tota Ecclesia, ità fuerint intellecta, ad sensum metaphoricum recurrendum non est.

Secundò probatur hac ratione. Secunda persona habet omnes conditiones verbi mentalis, demptis imperfectionibus. Prima condito talis Verbi est, vt sit naturaliter repræsentatiuum rei intellectæ. Secunda, vt maneat intrà ipsum intelligentem. Tertia, Vt sit aliquid expressum, & realiter emanans ab ipso intelligente. Aliæ autem conditiones puta, quod sit qualitas, quod constituat illum actu intelligentem, & similia non sunt de ratione Verbi, vt abstrahit à creato, & increato, sed ad summum sunt conditiones Verbi mentalis creati.

DISPVT. XXXV.

An in Diuinis detur Verbum essentiale, & absolutum tribus Diuinis Personis commune.

Sanc. Thomas Art. 1. & 2.

Respondeo præter Verbum personale non dari Verbum essentiale commune Trinitati; Est communis sententia Theologorũ; quam docet *S. Th. hic art. 1.* retractans oppositam, quam Adolescens docuerat *in 1. d. 27. q. 2. ad 2.* vt notat hic Caietan. In quam sententiam trahebatur, quia putabat, actum intelligendum esse Verbum, & omne intelligere necessariò verbum claudere; sed hic doctior factus *in solutione ad 2.* docet Verbum nec esse habitum, nec actum intelligendi, sed esse id, quod intellectus concipit cognoscendo. Eandem conclusionem approbat *Magist. Scot. Gab. Bonauent. eadem dist. 27. Zumel, Ripa, Molina hic, Vasq. disput. 141. Suar. lib. 9. de Trin. c. 3. & reliqui Theologi.*

Probatur primò, quia nusquam in tota Scriptura inuenitur Verbum sumi essentialiter; sed semper notionaliter, vt patet ex omnibus locis supra adductis. Vnde *Apocalip. 19.* habetur de Christo; *Et nomen eius erat Verbum Dei*; vtiquè proprium, quod autem alicui proprium est, alteri conuenire non potest. Porrò argumentum hoc licèt solùm sit negatiuum, & proteruũ intellectũ non conuincat; tamen in rebus

bus Fidei magnam vim habet; quia de Diuinis aliud sentire non debemus, nisi secũdum Diuinam reuelationem, si errare non velimus.

Secundò Probatur ex SS. Pat. Nam *Cyril. lib. 7. Thesauri cap. 1.* ait *Verbum esse nomen proprium Filij. Ansel. in Monol. cap. 6.* inquit, *Hoc esse mirabile in Trinitate, quod cũ sint tres Personæ quarum qualibet se ipsam dicit & alias, est tamen vnũ solum Verbũ scilicet solius Patris.* At si daretur Verbum essentiale, non esset in Diuinis solùm vnũ Verbum, nec solius Patris, cum essentialia toti Trinitati sint communia. Accedat August. pluribus in locis; *Nam lib. 5. de Trinit. cap. 13.* sic fatur. *Dicitur relatiuè Filius, relatiuè dicitur & Verbũ, & imago, & in omnibus vocabulis ad Patrem refertur. Nihil autem horum Pater dicitur,* & lib. 6. cap. 2. *Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater, & Filius tanquam Verbo vnum Verbum. Sic enim verbum quomodo imago, sed Filius solus imago Patris, quemadmodum, & Filius; non enim simul Filius, et Pater.* Et lib. 7. de Trin. c. 2. apertius excludit verbum essentiale his verbis. *Pater igitur, & Filius simul ambo vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia; sed non Pater, & Filius simul ambo vnum verbum, quia non simul ambo vnus Filius, &c.* Hic vides August. velle Verbum non esse essentiale, sicut sunt essencia, magnitudo, veritas, & sapientia. Quare hæc nostra conclusio Scripturę, & Patribus valde conformis est, licèt euidenti ratione probari satis non possit, quia hoc esset Trinitatem euidenti ratione demonstrare. Igitur probabilis solùm erit ratio illa, qua vtitur hic S. Th. & est huiusmodi. De ratione verbi est, quod realiter procedat à notitia concipientis; sed quod realiter ab alio procedit in Diuinis, solùm potest esse aliquid personale, vt est de Fide; ergo nullum datur verbum essentiale. Verum ad hoc argumentum iam responderat S. Th. *d. dist. 27. q. 2. in solutione ad 1.* sic. *Verbum dicit quandam emanationem intellectus, & exitum in manifestationem sui; sed iste exitus potest intelligi, vel realiter, prout Filius exit à Patre, vel ratione sola, prout intelligere est ab intellectu Diuino, & ideò verbum interdum essentialiter, interdũ personaliter dicitur.* Hæc Sanctus Thomas, ex quibus patet demonstrari non posse euidenti ratione; Omne verbum tàm creatum, quàm increatum realiter ab intelligẽte distinctũ esse debere; sed queadmodũ actus intelligẽdi à Diuino intellectu sola nostra cogitatione distinguitur. Ità idẽ dici posset de Verbo essentiali; & hinc supra dictum fuit; Ex ratione intellectionis non potuisse Philosophos Trinitatẽ indagare hunc in modum. Deus intelligens est; sed omne intelligens producit Verbum à se distinctum; ergo etiam Deus. Nam illud verbũ statim opinari potuissent esse sola ratione distinctum; non verò realiter productum.

At *Durandus in 1. d. 27. quæst. 3.* existimans, Verbum dici in Diuinis essen-

sentialiter, & solùm per quandam appropiationem dici notionaliter.

Primò sic arguit. Amor dicitur in Diuinis personaliter de Spiritu sancto, & item essentialiter de Deo. Deus, Charitas est. Ergo idem dicendum est de Verbo.

Respondeo, Amorem in Diuinis duo posse significare, Primò terminū dilectionis, sicut Verbum significat terminum intellectionis. Secundò ipsam dilectionem significatam per modum actionis essentialis, licèt non sit realis emanatio. Primò modo Amor dicitur solùm personaliter, sicut Verbum; at secundò modo dicitur essentialiter. Sicut enim intelligere conuenit Deo essentialiter; ità & amare. Sed propter vocabulorū penuriam Philosophi, & Theologi eodē amoris nomine significant actum amandi, & terminum amoris; at actus intelligendi habet suum peculiare nomen à Verbo distinctum; & ideo non est simile.

Secundò. Si datur in Diuinis dicere essentiale, vtiquè & Verbum, quod dicitur; sed dicere essentiale docet *S. Ansel. in Monol. cap. 34.* vbi ait *In summo Spiritu idem esse dicere, quod intelligere, & scire*, quæ essentialia sunt. Et cap. 6. supra relato, inquit, *Quamlibet Personam Trinitatis se ipsam, & alias dicere*, quod non potest esse verum, nisi dicere sit essentiale.

Respondeo cum *S. Th. hic art. 1. ad 2. & 3.* Anselmum accipere ly dicere, largè, & impropriè pro intelligere, quod essentiale est; Non autē propriè & presè, quomodo dicere significat proferre, & producere Verbum; quod de Fide est soli Patri competere; atq; adeò esse notionale, non essentiale.

Tertiò interdum in Scriptura dicere sumitur essentialiter, vt *ipse dixit, & facta sunt, Dixit Dominus fiat lux. Hæc dicit Dominus*; vel *Factum est Verbum Domini super me*.

Respondeo in his, & similibus locis sermonem non esse de dicere ad intra, & de Verbo mentali, de quo nos loquimur; sed de imperio Dei exequente quidquid vult; Vel de loqutione exteriori facta per reuelationem, vel cum in Psal. dicitur. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*; Verbum ibi sumitur figuratè prout significatum; vel effectus Verbi dici Verbum; sic enim Creaturę dicuntur facere Verbum Dei, inquantum exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinantur ex verbo concepto Diuinæ Sapientiæ, sicut aliquis dicitur facere Verbum Regis, dum facit opus ad quod ex Verbo Regis instigatur. Ità hunc locum exponit S. Thomas in solutione ad 4.

Quartò si dicere in Diuinis esset idē quod generare Verbum; ergo sicut Pater dicit se ipsum, & omnes Diuinas Personas, & Creaturas, vt hic docet *S. Th. ad 3.* Ità etiam affirmare possemus, Patrem generare se ipsum, & Sp. sanc. & Creaturas; ergo dicere debet esse aliquod essentiale.

Respondeo, Etsi quoad rem ipsam idem sit in Diuinis dicere Verbū, quod

gene-

generare Verbum; tamen hęc duo nomina ex Creaturis desumpta habent diuersum modum significandi. Nam generare solùm importat vitalem exitum Personæ genitæ à Persona generante, nec aliud significat. At dicere vltrà hunc exitum importat manifestationem eorum, quæ per tale dicere repræsentantur. Et hinc est, quod non possumus dicere, patrem generare se ipsum, vel Spir. sanc. vel Creaturas, possumus tamen rectè affirmare eum dicere se ipsum, & omnia, quia dum Verbum generat, omnia intelligibilia in ipso Verbo manifestantur, & repræsentantur.

DISPVT. XXXVI.

Verbi nomenclatura Num Spiritui sancto aptè conueniat.

Ad Art. 2. S. Th.

Rationem dubitandi prębet nobis *Sanctus Basilius lib. 5. contra Eunomium, quod incipit propterea in sermone 3. de Spir sanc.* vbi Verbum Filij appellat Spir. sanc. ergo Spir. Sanc. dicitur Verbum.

Nihilominus sciendum est *ex S. Th. q 4. de verit. art. 3. in C. quod vsus horum nominum scilicet verbum, & imago aliter est apud nos, & Sanctos nostros, & aliter apud antiquos Doctores Græcorum; illi enim vsi sunt nomine verbi, & imaginis pro omni eo, quod in diuinis procedit. vnde indifferenter Spiritum sanctum, & Filium, verbum, & imaginem appellant, sed nos, & Sancti nostri in vsu nominum horum æmulamur consuetudinem canonicæ Scripturæ. quæ aut vix, aut nunquam verbum, vel imaginem ponit nisi pro Filio. Et de imagine quidem ad præsentem quæstionem non pertinet, sed de verbo satis rationabilis noster vsus apparet. Verbum enim manifestationem quandam importat; manifestatio autem non inuenitur nisi in Intellectu, vel ab intellectu dependens, & ideò nomen verbi propriè in diuinis dicitur de eo, quod procedit per intellectum, quod verò ab intellectu non procedit, non potest dici verbum nisi metaphoricè, inquantum scilicet est aliquo modo manifestans.* Et quia Spir. sanc. Filium, inquit, hominibus prædicatione Apostolorum manifestauit *Ioan 16. cum venerit spir. sanc. ille docebit vos omnem veritatem*, Ideò per quandam metaphoram Spir. sanc. Filij verbum dictum est à Basilio, quia Filium manifestauit; vt ibidem docet Sanct. Thomas. Ceterum Spir. sanc. propriè loquendo non posse verbum dici, conuincunt omnia testimonia Scripturæ & Patrum duabus præcedentibus disputationibus allata, hic minimè repetenda, dum probant Verbum, ità esse Filio proprium, vt neq; essentiali verbo, quod toti Trinitati commune esse deberet, aptè possit conuenire. Si enim non datur Verbum tribus personis commune, multò minus aliud erit Verbum quàm Verbum Patris, qui est solus Filius. Deindè si Verbum terminus est intel-

intellectionis, consequenter conuenit soli Personæ productæ via intellectionis, sed solus Filius gignitur per intellectionem, ergo soli Filio conuenit nomen Verbi. Tertiò si Spiritus sanctus etiam propriè Verbum dici deberet, sequitur Sp. sanc. non produci voluntate, quæ esset sterilis, vel multiplicandas in Diuinis plures, quam tres personas, vel prius Verbum, qui est Filius, non fuisse scientiæ Patris adæquatum, & infinitum. Quæ omnia prorsus repugnare quis non videt?

DISPVT. XXXVII.

Vtrum Verbum Diuinum per se gignatur ex cognitione diuinæ Essentiæ, Attributorum, omniumque Diuinarum Personarum.

Ad art. 3. D. Thomæ.

Obseruationes circa propositam difficultatem.

VT status Controuersiæ rectè percipiatur, sciendum est primò, Verbum esse adæquatū terminum Diuinæ intellectionis Paternæ; & ideò qualis erit actus intellectionis in Patre, tale erit Diuinum Verbum, quod paternæ intellectioni adæquatè commensuratur. Vnde *S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 13. & 14.* inquit *Verbum Diuinum est de omnibus, quæ sunt in scientia Dei.* Vt igitur sciamus quæ obiecta Verbum per se repræsentet, & quæ per accidens; ideò inuestigare debemus hic, ad quę obiecta se extendebat Patris intellectio pro eo instāti, quo intelligitur generare ipsum verbum; Vtrum scilicet solum se extenderet ad essentialia, an verò etiam ad relatiua, & Creaturas.

Secundò sciendum est, dupliciter aliquam cognitionem posse se extendere ad aliqua obiecta, quod idem est, ac dicere, dupliciter posse Verbum Diuinum gigni ex cognitione aliquorum obiectorum. Primò per se, & formaliter, secundò concomitanter solùm, & materialiter: Tunc aliquod verbum originem habet per se ex cognitione alicuius obiecti, quando cognitio talis obiecti est via, vel origo ad Verbum, & per consequens illud obiectum est per se principium talis cognitionis; ita ut eo obiecto ablato, neque cognitio illa extaret, neque Verbum ab ea procedens: quare illa particula (ex) quæ ponitur in Titul. Quæst. habet vim causæ, seù principij: & ly per se, non est in primo, vel secundo modo, sed in quarto modo dicendi per se, in quo ponitur causa, & effectus, principium, & principiatū: Tunc autem aliquod Verbum ex aliquorum obiectorum cognitione concomitanter oritur, quando tali obiecto ablato adhuc esset tale Verbum quantum ad sua essentialia: Quod si cognitio, qua tale Verbum gignitur, etiam ad illa se extendat, dicitur solùm prædicta obiecta comitari, & materialiter, ac identicè, non verò per se, & formaliter ea repræsentare.

Ter-

Tertiò sciendum est, Filium duo habere principia suæ generationis. Primū est actiuum, & communicatiuum suæ naturæ, quæ est ipse Pater intelligens. Secundum sunt obiecta ab ipso intellecta, siuè sint terminatiua solùm, siuè motiua, & terminatiua simùl, quæ suo modo obiectiuè influunt in Patris intellectionem, licèt nullo modo sint physica illius causa.

Quartò sciendum est ipsam Patris intellectionem, vt Disp. 5. dictum fuit, esse simùl principiū quo generationis Filij, & ipsam actualem eiusdem generationē. His præmissis. Sensus planus huius omnium difficillimæ Cōtrouersiæ est; Vtrum Pater, dum sua intellectione Verbum producit, solum tunc intelligat essentiam, attributa, & se ipsum. An verò etiam actualiter intelligat ipsum Verbum, & Spir. sanc. & omnes Creaturas. Et vtrum hæc obiecta à Patre cognita fuerint origo generationis Filij. Itaut aliquo horum semoto, Filius non fuisset genitus ea essentiali perfectione, quæ illi competit.

Prima Propositio.

Respondeo Primò, Verbum gigni per se ex cognitione essentiæ, & attributorum. Probatur, quia hæc maximè intelligibilia sunt, item sunt præsentia Æterni Patris intellectui, præsupponūtur ante ipsam Verbi generationē, & ante omnes relationes ad intra; sunt obiectum primarium Diuinæ cognitionis, ergo &c.

Secunda Propositio.

Respondeo Secūdò, Verbum per se oriri ex cognitione Patris, vt est prima Persona Trinitatis. Probatur; Tum quia Filius est perfecta Patris imago ipsum perfectè repræsentans, sed Verbū oritur ex illorū obiectorū cognitione, quæ ab ipso per se repræsētatur, ergo. Tum quia si Pater æternus nō se intelligeret, causaliter Filium generaret.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertiò Verbum per se gigni ex cognitione, quam habet Pater de ipso Verbo, pro eo signo, quo illum actu generat. Probatur; Tùm quia non potest cognosci vnum correlatiuum, non cognito alio; sed Pater cognoscit se ipsum, ergo eodem actu cognoscit Filium, quod est eius Correlatiuum; Tùm quia productio Verbi est eiusdem Verbi intellectio; nam eodem actu, quo producitur, intelligitur. Siquidem intellectio Patris respectu Verbi non est solùm speculatiua, sed practica, idest factiua, & operatiua ipsius; vt patet ex dictis Disput. 1. & 5. vbi ostendimus Generationem Verbi esse eundemmet actum intellectionis notionalis Patris.

Ceterum cum in tribus priorib. Cōclusionibus omnes Theologi, vno excepto Scoto, consentiant, tota difficultas remanet de Spir. sanc. de quo superest quærere, An Pater pro eo signo, quo generat Filium, per se intelligat etiam Spir. sanc. vt existentem, & consequenter superest inuestigare, An Filius oriatur etiam ex cognitione Sp. sanc. non solùm concomitanter, sed per se. Pro cuius rei resolutione sit.

Quarta Propositio.

Respondeo Quartò, Verbum per se non gigni ex cognitione intuitiua Sp. sanc. quæ feratur in ipsum Spir. sanc. vt spiratum, & existentem. Hæc est contra Recentiores *Valent. & Molin. hic, Suar. lib. 9. de Trin. c. 4. Theod. Foresti Ordinis Capucc. trac. de Trin. q. 8. ar. 4. disp. 5. de Verbo c. 7. concl. 1.* Nec non contrà Thomistas omnes, qui immeritò putant hanc esse D. T. mentem, vt in solutione argumentorũ palam fiet. Hanc tamen cõclusionem tenent Scotistæ omnes, quam colligunt *ex Scoto in 1. dist. 32. q. 2. §. ad 1, tio.* vbi aperte negat Verbum oriri ex cognitione Sp. sanc. quatenus verò alibi negauit oriri ex cognitione Patris, & sui ipsius, ab illo dissentimus, vt dictum est.

Probatur primò. Illud Verbum oritur per se ex cognitione alicuius obiecti, quo obiecto ablato, tolleretur ipsũ Verbum, sed per locum intrinsecum si per impossibile S. S. non esset, adhuc esset Verbum Diuinum, ergo Verbũ Diuinũ nõ oritur per se ex cognitione Sp. sanc. Min. probatur. Verbum per se constituitur ex sola Diuina natura, & personali proprietate, ergo non existente Sp. sanc. adhuc existeret Filius. Deindè nullum prius pendet à suo posteriori; Ita ut sine illo esse non possit; sed Verbum est prius origine Sp. S. qui à Verbo suum esse accipit, ergo si non esset Sp. sanc. non sequitur, per locum intrinsecũ non fore Verbum, sed solum hoc sequitur ex alio capite, quia cognitionẽ sequitur amor, & ablato isto amore tolleretur cognitio in Diuinis.

Secundò omnis cognitio, quæ non est factiua sui obiecti, supponit illud, sed intellectio Patris, pro eo signo, quo generat Verbum, nõ potest supponere Spir. sanc, vt existentem, & productũ, ergo intellectio Patris pro eo signo, quo generat Verbum, nõ potest ferri in Sp. sanc. vt existentem. Min. constat, quia Sp. sanc. fit existens post Verbi productionem, ergo non supponitur existens pro eo signo, quo Pater generat Verbũ.

Respondent nonnulli licèt Sp. S. sit posterior origine Filio, posse tamen esse simùl cognitione cum ipso Filio, quia prioritas originis non est prioritas in quo, sed à quo.

Alij dicunt, vt aliqua cognitio sit intuitiua alicuius obiecti, sufficere, si cognitio, & obiectum sint simùl duratione, etsi obiectum esset posterius origine ipsa cognitione.

Verum hæc nunquam ego percipere potui; Quod vt declarem, suppono esse certum, & indubitatum apud omnes Theologos, cũ dicitur in Deo aliquid esse prius, vel posterius in aliquo signo rationis, talem prioritatem non esse fictam per intellectũ, sed habere verum fundamentum in re ipsa, & virtualem prioritatem. Sic prius Deus intelligit, quam velit; quia nihil volitum, quod non fuerit præcognitum; sic Deus prius vult finem, quã media. Et prius aliquem eligit ad gloriam, quam ei præparet media ad illam consequẽdã. Cũ igitur Pater producit Filiũ, pro eo signo rationis habẽte verũ, & reale fun-

damen-

damentum in re Spiritus sanc. nondum existit; secus esset antequam produceretur; ergo vel oportet negare signa hęc rationis, quæ omnes Theologi admittunt, vel negandum est Filium generari per se ex cognitione Sp. sanc. vt existentis.

Confirmatur primò. Cognitio debet per se repræsentare suum obiectũ secundum conditiones, quas tunc habet, quando ipsa cognitio elicitur; sed pro eo signo quo Patris cognitio, vt ità loquar, elicitur, Spir. sanc. nundum est productus, ergo &c.

Confirmatur secundò, si verbum oriretur per se ex cognitione Spir. sanc. licet sit origine Filio posterior, sequitur idem verbum per se etiam oriri ex cognitione futurorum contingentium; quod consequens nec Suarez, nec Molina, nec Forestus admittunt. Sequelam probo, quia si quid obstat, maximè esset, quia futura cõtingentia sunt futura à decreto libero Dei, quod est posterius processione Filij, & Spiritus sancti, vt ijdem Auctores docent, præsertim *Suarez d. lib. 9. de Trinit. cap. 7.* sed si ista prioritas à quo, vel in quo saluaret Verbum produci ex cognitione Spiritus sancti, idem dici posset etiam de futuris contingentibus, ergo vel vtrumquè est concedendum, vel vtrũque est negandum.

Confirmatur Tertiò, si vt aliqua cognitio sit intuitiua, sufficeret, si obiectũ, & visio essent simul duratione, sequitur cognitioné, quã habet Deus de rebus possibilibus fore intuitiuam; Nam obiecta illa, & scientia Dei de illis in eadé æternitatis duratione simul sunt; Sicut igitur illa scientia non est intuitiua secundum omnes, quia pro eo signo rationis habente fundamentum in re, fertur in res existentia carentes; Ita cognitio, quam habet Pater de Spir. sancto pro eo signo, quo generat Verbum, non erit intuitiua, quia pro eo signo non fertur in Spir. sanc. vt productum, & existentem.

Nec approbare possum, quæ affert *Suarez d. lib. 9. de Trin. cap. 5. & 8.* dicens cognitionem intuitiuam posse esse priorem duratione obiecto cognito, vt patet, inquit, in cognitione intuitiua, quam ab æterno habet Deus de rebus futuris, etsi illæ nondum existant. Nam contra hoc responsum sic argumentor. Si cognitio debet solum apprehendere obiectum, vt in se est, quomodo cognitio poterit esse intuitiua, quę est de re existéte, si in tali obiecto non supponitur existentia, sed obiectum illud post aliquam durationem, postea existentiam accipiet? Hoc sanè imperceptibile mihi videtur. Exemplum autem de rebus futuris nobis potius fauet.

Nam res non sunt futuræ in tempore, sed ab æterno ex æterno Dei Decreto, & primò futuræ supponuntur, antequam Deus eos scientia visionis intueatur, vt ipsemet Suarez sæpe docet. Non igitur in hoc casu cognitio Dei præcedit duratione obiectum; sed potius è contrà; nam propter hanc causam ipse cum alijs saluat, quomodo Di-

uina prescientia rerum cõtingentiam, & nostram libertatem non euertat. Similiter cum Deus cognoscit rem actu existentem, etiam in hoc casu actualis obiecti existentia supponitur ante ipsam Dei cognitionem, quatenus existẽtiam illius exprimit, & repræsentat.

Alij vt ostendant, Verbum posse oriri ex cognitione Spir. sanc. etiamsi nondum existat pro eo signo, quo Verbum gignitur; afferunt exẽplum Correlatiuorum. Nam Correlatiua, inquiunt, sunt simul cognitione; etsi vnum sit prius altero origine, vt Pater Filio, poterit igitur fieri, vt intuitus Patris gignentis Filium per se feratur in Spir. sanc. vt existentem, etiamsi Filius sit origine prior Spir. sancto, quia Pater ità fertur in Spir. sanc. existentẽ, vt simùl per se cognoscat, eum esse a se ipso, & à Filio suo. At in hoc exemplo latet æquiuocatio, quæ incautos decipit; Verum enim est in Creatis, Personam Patris absolutam non solùm origine, sed natura, & tempore esse Filio suo priorem. At falsum omninò putamus, Paternitatem esse origine Filiatione priorem. Nam genita substantia Filij quantum ad absoluta, simul absquè vlla prorsus prioritate resultat in genito Filiatio, & in Genitore Paternitas, vt constat ex ijs, quæ tota Disp. 14. à nobis dicta fuere; & propterea correlatiua sunt simùl natura, & cognitione. Quodsi ex creatis Correlatiuis vnum esset altero origine prius, ratione ipsarum relationum, necessariò fieret, vnum Correlatiuum esse altero natura prius; siquidem in Creatis omne, quod est origine prius altero, est etiam natura, & causalitate prius, solaquè hæc exceptio ad secludendam causalitatem, & dependentiam, quæ imperfectionem inuoluunt, in Diuinis Personis reperitur.

Secunda Propositio.

Respondeo secũdò, Verbum per se gigni ex cognitione Spir. sanc. vt producendi. Probatur Verbum ex illius obiecti cognitione per se oritur, quod per se cognoscitur à Patre, pro eo signo, quo à Patre generatur, sed Pater in eo signo, quo generat Filium, cognoscit infinitam Diuinæ essentiæ bonitatem, & propriam, ac Filij sui amabilitatem, ergo cognoscit amorem notionalem, scilicet Spir. sanc. producendum post Filij generationem.

Secundò Pater in eo signo, quò se ipsum perfectissimè contemplatur, cognoscit omnem Diuinæ essentiæ fœcunditatem secũdum vtramquè operationem Intellectus, & Voluntatis, ergo cognoscit se habere virtutem spiratiuam, quam etiam Filio communicat, ergo simùl cognoscit terminum huius fœcunditatis, & virtutis spiratiuæ, qui terminus est Spir. sanc. non tamen pro eo signo productus, sed producendus.

Neque dicas, hanc distinctionem Spir. sanc. vt producti, & producendi non esse in Deo, sed solùm esse mediũ quendam imperfectum nostri intelle-

ctus

ctus, res diuinas concipientis; Nam fateor ego quidem, hanc distinctionem oriri ex nostri intellectus imperfectione; talis tamen distinctio habet fundamentũ in re ipsa, cũ in re ipsa, hæc propositio sit vera. Pater prius intelligit, quã velit, & prius intellectione generat Verbum, quàm spiret Spir. sanctũ. Deinde eodem modo possemus etiam dicere, Patrem producere Filium ex cognitione futurorum, quia quod hęc sint producenda post Filij generationem, hoc solùm prouenit ex modo imperfecto nostri intellectus, quo res Diuinas appræhendit, cum respectu Diuinæ cognitionis nihil sit futurum, aut præteritum, sed omnia illi sint præsentia.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertiò, Verbum identicè, materialiter, & cõcomitanter gigni ex cognitione Spir. sanc. vt existentis. Probatur Verbum ex illius obiecti cognitione cõcomitanter, & identicè oritur, quod ab illo cõcomitanter, & materialiter repræsentatur, sed in Diuinis Verbum est vnicum, infinitum, & adæquatũ cognitioni Patris; ergo debet repræsentare omne intelligibile, sed tamen secundum modum suæ intelligibilitatis. Et sic quando Spir. sanc. est actu existens, repræsentat illum existentem, quando est producendus repræsentat vt producendum. Sicut idem Verbum ante Diuina Decreta repræsentat Creaturas solùm vt possibiles, post Decreta repræsentat vt futuras, & post decretorum exequutionem repręsentat vt existẽtes. Quare cum omnes Theologi admittant, scientiam simplicis intelligentiæ priorem esse scientia Visionis, quæ fertur in res futuras, nescio qua ratione postea nolint admittere cognitionẽ S.S. vt producẽdi priorem esse ea cognitione qua attingitur vt productus. Nam hæc etiã distinctio Diuinæ sciẽtiæ in simplicẽ, & Visionis oritur ex nostri intellectus imperfectione, cũ in re, vna, & eadẽ sit Diuina sciẽtia cognoscens rem possibilẽ prius; Deindè futuram, & posteà existentem.

Dixi autem supra, Verbum repræsentare Sp.S. identicè, quatenus repręsentat eundem, prout identificatur cũ intelligere essentiali, quod est repræsentatiuum omnis intelligibilis. Deindè dixi repræsentare materialiter, & concomitanter, quia talis repræsentatiò Spiritus sancti, tàm in Verbo, quã in scientia Patris, non est de essentiali Verbi constitutione, & ideò dicitur comitari hanc repræsentationem, quia talis repræsentatio consequitur ad eiusdem Verbi essentialem cõstitutionem, cum Filius sit essentialiter Filius Deitate, & Filiatione, quæ ante Spiritus sancti existentiam supponitur.

Dissoluuntur argumenta pro generatione Filij ex cognitione S.S. intuitiua.

Sed contrà superius dicta videtur stare *D. Th. hac quæst. ar. 1. ad 2.* vbi inquit, *Pater intelligendo se, & Filium, & Spi-*

& Spir. sanc. & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura.

Respondeo D. Thomam, cum indistinctè loquatur, sic esse exponendum, totam Trinitatem dici Verbo, respectu Patris, & Filij per se, respectu Spir. S. & creaturarum identicè, & concomitanter. Si non esset exponendus, quod respectu Spir. sanc. non per se loqueretur; Inde fieret, Verbum per se etiam gigni ex cognitione Creaturarum contingentium, cum idem D. Th. dicat, omnem Creaturam, & quæcumquè in scientia Patris cõtinentur, Verbo dici. At Verbum non gigni ex cognitione futurorum contingentiũ, docent idemmet Theologi, cum quibus disputamus; necnõ idẽmet s. Th. vt Disp. seq.

Secundò obijcitur; Verbum per se oritur ex cognitione compræhensiua, & intuitiua, quam habet Pater de Diuina natura, sed cognitio compræhensiua, & intuitiua fertur in rem secundũ omnem modum, & conditionem suæ existentiæ; modus autem Diuinitatis est esse in tribus Personis, ergo Pater gignendo Filium cognoscit tres Personas Trinitatis, vt existentes, & intuitiuè.

Respondeo Argumentum concludit Patrem eodem actu, quo generat Filium, concomitanter, & identicè cognoscere etiam Spir. sanc. sed non probat, Patrem in quocumque signo rationis habente fundamentum in re cognoscere Spir. S. vt existentem. Quare ad argumentum in forma; concessa Maiori negamus Minorẽ, nempè cognitionem intuitiuam, & comprœhensiuam pro omni signo rationis terminari ad rem secundum omnem modum suæ existentiæ, debet quidem cognitio intuitiua, & comprœhensiua terminari ad rem existentem; sed non est necesse, vt in quocumque signo terminetur ad omnem cõditionem existendi, quã habebit in posteriori signo rationis. Sit exemplum. Deus habuit comprœhensiuam, & intuitiuam cognitionem Humanitatis Christi, tamen non terminauit ad ipsam, vt subsistentem, nisi post vnionem cum Verbo; Ità Pater habuit cognitionem intuitiuam, & comprœhensiuam Diuinitatis, sed pro eo signo rationis, quo Filius exijt à Patre, talis cognitio non fertur in Deitatẽ, vt modificatam relatione Spiritus sancti nisi post Verbi generationem. Aliam eiusdem argumenti solutionem, quam hic etiam rectè quisquè accomodare poterit, trademus sequenti Disputatione in solut. ad 3.

Tertiò obijcitur, quod omne essentialiter existens non potest vnquam cõcipi vt possibile, aut vt futurum, vt de Deo constat. Sed Sp. S. est essentialiter actu existens, ergo non potest cognosci à Patre cognitione clara, & quidditatiua, vt producendus.

Respondeo distinguendo Min. Sp. S. est essentialiter existens, vt Deus verum est, vt talis Persona, falsum. Nam vt supra ex D. T. vidimus, Diuinæ relationes sunt sola quidditas absquè esse;

se; & ideò Spir. sanc. ratione relationis nō est essentialiter existens; & hinc est, quod potest concipi vt producendus. Adde quod hoc argumentū nimis concludit, quia destruit ipsum Trinitatis mysterium, scilicet ipsam Spirit. sanc. productionem.

Quartò obijcies. Cognitio clara Patris, qua per se Verbum Diuinū generatur, debet esse per se multò perfectior quacumquè visione beatifica. Sed hæc per se fertur in totam Trinitatem; Ita ut nec de potentia Dei absoluta possit videri clarè Deus non visis Personis, ergo multò magis cognitio perfectissima, & compræhensiua Patris, qua ipse est Beatus, ad totam sanctissimam Trinitatem se extendere debet.

Respondeo Primò de potentia Dei absoluta posse à Beato videri Deū non visis personis, vt dictū est tota Disp. 28

Respondeo secūdò, Visio beatifica Creaturę cōparatur cum Patris cognitione beata, quantū ad hoc, quod vtraque in re ipsa, quando omnes Trinitatis Personæ existunt, debet ferri in omnes Personas; & hoc rectè probat argumentum, sed comparatio non se tenet, quantum ad istud, quod sicut in quocumquè signo visio beata Creaturæ fertur in totam Trinitatem existentem, ità cognitio Patris in quocumquè signo terminetur ad totam Trinitatem existentem, & in hoc deficit argumentatio.

Quintò obijcies: Ad quæ obiecta se extendit species impressa, ad eadem se extendit species expressa, quæ est Verbum; quando adest lumen proportionatum. Nam hæc tria semper se mutuò consequuntur. Sed Diuina essentia, quæ est species impressa repræsentat omnes Diuinas Personas, ergo etiam Diuinum Verbum; & cum Verbum sit de omnib. quæ in scientia Patris continentur, sequitur Patrem cognouisse per se omnes Diuinas Personas, & consequenter Verbum per se fuisse genitum ex cognitione Patris, quam habuit de tota Trinitate.

Respondeo Concessa Maiori nego Minorem, scilicet Essentiam Diuinā ante Verbi generationem, vt speciem impressam repræsentasse Spir. sanc. existentem, secus repræsentasset falsum; quia spir. sanc pro eo signo non est existens, sufficit igitur, si pro eo signo repræsentarit spir. sanc. vt producendū; & post consummatam Diuini Verbi generationem repræsentet illum, vt existentem, & eodem modo Diuinum Verbum se habeat. Addo hoc argumentum nimis concludere. Nam probaret etiam Verbum repræsentare per se futura Contingentia, & ex illorum cognitione per se gigni. Nam Diuina essentia est etiā sufficiens principiū illa repræsentandi. Verum sicut non actu ea repræsentat, nisi postquam futura supponuntur; ità nec Diuina essentia repræsentat S.S. existentem, nisi postquam productus supponitur. Aliud exemplum apparet in speciebus Angelorū mētib. à Deo à prima creatione infusis. Nam species Petri non actu Petrum repræsentat, antequam Petrus

actu

actu producatur, secus Angelus deciperetur, & hoc non aliundè prouenit, nisi quia deficiente conditione, quæ est obiecti existentia, species illa infusa non est apta repræsentare obiectum, antequam sit; itá similiter Diuina essentia non actu Spir. sanc. repræsentat, nisi postquam productus supponitur. Nam eo modo debet repræsétare, quo obiectum est cognoscibile, cum cognitio certa, & euidens debeat esse suo obiecto conformis; & ideò ante Verbi generationem repræsentat Spir. sanc. vt producendum, & post eius spirationem, quæ Verbi generationem consequitur, repræsentat eundem vt productum, & existentem.

DISPVT. XXXVIII.

An Verbum per se gignatur ex cognitione omnium Creaturarum possibilium.

Ad Art. 3. Sancti Thomæ.

PRo parte affirmante arguitur Primò, cognitio possibilium in Patre est prior ipso Verbo, & est fœcunda, ergo talis cognitio poterit esse via, & origo Verbi, & ideò cessat hic ratio illa præcedenti Disputatione de Spir. sanc. adducta, scilicet Verbum non gigni ex cognitione Sp. sanc. quia Spir. sanc. est origine Verbo posterior. Antecedens est certum, quia Pater cognoscendo omnipotentiam suam in illa, vt in causa, cognoscit omnia possibilia. Sed omnipotentia prior supponitur in Patre, quam eam Filio communicet, ergo cognitio possibilium in Patre ipso, Verbo prior erit.

Secundò Cognitio compræhensiua Diuinitatis per se, & formaliter est etiam cognitio omnium Creaturarum, quia non potest compræhendi causa, quin in ea non compræhendantur effectus; sed Verbum per se oritur ex cognitione compræhensiuá Diuinitatis, ergo Verbum per se oritur ex cognitione possibilium.

Tertiò Ad quę obiecta se extédit species impressa, per se, & formaliter, se extendit species expressa, sed Diuina essétia, quę est species impressa, repræsétat Patri omnes Creaturas; ergo Verbũ à tali sciétia productũ non solùm concomitáter, sed per se repræsétabit omnes creaturas, ergo etiam per se gignetur ex earumdé Creaturarũ cognitione; quia verbũ ex illorum cognitione per se gignitur, quæ per se repræsentat.

Tres Theologorum opiniones referuntur.

In hac difficultate tres legi sententias. Prior asserit, Verbum oriri, tàm ex cognitione possibilium, quàm futurorum. Ità docet *Valentia Disput. 2. q. 8. punct. 2. in solutione ad 4.* Eminentissimus Oregius *Tract. de Trinitate cap. 1. quæst. 3.*

Secunda sententia docet, Verbum per se gigni ex cognitione quidem omnium possibilium, sed non futurorum, aut existentium. Ità *Caiet. & Molina hic; Canariensis 1. p. quæst. 27. art. 3. in fi-*

in fine, Suar. lib. 9. de Trinitate cap. 6. & 7. Theodorus Forestus Ordinis Capuccinorum tract. de Trinit. quæst. 8. art. 4. Disput. 5. de Verbo cap. 7. Conclus. 2. & 4.

Tertia Opinio verior asserit, Verbū per se non oriri ex cognitione vllius Creaturæ possibilis, aut futuræ. Ita *Scot. in 1. d. 2. quæst. 7. & Quodlib. 14* tenet etiam S. Th. vt videbimus *Alexander Pesantius hic & Vasquez Disp. 143. Ioannes Maria Zamoro Ordinis Capuccinorum de Trinit. trac. 10. quæst. 4. ar. 3. & 4.* sed prius explicandus est status quæstionis, quem multi ignorare videntur, deindè propriam sententiam aperiemus.

Obseruationes circa propositam difficultatem.

Notandum est itaquè primò, hanc Controuersiam non esse, vtrum Verbū oriatur ex cognitione Creaturarū secūdum esse eminentiale quod habent in Deo. Nam vt sic sunt ipsemet Deus; & ideò quærere in hoc sensu, Vtrū Verbum oriatur ex cognitione Creaturarum, esset quærere, Vtrum Verbum oriatur ex cognitione Dei, vt Deus est, de quo nullus Theologus dubitare potest, aut vnquam dubitauit. Status igitur Quæstionis est, Vtrum Verbū oriatur ex cognitione Creaturarum secundum prædicata sibi propria.

Notandum secundò, hanc controuersiam maximè ab illa quæstione pendere; An Beati videant Creaturas in Deo, vt in causa; & Vtrum Deus penetrando suam omnipotentiam, vt rerū causam, simùl eodē actu re, & ratione feratur in Creaturas, vt obiecta Diuinæ omnipotentiæ. De priori agitur q. 12. & de posteriori q. 14. Qui igitur hæc negant, consequenter ad sua principia loquentes, facilè etiam negant Verbum oriri ex creaturarum cognitione, & hac ratione sapienter loquitur Gabriel Vasquez. At difficultas est in sentētia S. Thomæ, quam nos sequimur, scilicet Quomodo hæc duo stare possint, nempè Patrem Æternum cognoscere in sua omnipotentia, vt in causa eminentiali omnes Creaturas, & tamen Verbum per se ex illorū cognitione non oriri.

Notandum Tertio, Certum esse apud omnes Theologos, Patrem eadem cognitione actu clarè cognoscere omnes Diuinas Personas, & omnes Creaturas tàm possibiles, quàm futuras, & per consequens Verbū per talem scientiam productum eas repræsentare; & in hoc sensu loquuntur S. Th. Ansel. & Aug. quoties dicunt Verbum gigni ex scientia Patris secundum omnia ea, quæ in scientia Patris continentur. Nam in hoc sensu eos loqui euidens est, quia *D. T. hac quæst. art. 3. in C. & de Verit. quæst. 4. art. 4. in C. & Aug. lib. 15. de Trin. cap. 15.* expressè loquuntur etiam de scientia Patris, quam habet non solùm de possibilibus, sed etiam de futuris, de præsentibus, & de præteritis, simulquè docent, Verbum esse de his omnibus, sicut scientia Pa-

tris est de his omnibus; Omnes autem Doctores, cum quibus Disputamus, Valétia, & Oregio exceptis, supponūt vt certū, Verbum nō gigni per se ex cognitione Creaturarū existētiū, vel futurarum; In hoc igitur sensu, in quo isti Patres loquuntur, nulla esse potest inter Theologos cōtrouersia; Quis enim ignorat, Patrem æternum eodem actu scire omnes Creaturas possibiles, futuras, præsentes, & præteritas, & ex illorum scientia aliqua ratione Verbum gigni, cum illa Patris scientia sit actualis Verbi generatio? Tota igitur inter Theologos controuersia est de modo, & de ratione formali talis generationis; Vnde quærere, An Verbum ex Creaturarum possibilium cognitione per se oriatur, est quærere. An Verbum ex vi suæ formalis processionis ex possibilium cognitione originem ducat, vel solùm materialiter, cōcomitanter, & identicè, quatenus eodem actu, quo gignitur, Pater possibilia omnia cognoscit; & in hoc sensu dicetur, scientiam Patris Verbi generationem comitari; non autem esse per se illius actualem originem, sicut supra dicebamus, Spir. sanc. non dici genitum, quia ex vi suæ formalis processionis non oritur Deus de Deo; sed solùm materialiter, & identicè ratione subiecti, in quantum est amor Diuinus. Ità in eodem sensu de filio hæc quæstio ab illis scholasticis fuit excitata, qui non rudi Mineruà, vt nonnulli faciunt, sed congrua subtilitate Diuina mysteria perscrutantur.

Notandum Quartò, vt verbum dicatur per se oriri ex alicuius obiecti cognitione, debet cognitio talis obiecti tantam habere necessitatem, quantam habet ipsum verbum productum. Probatur, quia tantam necessitatem habet genitum, quantam habet generatio; sed cognitio talis obiecti est per se origo, & generatio Verbi, ergo quātam necessitatem habet obiectum cognitum, tantam necessitatem habet id, quod ex talis obiecti cognitione emanat. Hoc stante principio, vt per se noto, & ab omnibus concesso, qui hanc quæstionem tractant, vt tractare eam debent, videndum est, an cognitio Creaturarum possibilium tantam essendi necessitatem habeat, quantam habet ipsum Diuinū Verbum; Si pars affirmatiua, quam Suarez tenet, vera sit, verum etiam erit Verbum per se oriri ex cognitione possibilium; si vacillabit, vt mox ostendam, talis etiam conclusio titubabit. His iactis fundamentis sit.

Vnica Propositio.

Respondeo Verbum non oriri per se ex vi suæ processionis ex Creaturarum possibilium cognitione. Hanc puto esse expressam D. T. sententiam *q. 4. de Verit.* quæ est de Verbo Diuino *ar. 1 in fine C.* vbi sic loquitur: *Quia Pater principaliter dicit se generando Verbum suū, et ex consequenti dicit creaturas; ideò principaliter, & quasi per se Verbum refertur ad Patrem, & ex consequenti,*

& qua-

& quasi per accidens ad Creaturas. accidit enim verbo, vt per ipsum Creatura dicatur. Hic vides D. Th. docere cognitionem Patris per se pertinere ad formalem Verbi generationem, cognitionem verò Creaturarum esse Verbo accidentariam, ergo secũdum S. T. Verbum nõ oritur per se in quarto modo ex cognitione Creaturarum possibilium. Et 1. par.q.37.art.2.ad 3. sic loquitur. *Vnde sicut Pater dicit se & omnem Creaturam Verbo, quod genuit, inquantum Verbum genitum repræsentat Patrem, & omnem Creaturam, ità diligit se, & omnem Creaturam Spir Sancto, inquantum Spir. Sanct. procedit, vt amor bonitatis primæ, secundũ quam Pater amat se, & omnem Creaturam; Et sic etiã patet, quod respectus importatur ad Creaturã, et in Verbo, & in amore procedẽte quasi secundariò, in quantũ scilicet bonitas, et veritas Diuina est principiũ intelligendi, et amandi omnẽ Creaturam.* Hactenus S. Tho. ex cuius verbis liquido constat respectum, quem dicit Verbũ ad Creaturas, tàm possibiles, quàm futuras, esse secundarium, sicut eas secundariò repræsentat, & secundariò diligit; si ista repræsentatio, & dilectio est secundaria; ergo ex mente S. Doctoris, nec Verbum ex cognitione Creaturarum, nec Spir. Sanc. ex amore Creaturarum per se oriri dicendum est.

Rationibus etiam suadetur eadem Conclusio. Probant primò Scotus, & alij. Amor spiratus proportione respondent notitiæ genitæ, sed amor spiratus non procedit per se ex amore Creaturarum, sed solius Diuinæ essentiæ, quia ille est liber, & contingens, hic est necessarius, & per se, ergo similiter Verbum Diuinum non oritur per se ex cognitione Creaturarum.

At facilè respondetur, Creaturas esse quidem necessariò intelligibiles, sed non necessariò diligibiles, quia primũ significat perfectionem intelligentis, quem nihil lateat, sed secundum significat imperfectionem Creaturarum, quę non habent omnem bonitatem, & ideò non est simile.

Secundò probat Gab. Vasquez, Filius non est imago Spir. sanc. nec Creaturarum, sed solius Patris, sed si procederet per se ex cognitione Creaturarũ, vel Spir. sanc. esset per se Imago eorũ, & non solius Patris.

Sed respondetur; Ad veram, & propriam Imaginem consubstantialem, & vitalem, quale est Verbũ, dico ex D. Th. *quæst. 35. ar. 1. in corpore*; requiri primum, quod vitaliter procedat ab eo, cuius est imago; Secundum, quod sit illius similitudo. Verbum Diuinum respectu Patris habet vtramquè conditionem; respectu autem Sp.S. & Creaturarum deficit prima conditio.

Aliter igitur probatur Conclusio. Primò, illud, ex cuius cognitione per se producitur Verbum, tantam habere debet essendi necessitatem, quantam habet ipsum Verbum, sed possibilia nõ habent tãtam essendi necessitatẽ, quãtam habet ipsum Verbum, ergo Verbũ per se non oritur ex possibilium cognitione. Maior patet primò, quia quã-

tam necessitatem habet productum, tantam habet productio; sed cognitio possibilium est per se productio Verbi, ergo &c. Secundò, illud oritur per se ex cognitione alicuius obiecti, quo posito ponitur talis origo; & quo ablato tollitur: Si igitur Verbum per se oritur ex cognitione Creaturarum possibiliũ debent ipsæ tantam habere necessitatem, quantam ipsum Verbũ habet; secus posset esse Verbum cum omni sua perfectione essentiali absq; hisce Creaturis, quod euidens signum esset, illud non habuisse per se originem ab illis, sed solùm quasi per accidens, & concomitanter. Minor autem, quæ est cõtra Suarez *d. cap. 6. num. 19.* Probatur. Quia Verbi necessitas est à se, & per essentiam, necessitas Creaturarum possibilium est dependenter à Deo, & per participationẽ. Nam ideò Creatura est possibilis, quia necessariũ est ens per essentiam, ergo Verbum, & Creaturæ possibiles non habent æqualem essendi necessitatem.

Respondebis, Creaturas possibiles, & Verbum æqualem habere necessitatem, quia Creaturam esse possibilem, nil aliud est, quam non implicare contradictionem; vna autem negatio contradictionis non est maior alia.

Sed contrà primò, quia falsum est Creaturas possibiles solùm importare negationem contradictionis. Nam etsi negatione id explicetur, re vera tamen est aliquid positiuum, & in hoc sensu ista Quæstio tractatur, in qua, vt primò notabili dictum fuit, supponitur Patris intuitum ferri in possibilia, prout his, vel illis proprijs, & positiuis constant prædicatis. Secũdò, etsi daremus Creaturam possibilem ex parte sui solam dicere negationem implicantiæ, vna tamen negatio alia maior esse potest iuxtà inæqualitatem formæ, quam negat vnde magis falsum est, Verbum non esse genitum, quam Simiam non esse genitam, quia verius est generationem Verbi esse veram generationem, quam illam Simiæ, ergo hoc idem in hoc casu dicendum est, scilicet magis esse necessarium Verbum, quam possibilia esse. Nam inter veritates, & falsitates reperiri sine dubio inæqualitas potest. Tertiò. Nam iuxta Suarez num. 18 sequeretur, Maiorem necessitatem essendi habere Creaturas, quam habeat ipsum Verbum. Probo sequelam, quia, vt ipse docet, Creaturæ vt sint possibiles, nõ id habent à Verbo, sed prius origine sunt possibiles; quam sit Verbum; ex opposito autem Verbum vt sit, postulat creaturas, ex quarum cognitione per se procedit; ergo si non essent Creaturę, non esset Verbum, & tamen si nõ esset Verbum, adhuc essent Creaturę ex sententia Suarez, ergo Maiorem essendi necessitatẽ haberent Creaturæ, quam ipsum Verbum, quo quid absurdius vnquam cogitari potest?

Respondebis Secundò duo esse distinguenda in verbo. Esse ipsius, & repræsentationem Creaturarum, quæ duo etiam in ipsa Patris scientia sunt consideranda. Quantum igitur ad esse, Verbum habet eam necessitatem essendi,

di; quam habet ipsa scientia Patris, secundum esse ipsius. Quantum verò ad repræsentationem, tàm necessariò Verbum repræsentat Creaturas possibiles, quàm necessariò repræsentabat scientia Patris, atquè ità æqualis erit necessitas in principio quo, scilicet in scientia Patris, & in eo, quod à tali principio procedit, scilicet in Verbo.

Sed contrà Primò, quia argumentū factum non est de necessitate æquali inter sciētiam Patris, & Verbi; sed est de æquali necessitate Verbi, & Creaturarum. Et quantum ad hoc, argumentum solutum non videtur.

Secundò cōtrà hanc responsionem argumentor hac ratione, quæ etiam directè Conclusionem probat. Vel illa repræsentatio Creaturarum est proprietas Verbi essentialis, vel solùm accidentaria: Si secundum habetur intentum, sequitur enim repræsentationem Creaturarum non pertinere per se ad originem Verbi. Si primum, contrà arguo sic. Si per impossibile vna vel alia Creatura, vel omnes non essent possibiles, non sequitur per locum intrinsecum, Verbum nō esse tunc producendum, aut carere perfectione sua essentiali, quam nunc possidet; ergò repræsentatio Creaturarum nō est essentialis Verbi proprietas. Antecedens patet; Quis enim dicet, si Musca non esset possibilis, sequi per locum intrinsecum, Verbum Diuinum producendū non esse, aut non habere omnem essentialem perfectionem, quam nunc habet? Deindè hæc magna sanè esset Verbi imperfectio, egere Creaturis ad essentialem sui constitutionem; Sufficit igitur, Si Verbum creaturas repræsentet accidentaliter, & materialiter, & ex consequenti, non autem per se, secundum quod ipsum.

Hoc argumentum duplici via Aduersarij soluere conantur. Primò enim respondet Suarez num. 20. Si Creaturæ non essent possibiles, adhuc idem Verbum ex sola Trinitatis cognitione esse producendum; nunc tamen, quia Creaturæ sunt possibiles, de facto produci etiam ex cognitione illarum.

Sed contra, quia si ablatis Creaturis adhuc esset idem Verbum cum omni essentiali perfectione, quam nunc habet, ergo euidens signum est, de facto eas non pertinere per se ad originem Verbi, sed tantum per accidens; Nam ablato eo, quod est per se origo alterius, aufertur id, quod ex eo producitur. Quare hæc responsio non solum subsistere nō videtur, sed in ipsis terminis implicare; quia concedit Aduersario intentū, illiq; palmā insciè porrigit.

Respondent alij secundò, si aliqua Creatura non esset possibilis, tolli omnipotentiam, ablata omnipotentia tollit Deitatem; atq; ità ablatis Creaturis possibilib. nec fore Verbum, nec Deū.

Verum, qui sic respondent, destruunt formam argumentandi per locum intrinsecum ex suppositionibus impossibilibus: Nam etsi dato vno impossibili, mille statim consequantur, tamen forma illa arguendi vtilissima, ac certissima est, ad discernendum, quid per se,

se, quid verò consequenter, & per accidens ad alicuius rei pertineat constitutionem. Explico hoc duobus Exemplis. Primum sit naturale; Ablata risibilitate de facto tollitur rationabilitas, qua ablata tollitur homo; hoc tamen non obstante licebit Philosopho sic rectè argumentari. Posita sola rationabilitate, si per impossibile risibilitas non esset, adhuc esset essentia hominis: ergo risibilitas non est de essentia hominis; hoc argumentum validissimum esse, nemò iure dubitare potest: Aliud exemplum supernaturale est de Spiritu sancto, de quo omnes Theologi excitant hanc quæstionem; An si per impossibile Spir. sanc. à Filio non procederet, adhuc ab ipso distingueretur, vel non, quam quidem quęstionem ideò mouent, vt discernant, quænam sit ratio formalis distinguendi Spir. sanc. à Filio, scilicet an illa sit origo Spir. sanc. à Filio, vel quid aliud; & tamen de facto si Spiritus sanctus nō procederet à Filio, nequè esset Verbū in Diuinis, quia nihil est volitū, quod non fuerit præcognitam; Si non esset Verbum, nequè esset Pater, quod est Filij Correlatiuum. Atquè ità tota Trinitas destrueretur; Ità similiter non valet dicere, ablato aliquo possibili non foret omnipotentia, qua ablata tolleretur Deitas, & hac ablata tolleretur Verbum. Nam vt discernamus, Vtrū Creaturæ spectent per se ad originem Verbi, vel solùm cōcomitanter, & per accidens, optimum est hoc argumenti genus ex suppositione impossibili, ex qua cognoscitur, quid per se, quid per accidens rei conueniat.

Probatur Tertiò Eadem nostra Cōclusio sic. Verbum ex illorum obiectorum cognitione per se oritur, ad quæ se extēdit per se scientia Patris, sed sciētia Patris non est per se de Creaturis, ergo neque Verbum. Maior probatur, quia quidquid habet per se Verbum, id totum habet à scientia Patris, quæ est ipsius origo, ergo non plus habet Verbum, quam scientia Patris. Minor probatur, Scientia, quæ est de obiecto aliquo secundariò, non est per se scientia respectu illius obiecti secundarij, sed scientia Patris est de Creaturis, vt de obiecto secundario, cum primarium sit solus Deus vnus & trinus, ergo &c. Minor est clara. Maior probatur. Sciētia, quæ est de obiecto secundariò, potest sine tali obiecto essentialiter permanere, ergo illud obiectū nō spectat per se in quarto modo ad talem scientiam.

Hinc deducitur, implicantiā cōmittere dicentes, Creaturas esse obiectum secundarium Diuinæ scientiæ, & tamē pertinere per se ad Verbi generationē. Nam ablato eo, quod est per se, tollitur illud, quod ex eo oritur, sed ablato obiecto secundariò non tollitur illud, quod ex eo oritur, quia essentia rei potest esse sine principijs secūdarijs. Cum igitur Creaturæ sint obiectum secundarium Diuinæ scientiæ, sequitur eas solum materialiter, secundariò, & per accidens pertinere ad Verbi generationem, non autem per se in nullo modo dicendi per se.

Pro-

Probatur vltimò. Fœcunditas, & generatio Verbi est maxima Diuinæ naturæ perfectio, vt Disp. 19. probatum fuit, sed scientia Dei de Creaturis non dicit intrinsecam in ipso perfectionem, sed solùm extrinsecam; ergo scientia Creaturarum non spectat per se ad generationem Verbi. Maior est nota. Minor probatur primò exemplo scientiæ Visionis, quæ eadem intrinsecè permanens ex obiecti mutatione nō variatur, sed solúm extrinsecè ex extrinseca obiecti mutatione. At sic est, quod multò perfectior est scientia Visionis, quæ fertur intuitiuè in obiectum actuale, quam sit perfecta scientia simplicis intelligentiæ, quæ nō intuetur nisi prędicata essentialia, ergo si scientia Visionis non dicit intrinsecã in Deo perfectionem, multò minus scientia possibilium.

Secundò si scientia possibilium intrinsecam in Deo perfectionem diceret, ergo Deus egeret Creaturis ad cōsumatam, imò ad essentialem sui perfectionem, si Diuina essentia in actuali intellectione primò & per se, vt vult Suarez, consistit; Vnde ablatis per impossibile Creaturis, Deus omninò non esset, aut saltem aliqua inrrinseca eius perfectio illi deficeret, quod nihil aliud est, quam dicere, Deum in suo esse à Creaturis pendere; Quod quomodocumque intelligatur, magnam sanè in Deo redolet imperfectionē. Quare ex dictis sufficienter demōstratum est, possibilium cognitionem solùm pertinere ad Verbi generationem extrinsecè, concomitanter, & materialiter, non autem per se, & formaliter.

Conuelluntur fundamenta aduersæ sententiæ.

Ad primum dici posset primò. Patrem Æternum habere duos actus non tamen re, sed sola ratione distinctos; Vnum, quo cognoscit se ipsum, & omnipotentiam suam; alium, quo in sua omnipotentia, vt in causa cognoscit effectus omnes possibiles; hunque secundum actum ordine rationis esse primò posteriorem. Qua doctrina supposita dicimus, Primum actum Patris fuisse fœcundum, & ex ipso Diuinum Verbum generari, non autem per secundũ actum, quò cognoscit creaturas, qui est ratione posterior ipsa Verbi generatione; Quod si eodem actu, & ratione, & cognoscit suam omnipotentiam, & in ea penetrat omnia possibilia. Tunc respondeo secundò, talem scientiam esse quidē priorem ipso Verbo; omnem tamen fœcunditatem habere ex parte Diuinæ essentiæ, attributorum, Diuinarumquè Personarum; Non autem esse fœcundum, in quantum præcisè est cognitio Creaturarũ, eo quod cognitio Creaturarum non spectet ad intrinsecam Dei perfectionem, sed solùm ad extrinsecam, quia Deus vt sit, non indiget Creaturis, vt supra dictum est.

Ad secundum Respondetur primò, hoc argumentum nimis probare; Nam ex eo etiam cōcluderetur, Verbum per se

se gigni ex cognitione cōtingentium, quod Aduersarij ipsi negant. Dum enim Deus se ipsum cōpræhendit, cognoscit omnia sua decreta libera, tàm absoluta, quàm conditionata, & omnia futura Contingentia, quę spectant ad perfectissimam Dei compręhensionem, de cuius ratione est, vt nihil lateat videntem, quod etiam certum est in doctrina *Suarez lib. 2. de Attrib. c. 4. num. 16.* vbi ait; posse assignari aliquā rationem saltem à posteriori, ob quam nulla visio creata esse possit Dei compræhensio; quia nulla est, inquit, aut esse potest, quæ ex vi suę perfectionis repræsentet omnia decreta libera Diuinæ voluntatis, quæ vel de facto habet, vel habere potest.

Respondeo secundò causam dupliciter compræhendi posse. Primò modo secundū absoluta, seù vt res est, absquè vllo respectu ad effectus. Secundò cum respectu reali, vel rationis ad ipsos effectus. Priori modo non posteriori fuit compręhensa Diuina essentia à Patre in eo signo, quo genuit Verbum, & [illegible]n sequitur Verbum fuisse genitum ex cognitione possibilium, sed solùm ex cognitione omnipotentię, vt res est. Hanc solutionē, & distinctionem colligo ex S. Thoma *in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 3.* cuius hæc sunt verba. *cum ipse Deus sit similitudo, et species omnium rerum, duplex conuersio intellectus potest fieri in ipsum; vel absolutè secundum quod res quædam, vel inquantum est similitudo omnium rerum; & vtroq; modo se ipsum Deus cognoscit, & supra se conuertitur, quamuis non diuersa, sed vna operatione. Vnde si Verbum accipiatur prout cōsequitur intuitum intellectus Diuini, secundum quod absolutè se ipsum intuetur, sic Verbum absolutè dicitur in Diuinis sine respectu ad creaturas, siuè essentialiter, siuè personaliter dicatur. Si autem Verbum consequatur intuitum intellectus Diuini prout conuertitur supra se, inquantum est similitudo omnium rerum, & exemplar, tunc etiam in Verbo accipitur respectus ad creaturas, vt est respectus artis ad artificiata, & sic propriè Verbo competit nomen artis.* Ex hoc testimonio habemus allatam Distinctionem, simulq; propositā veritatem, nempè Deum se ipsum absolutè absq; vllo respectu ad Creaturas compræhendere, Verbumquè genitum prior illo modo consideratum, nullum ad Creaturas respectū etiam rationis includere, sed tantum secundò modo, in quo consideratur vt genitum & vt ars, & exemplar factibiliū. Eandem doctrinam colligo ex Scoto *in Report. 1. dist. 36. quæst. 1.* vbi cum obiecisset hunc in modum. *Qui apprehendit virtutem essentiæ, cognoscit omnia, ad quæ se extendit virtus illius essentiæ, sed Deus perfectè cognoscit virtutem suæ causalitatis; ergo omnia cognoscit, ad quæ se extendit eius causalitas* posteà sic respondet. *Sed potest intelligi benè, & male, quia si intelligitur quod compræhenditur virtus causæ in hoc, quod cognoscuntur ea, ad quæ se extendit, hoc non est verū, quia in isto, in quo Pater est Beatus, est compræhendens se, & virtutem suam perfectè, &*

ta-

tamen in illo signo non est necesse quod cognoscantur illa, ad quæ eius causalitas se extendit, quia etsi nulla essent ab eo causabilia extrà, non esset minus Beatus, quam nunc est, ideò sic intelligitur, quod ex cognitione causæ potest habere notitiā aliorum causatorum ab ipso. Habemus igitur ex Scoto, Patrem Æternum perfectissimè se compræhendisse, quamuis pro eo signo, quo genuit Verbum, non ferebatur eius intuitus in Creaturas, cum sine illarum cognitione esset perfectissimè Beatus.

Respondeo Tertiò & melius, cognitionem Creaturarum dupliciter spectare posse ad compræhensionem Diuinæ essentiæ, & ad Diuini Verbi generationem. Primò præexigitiuè, & per se, adeò vt Creaturæ secundum esse intelligibile, quod habent, de necessitate intrinseca, & in aliquo modo dicendi per se præexigantur ad generationem Filij, vt principium formale ipsius generationis; itaut remotis Creaturis, Verbi Diuini generatio, vel nullo modo esset, vel non æquè perfectum, ac de facto sit. Secundò coexigitiuè, concomitanter, & accessoriè, quatenus nimirum in scientia Patris, & in Verbo relucent omnia factibilia, & per illud iam genitum repræsentantur. Priori modo negamus Creaturarum cognitionem spectare ad Verbi Diuini emanationem. At secundò modo id quamlibentissimè admittimus.

Ad Tertium concessa Maiori distinguo Minorem. Diuina essentia, vt species intelligibilis repręsentat Patri omnia possibilia, stat dupliciter, vel repræsentat concomitanter, materialiter, & extrinsecè, & hoc concedimus, Vel repræsentat per se in quartò modo, & hoc negamus ob tot rationes superius adductas.

DISPVT. XXXIX.

An Verbum per se oriatur ex cognitione eorum, quæ Deus videt scientia Visionis.

Ad art. 3. S. Thomæ.

PRo parte affirmatiua arguitur primò. Quidquid habet Verbum; id totum ex vi suæ processionis habet ex scientia Patris, cui adæquatè commensuratur; sed Verbum Diuinum habet, quod repræsentet omnia decreta libera Dei, omnesquè creaturas existentes pro quacumquè temporis differentia; Etenim in Verbo sunt ideæ omnium faciendorum iuxtà illud *Ioann. 1. Omnia per ipsum facta sunt.*

Secundò, Si Verbum non oriretur ex scientia Visionis, quam habet Pater, ergo scientia Visionis in Patre nullum haberet Verbum, quod est impossibile, quia omnis intellectio habet suum terminum; Verbum autem est terminus intellectionis; vel dicendum esset fore in Diuinis concedenda duo verba realiter inter se distincta, quod sanè repugnat, quia indè fieret hoc Verbum de facto productum non fore infinitum, cum non esset Diuinæ

ſcientiæ adæquatum, nec etiam repræſentatiuum omnis intelligibilis veritatis.

Tertiò ſi aliquid obſtat, maximè, quia in Deo non ſunt decreta libera, niſi poſt productionem conſumatam Filij, & Spiritus ſancti, eo quòd naturalia ſint priora liberis. At hoc non obſtat, ergo &c. Minor probatur. Anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis per ſcientiam beatam, & infuſam cognouit omnes ſuos actus liberos, toto vitæ curriculo futuros, & omnes euentus ab eiſdem dependentes, ergo multò magis Pater Æternus pro eo inſtanti, quo concipimus generare Verbum, cognouit omnia decreta ſua liberè futura, etiamſi poſtea intelligamus illa elici, & fieri præſentia ſolùm poſt conſummatam Filij, & Spiritus ſancti, proceſſionem.

Confirmatur. Omne futurum, eo ipſo, quod ſupponitur futurum, habet determinatam veritatem; ſed decretũ Creationis Mundi in eo ſigno, quo Pater genuit Verbum, erat verè futurum, ergo in eo ſigno habuit determinatam veritatem; ergo in eo ſigno fuit cognitum à Patre, cuius intellectus penetrat omnem veritatem; ergo cognitio Patris de tali decreto habuit ſuum terminum, nempè Verbum; ergo Verbum trhaxit originem etiam ex cognitione actuum liberorum Dei futurorum, & conſequenter etiam trhaxit originem ab omnibus futuris contigentibus.

Prima Propoſitio.

Reſpondeo Primò, Verbum per ſe nullo modo oriri ex cognitione eorũ, quæ Deus videt ſciẽtia viſionis. Hanc Concluſionem tenent omnes Theologi, tàm Veteres, quàm Recentiores, præter Valentiam, & Eminentiſſimũ Oregium locis præcedenti Diſputatione allegatis. Probatur primò ex aperto teſtimonio *S. Anſel. in Monol. c.* 30. vbi inter cetera hæc habet. *Si nunquam Creatura eſſet, nullum eius eſſet Verbum? quid igitur? an concludendum eſt, quia ſi nullo modo eſſet Creatura, nũquam eſſet Verbum illud, quod eſt ſumma, & nullius indigens eſſentia; aut fortaſſe illa ſumma eſſentia, quæ Verbum eſt; eſſentia quidem eſſet æterna, ſed Verbũ non eſſet, ſi nihil vnquam per illam fieret.* Deindè ſic poſteà concludit; *ergo ſummus ille Spiritus ſicut æternus; ità æternè ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis. Imò nõ ad illius ſimilitudinem, ſed ille principaliter, & mens rationalis ad illius ſimilitudinem: At ſi æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit; ſi æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum.* Et postea ſubdit hæc verba notatione digna. *Siuè ergo ille cogitetur, nulla alia exiſtente eſſentia, ſiuè alijs exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum coeternum illi eſſe cum illo.* Ex quibus verbis colligimus etiam fundamentalem rationem, qua eandem concluſionem ſic probamus. Quod oritur per ſe ex cognitione alicuius

cuius obiecti, talis cognitio obiecti non potest aliter se habere, quia quod est per se, est omninò necessariũ, & immutabile; sed cognitio futurorũ contingentium poterat aliter se habere, quia illa à Deo poterant nõ cognosci, sicut poterant non esse futura, ergo Verbum non oritur per se ex cognitione contingentium, secus sicut contingentia poterant non esse, ità etiam Verbum potuisset nõ esse, quod est omninò impossibile. Et confirmatur magis hæc ratio; Pater necessariò necessitate absoluta, & non tantum ex suppositione gignit filium suum, ergo non producit illum, nisi ex cognitione illarum rerum, quas necessariò intelligit, & amat. At Creaturas futuras non necessariò intelligit, & amat, nisi ex suppositione decretorum liberorum, ergo Verbum non oritur per se ex cognitione futurorum.

Secunda Propositio.

Respondeo secundò, Verbum neq; per accidens oriri ex cognitione futurorum contingentium, sicut per accidens oritur ex cognitione possibilium. Probatur. Quod est prius in suo esse perfectè constitutum, non potest etiã per accidens produci ab aliquo, quod sit eo posterius, sed Verbum prius est à Patre perfectè productum, antequam contingentia sint futura, ergo Verbum neque per accidens oritur ex scientia contingentium. Maior est clara; Minor probatur. Tùm quia naturalia sunt priora liberis ex S.Th. *hic 1.p.q.33 ar.3.ad 1.* sed generatio Verbi est opus naturale, futura cõtingentia sunt opus Diuinæ voluntatis. Tùm quia sicut omnes tres Diuinæ personæ concurrunt ad opera ad extrà, quia opera Trinitatis ad extrà sunt indiuisa, ità etiam omnes tres Diuinæ personæ concurrunt ad elicienda decreta libera, à quibus res habent esse futurũ; ergo antequam intelligamus esse in Deo vllum liberum decretum, oportet supponere consũmatam Filij, & Spiritus sancti productionem; & per consequens cognitio futurorum non poterit esse Origo Filij Dei.

Neque satisfaciet huic difficultati, si quis dicat hæc tria, Patris cognitionẽ, Verbum genitum, & Creaturas futuras in eodem instanti æternitatis simùl esse. Nam ità sunt simùl, vt tamen detur ordo dependentiæ futurorum à Diuinis Personis, sed vbi est dependentia, ibi est ordo, & prioritas naturæ ex Aristotele in Post prædicamentis. Quare sicut si mundus fuisset ab æterno creatus, non obstante æternitatis simultate, ille Mundus æternus esset causalitate Deo posterior, ità idem de Creaturis futuris philosophandum videtur, quæ non nisi post Verbi generationem, in Diuina Patris scientia nequeunt repræsentari.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertiò, Verbum neq; oriri per se, aut per accidens ex cogni-

tione Decretorum Dei ponendorum post eiusdem Verbi generationē. Probatur. Pater nō potuit cognoscere sua libera Decreta futura, ergo neq; Verbū potuit gigni ex illorum cognitione. Antecedens probatur; quia vel in sua voluntate illa cognosceret vt in causa, & hoc non, quia voluntas Dei erat indifferens, & sicut de facto habuit talia decreta, ità poterat ea non habere, vel ea cognosceret in actuali determinatione suæ voluntatis. Et hoc neq; quia antequam Deus actu aliquid decernat per aliquod decretum præsens, nulla est determinatio actualis, aut futura Diuinæ voluntatis; igitur Deus pro eo signo, quo intelligimus hucusque non decreuisse creare Mundum, non potuit cognoscere suum decretum futurum, sed tantum cognouit, se posse habere decretum de Mundo creando, & posse idem Decretum non habere.

Confirmatur. Nam Deus non cognouit ante suum decretum, quot Angeli, vel homines essent futuri, si determinaret creare alium Mundū, vt videtur per se notum; ergo similiter non cognouit Æternus Pater decretum suum futurum ante Verbi generationē, cum tale decretum pro eo signo nullam habere possit necessitatem essendi ex vlla suppositione.

Hinc deducitur discrimen inter decreta libera futura, & Spiritus sancti futuritionem; Nam Pater pro eo signo, quo generat Filium, potuit quidem cognoscere Spiritum sanctum vt futurū, vt more nostro res Diuinas explicemus; quia ille erat producendus ex naturali necessitate; & ideò Pater penetrando virtutē suæ voluntatis, & ipsam Verbi generationem, cognouit necessitatem productionis Spir. sanc. sequendæ post ipsam Verbi generationem: At decreta libera non possunt cognosci vi illationis in sua causa.

Secundò deducitur discrimen inter scientiam Christi de suis actibus futuris, & scientiam Dei. Nam actus Christi liberi possunt cognosci futuri antequam sint; quia futuritionem suam accipiunt primò, & per se à Diuina prædefinitione, quæ infallibiliter, & liberè mouet voluntatem creatam ad volendum id, quod Deus statuit eam velle, & secundariò ab ipsa determinatione futura causæ secundæ; At Diuina voluntas est primum liberum independens, & ideò non potest Deus cognoscere decretum suum futurum, antequā actu illud sit. Vnde siquis dicat, vel Deus pro eo signo, quo Filius gignitur, habebit decretum de *Mundi* Creatione, vel non habebit; Et cum vtraquè propositio non possit esse falsa, sequitur, vnam esse veram; atquè adeò à Deo cognosci. Respondeo hanc propositionem, neque esse verā, neque falsam, quia ante decretum nulla datur determinata veritas, vel falsitas de futuris contingentibus; Vtraq; enim pars contradictionis disiunctiuè considerata posset esse vera, & vtraquè falsa, vt alibi vberius explicabitur.

Quar-

Quarta Propositio.

Respondeo Quartò, Verbum oriri ex cognitione futurorum contingentium concomitanter, & identicè. Dixi identicè, quatenus oritur ab eodẽ actu Diuinæ scientiæ, quæ simul fertur in omnia futura contingentia, quæ quidem scientia dicitur etiam comitari Verbi generationem, quia non est per se origo illius, sed illam solùm comitatur. Atq; sic explicata Conclusio probatur. Verbum oritur ex cognitione eorum obiectorum, quæ ab eodem repræsentatur. Sed Verbum Diuinum concomitanter, & identicè repræsentat omnia futura contingentia; ergo etiam concomitanter, & identicè oritur ex cognitione contingentium.

Confringuntur aduersæ partis argumenta.

Ad primum respondeo. Quidquid habet Verbum, id totum accipit à Patre; distinguo, vel per se, & ex vi suæ processionis, vel identicè, & concomitanter: repræsentationem Diuinæ essentiæ Patris, & sui ipsius accipit per se; repræsentationem futurorum accipit solùm identicè, & concomitanter. Vel secundò dic Verbum accipere a scientia Patris repræsentationem contingentiũ solùm in radice, sicut ab eodem Patre accipit solùm in radice relationem spirationis ad Spiritum sanctum, non autem accipit ipsa in formalem spirationem actiuam, quæ consurgit post consumatas Filij, & Spiritus sancti processiones.

Ad Secundum respõdetur, scientiã Visionis consequi in Patre, Filio, & Spiritui sancto post decreta libera Dei, ad quæ omnes tres personæ concurrunt, vt dictum est, & hanc ob causam scientia Visionis non terminatur per se ad Verbum productum, sed solùm identicè, & concomitanter. Veruntamen hoc Verbum vtpotè infinitum, tantæ est perfectionis, vt posita futuritione creaturarum, per eandem perfectionẽ inuariabilem repræsentet omnia futura, quæ prius ex vi suæ generationis non repræsentabat, & poterat ea non repræsentare, si Deus ea fieri non decreuisset. Quare ad argumentum in forma neganda est illa illatio. Si Filius non oritur per se ex scientia Visionis; Vel scientia Visionis in Patre non haberet Verbum, vel danda essent duo verba realiter inter se distincta. Nam scitia Visionis in Patre terminatur ad idem Verbum, quod de facto producitur, quatenus posita futuritione rerum, Verbum ipsum ex sua perfectione eas repræsentabit, non tamen terminatur per se, & formaliter, sed solùm identicè, & concomitanter, quia si futura non essent futura, adhuc esset idem Verbum æquè perfectum, ac nunc de facto sit.

Quod si instes, Peto, Aut scientia Visionis Patris habet per se Verbum, vel non; Si primum, habetur intentũ; Si secundum, ergo scientia Visionis in Patre esset infœcunda, & inanis, quippè quæ Verbo careret.

Ref-

Respondeo non habere per se Verbum, tùm quia est de rebus contingentibus, quod autem est per se, immutabile est. Tùm quia scientia Visionis, vt præcisè est de creaturis futuris, non est per se, & secundum quod ipsum fœcunda; sed solùm identicè. Nam scientia Dei non terminatur ad Creaturas futuras nisi solùm extrinsecè, & ideò non est per se productiua Verbi, sed idem Verbum infinitum posita rerum futuritione habet, vt per eandem suã perfectionem inuariabilem eas repræsentet, cum idem manens easdem posset non repræsentare.

Ad Tertium negatur Minor. Ad probationem patet ex dictis Conclusione tertia. Deindè respondemus, illa ratione ad summum probari, Verbum gigni per accidens ex cognitione decretorum Dei futurorum, non autem ex cognitione decretorum Dei actu in Deo existentium, quæ solam Verbi generationem subsequuntur.

DISPVT. XL.

An nomen Verbi primariò significat relationem producti, & secundariò naturam; vel potius è contra.

Ad art. 3. S. Thomę.

DVo sunt in Verbo distinguenda. Primum est, Verbum esse vitalem imaginem, & exemplar Patris, ab illo realiter emanans, in quo vt in speculo è regione posito Pater videt se ipsum, & omne intelligibile; Secundum est respectus non realis, sed rationis, quem dicit Verbum ad Spiritum sanctum, & ad omnes creaturas, quas repræsentat.

Dico igitur, Si Verbum primò modo consideretur, primariò significare relationem producti; Secundariò naturam Diuinam. Colligitur ex S. *Th. hac quæst. 34. art. 1.* vbi hæc habet. *Verbum secundum quod propriè dicitur in Diuinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominũ personaliũ in Diuinis, eo quod personæ distinguuntur secundum origines. Et ar. 3. ad 4.* ait. *Nomen Verbi principaliter impositum est ad significandum relationem ad dicentem, & ex consequenti ad Creaturas.* Quod si oppositum docuisse videtur in primo sent. *dist. 27. q. 2. art. 2. & quæst. 4. de verit. art. 5* quem sequitur *Ferrar. 4. contra gent. cap. 14.* hic clarius teste Caietano art. 3. suam sententiam explicauit. Si autem Verbum secundò modo consideretur, tunc primariò significat essentiam, secundariò relationem producti: colligitur ex eodem S. Th. *hac quæst. 34. art. 3. ad 1.* vbi ait. *In nomine igitur Personæ Diuinæ, quantum ad relationem personalem non importatur respectus ad creaturam; sed importatur in eo, quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet, in quantum includitur in significatione eius essentia, quod importetur respectus ad creaturam*, hucusq; sanctus Thomas. Quare per hanc distinctionem conciliantur hæc loca D. Th. quæ primò aspectu inter se pugnare videntur, & simùl efficimus

mus Caiet.hic d. art.3. circa solutionem ad 4. & Ferr. d. lib. 4. contra Gentes cap. 14. inter se dissidentes fœdera iungere, & societatem inire.

Sed obijcit Ferrar. Verbum in Creatis primariò significat qualitatem, secūdariò relationem ad dicentē; ergo etiā Diuinum Verbum primariò significabit essentiam Diuinam; secundariò relationem ad Patrem dicentem.

Respondeo eadem distinctione supra posita, quæ etiam de Verbo creato procedit, scilicet duo esse in Verbo creato distinguenda; primum, quod sit similitudo rei intellectæ, secundum, quod hæc similitudo emanet ab intelligente. Primò modo Verbum primariò significat qualitatem. Secundariò relationem ad dicentem. Nam Verbum non repræsentat rem intellectam, vt relatio est, quæ non est repræsentatiua, sed vt qualitas est; at secundò modo Verbum primariò significat relationem ad dicentem; secundariò qualitatem, & sic proportione seruata idem in Diuinis contingit.

QVÆSTIO XXXV.

De Imagine.

DISPVTATIO XLI.

Quid sit Imago, quotuplex, & an soli Filio propria.
Ad Art. 1. & 2. S. Thomæ.

DVO ad Imaginem essentialiter requiruntur: Primum est similitudo in specie, vel saltem in aliquo signo speciei: Signum autem speciei in rebus corporalib. maximè videtur esse figura; videmus enim, quod diuersorum animalium secundum speciem sunt diuersę figurę, non autem diuersi colores; Vnde si depingantur colores alicuius rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Secunda Imaginis conditio est origo, quia vnum ouum non est imago alterius, etsi in forma conueniant, quia non est ab alio expressum idest procedens. *Ità D. Th. art. 1. in corpore*, & idem dicit *art. 2.* quod desumpsit *ex August. lib. 83. quæstionum, q. 74. & de Genesi ad lit. c. vltimo.*

Ex his colligitur Imaginis definitio, quæ est huiusmodi. *Imago est similitudo ab alio expressa, seu procedens ad repræsentandum ordinata.*

Diuiditur Imago in Naturalem, Intentionalem, & Artificialem; Naturalis est Filius; Intētionalis Verbū, quod dicitur Imago rei intellectę, Artificialis figura alterius, vt Statua. Porrò vt

S.Scrip-

S. Scriptura declaret, secundam Trinitatis Personam habere omnes Imaginis proprietates, & excellentias, ideò vocat eam Filium, Verbum, & Figuram substantiæ suæ, Ad Hæbr. 1. *Qui cum sit splendor Gloriæ, et figura substantiæ eius.* *Et Sap. 7.* dicitur: *Splendor est lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius. Et ad Colos.* 1. quasi antonomasticè dicitur *Imago Dei inuisibilis* vbi Chrysost. ser. 3. in eandem Epistolam in principio, inquit, *Cuius vis eum imaginē esse? Dei. est ergo eiusdem excellentiæ, & magnitudinis.* Vnde ad significandam imperfectioné Imaginis Diuinæ, quæ in homine relucet, nunquam dicitur in Scriptura. Homo est Dei Imago, sed ad Imaginem eius, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. At Filius in Diuinis, quia est perfecta Patris Imago, ideò absolutè dicitur Imago Dei inuisibilis, non autem ad Imaginem, vt pulchrè adnotauit *S. Th. ar. 2. a* 3.

Ex his deducitur primò, Filium esse Imaginem solius Patris, cum ipse solus absolutissimam Patris similitudinē in eiusdem naturæ Diuinæ identitate via generationis expressam in seipso referat. Quod etiam indicauit S. *Augu. l. lib. 6. de Trinit. cap. 2.* dicens. *Filius solus imago Patris*, cui consonat *S. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap 9. solus Christus*, inquit, *est plena imago Dei propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatē.* Deindè idem suadetur illa ratione, quòd Filius in Diuinis nō est imago sui ipsius, quia imago dicit relationem ad id, cuius est imago, & ab eodem realiter distinguitur. Vnde *Aug. lib 7. de Trin. cap. 1.* inquit. *Quid est absurdius, quam Imaginem ad se dici*, sed Filius nō distinguitur à se ipso, nec ad se ipsum dicit relationem, ergo Filius non est imago sui ipsius. Secundò neque est imago Spir. sanct. aut creaturarum, licet ab earum cognitione per se oriretur, quia ad imaginem requiritur origo; sed Filius non habet originem à Spir. sanc. neque à Creaturis. Relinquitur ergo quod Filius sit imago solius Patris.

Neque dicas cum Vasquez *Disp. 143. c. 5. & Disp. 145. cap* 3. sufficere ad imaginem, vt aliquid procedat ab alio, vt ab obiecto, sicut species dicūtur imagines obiectorum, licèt à Deo infundantur, vt in Adamo, & Angelis euenit. Nam hæc dicetur imago intentionalis, non autem imago naturalis, quæ fundatur in eadem forma, & hoc modo Filius dicitur imago solius Patris. In primò autem sensu non esset fortè absurdum admittere Verbum Diuinum esse intentionalem imaginē Spir. sanc. & creaturarum, si ex earum cognitione per se procedit, dummodo non concedatur, Verbum esse imaginem naturalem Spir. sanc. & Creaturarum.

At dicet aliquis; vel Filius est imago solius Patris, vt Deus est, vel vt Pater est: Non vt Deus est, quia hac ratione esset etiam imago sui ipsius, & Spir. sanc. cum vterque sit Deus. Neque vt Pater est, quia similitudo non est spectan-

ctanda, iuxtà notionalia, sed iuxta essentialia ex s. Thom. *hic art. 2. in corp.*

Respondeo Filium esse Imaginem Patris, non quo Pater est præcisè pater, aut quo Deus est præcisè, sed vt est Deus, & pater simul, vt optimè probat argumentum factum; itaut paternitas sit conditio necessaria, sine qua Filius non esset Imago patris, forma verò in qua similitudo naturæ spectatur, sit ipsa forma Deitatis.

Ad cuius euidentiam sciendum est imaginem esse formam ab exemplari emanãtem; Et ideò duo per se inuoluit Imago, scilicet habere quidem eãdem formam exemplaris; sed tamen ab illo procedentem, & ab eodem realiter distinctam; atquè ità Filius ratione eiusdem naturæ Diuinæ est similis patri formaliter, ratione generationis est similitudo patris ab illo procedens, & ab eodem distincta, cum genitum, & generans realiter inter se distinguãtur.

Deducitur Secundò, Nomen Imaginis propriè soli Filio conuenire; licèt Patres Græci, vt S. Th. *art. 2.* refert, Spir. sanc. Imaginem Filij, & Patris appellarint; Hi sunt *Athan. Epist. ad Serap. Episcopum; Damas. lib. 1. de Fide c. 18.* Quinimò *Gregorius Nissenus in vita alterius Gregorij cognomento Taumaturgi* narrat eidem Gregorio diuinitus traditum fuisse quoddã Fidei Symbolum, quod in eius Ecclesia quotannis legebatur, in quo Spir. sanc. Filij Imago vocabatur. Basilius item contra Eunomium vocat Spir. sanc. Filij Verbum, id est Imaginem. Verum Patres Græci sumpserunt nomen Imaginis latissimè pro perfecta similitudine in natura, vt declararent etiam Spir. sanc. eandem Filij Diuinam naturam habere, vt rectè eos exponit *S. Th. hic. art. 2. ad 1.* Vnde indubitatum est apud omnes Patres Latinos, Spir. sanc. non esse aliarum personarum Imaginem. Ita Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 7. Rupertus lib. 2. de Trinit. cap. 2. & S. Ansel. in Monol. c. 3 1*

Et probatur, tùm quia hoc nomen Imaginis in tota Scriptura nunquam Spir. sancto, sed soli Filio tribuitur, quod argumentum etsi sit negatiuum, tamen in rebus Fidei magnã vim habet: Tùm quia si Sp. S. esset Imago Filij, ergo esset genitus, & Filius, quia quod est Imago naturalis, & substantialis alterius ex vi suæ generationis est etiam Filius eius; At consequens non solùm est contra ipsos Græcos, sed etiam contra Scripturam, quæ Vnigenitum in Diuinis agnoscit.

Ratio autem, cur Filius, non Spir. sanc. sit Imago, non aliundè petenda est, nisi quia Filius procedit, vt similis Patri ex vi suæ processionis, quæ est intellectio, de cuius ratione est assimilari obiecto; At Spir. sanc. procedit solùm similis in natura identicè, non autem vi suæ processionis, quæ essentialiter dicit impulsum in rem amatam; non autẽ similitudinẽ. Ità *D. T. hic ar. 2*

Confirmatur hæc ratio, Nam Imago est ad imitationem prototypi; Et hoc vel ex intentione agentis, vel ex natura actionis; sed in naturali Imagine; non est necessaria intentio agentis, er-

Ii go

go sequitur vt talis imitatio, & similitudo prototypi debeat esse ex vi talis actionis. Ex quo euidenter patet ad imaginem naturalem requiri similitudinem, ab alio procedentem ex vi suæ formalis processionis.

Ex quo secundò infertur Spir. sanc. non esse imaginem, sed solùm Filium, quæ assertio hunc in modū demonstratur. Imago est id, quod ex vi suæ processionis fit per imitationem prototypi, sed dum Pater Æternus generat Filium, illa actio ex vi sua habet, quod fit formaliter ad imitationē prototypi, quia Verbum Diuinum est perfectissimum Paternæ intellectionis exemplar. At quando producitur Spir. sanc. proponitur ab intellectu Diuino Bonitas Diuina, non vt exemplar ad imitandū, sed vt finis amandus, ergo solus Filius erit vera Patris imago, & non Spiritus sanctus. Et hæc sint satis de Filio.

QVÆSTIO XXXVI.

De Persona Spiritus sancti.

DISPVTATIO XLII.

An Spiritus sanc. à Patre, & à Filio simùl procedat.

D. Th. Art. 2.

De Græcorum Errore, & schismate ab Ecclesia Latina.

QVemadmodum circa Spiritus sanc. à Patre processionem perpetua fuit inter Græcos, & Latinos concordia, id Christo clarè testante. *Ioann. 14. Spiritus, qui à Patre procedit*, ità circa processionē eiusdem à Filio, maxima fuit pertinax ac inueterata dissensio. Primus, qui hunc errorem tradiderit, fertur fuisse Theodoretus, sed multò verius est fuisse Nestorium, ac Nestorianos, vt ex *Concilio Ephesino tom. 2. cap. 31. & ex 5. Synodo collatione 4.* manifestè deducitur, & tradit S. Thomas *hac quæst. 36. art. 2. ad 3.* Cuius rei illud etiam argumento est, quòd Cyrillus Alexādrinus, coacta Synodo, duodecim edidit anathematismos cōtra Nestoriū, inter quos vnum erat, Spir. sanc. à Patre, & Filio originem suam trahere. Extat quoquè in operibus S. Cyrilli, necnon in *Concilio Ephesino tom. 1. cap. 3 v.* Symbolum Nestorianum, in quo etiā refertur, Sp. sanc. non à Filio, sed à solo Patre subsistentiam habere. Verū cum Theodoretus Nestoriana labe infectus oppugnatorem Nestorij audisset Cyril-

ntillum, & Synodum Alexandrinam, deindè Ephesinã, in qua Cyrillus tanquam Pontificis Legatus præfuit, & iterum Nestorius, & Sectatores damnati sunt, libellum contra Cyrilli nouē anatheismos edidit, inter quos processionem Spiritus sancti à Filio disertis verbis exclusit. *Porro*, inquit, *proprium Spiritum Filij, siquidem, & eiusdem naturæ, & à Patre procedentem dixit, simul nos confitemur, & vt piam vocem amplexamur. si verò tanquam ex Filio, vel per Filium suum habere essentiam dicit, vt blasphemiam hanc, & sicut impiam abijcimus. Credimus enim Domino dicenti, spiritus, qui de Patre egreditur, & diuinissimo Paulo pariter dicenti: Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est.*

Benè verum est, quod in Concilio Ephesino, in quo Theodoretus damnatus cum Nestorio est, actum tunc non fuit ex proposito de processione Spiritus sancti ab vtroque, sed de solo Incarnationis Mysterio, pro quo definiendo Patres tunc ex toto Orbe congregati fuerunt. Quare nulla tunc de hoc articulo expressa definitio manauit, consequenter nulla sit hæresis labe notandus Theodoretus, qui opera D. Leonis lapsum suum agnoscens, à Nestoriano errore ad Ecclesiam reuersus, beato fine quieuit, ac tanquam de sacris litteris benemeritus in Concilio Calcedonensi actione 8. tanquam Catholicus, ac spectabile Ecclesiæ membrum acclamatur.

Sunt qui dicunt heresim istam à tempore Theodoreti ad Theophilati ætatē, qui rursus Io. 3. contrà Latinos eundē errorem circa annum 540. renouauit, sepultam mansisse, vel saltem nullam de ea, teste *Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 1.* mentionem fieri. Verum hic Doctor primò deceptus est in annorum computatione. Siquidem Theophilatus floruit circà annũ millesimũ septuagesimum, vt Auctor est Baronius *Anno 1071.* Secundò ante tempora Theophilati hic error sæpe in varijs Concilijs damnatus, velut Hidra, reuiuiscebat ob Græcorum inconstantiam, & leuitatem, imò eundem innouauit, ac Græcorũ mentibus valde impressit impius, ac Schismaticus Photius Eunuchus, Spurius Sedis Constantinopolitanæ Antistes, in duabus Epistolis, quarum vnam dedit ad omnes Orientis Patriarchas, circà Annum Domini 863. in qua teste *Baronio eodem Anno num. 42. Tomo decimo*, inter alia multa sic loquitur. *O mali Dæmonis artes. Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed à Filio procedere nouiter docentes. Quis vnquam talem vocem ab ijs, qui aliàs impiè sunt locuti, prolatam audiuit? Quis nam obliquus serpens eorũ cordibus hoc instillauit, & miecit? Quis omninò eorũ, qui inter Christianos agunt, ferrè posset, in sancta Trinitate duo introducta principia, & causa, Filij quidem, & Spir. sancti causam Patrem asserendo, Spiritus verò sancti iterum Filium esse causam, & item in duos Deitatis fontes veritatem Dei diuidendo?* Aliã posteà habuit Epistolam multò proli-

xiorem ad Antistitem Aquileiæ, siuè Venetiarũ anno Dñi 883. quã Romę in Vallicellana Bibliotheca inuentam, & latinitate donatam recitat de verbo ad verbum idem Baronius *eodem tomo decimo, & anno 883. à num. 4. ad 29.* ad quem curiosum lectorem remitto. Huius Eunuchi tirannicè sedem prædictã occupantis, eloquentiss. Viri opera, Græca à Latina discissa est Ecclesia, licèt non tàm apertè, nequè cum omnimoda Pontifici Romano inobediētia, veluti id posteà factum est Leonis Noni tēpore, anno millesimo quinquagesimo primo, vbi tùm propter hunc articulum de processione Spiritus sancti à Patre, vel ab vtroquè, tùm propter illum, An Christus in fermentato, vel in Azimo pane Eucharistiam instituerit, Græci à Latins dissidentes, palàm Pontifici Romano obedientiã denegarunt, atq; ab Ecclesia Romana sese pertinaciter seiunxerunt. Hoc verò schisma, vt scribit *S. Antoninus in Historia par. 3. lib. 22. cap. 13. §. 11.* completum fuit industria Michaelis Cerularij Patriarchæ Constantinopolitani, qui fretus auxilio Constantini decimi Imperatoris, cognomento Monomachi, qui contrà Latinos acriter insæuiebat, & Summi Pontificatus desiderio commotus, summum Pontificem, ac Latinos omnes excommunicatione irretitos esse prædicabat, quod contra Ephesinũ anathema addidissent Nicenę Synodo, Sp. sanc. etiã à Filio procedere, consequenter Summum Pontificem Romanam Sedem amisisse, ex cuius amisione Summum Pontificatum ad se ipsum iure deuolutum, qui post Romanum primus esset. Ob id Imperator omnes Latinorũ Ecclesias, quę in eius ditione erant, claudi mandauit, maximis ijs, qui contrà Latinos scriberent, pręmijs constitutis. Ac deniquè circa annum Domini 1439. in illo celeberrimo Concilio, Ferrarię primũ, deindè Florentię celebrato, in quo de hoc articulo per plures disputationes actum est, Latinorum partes tuente Bessarione, Andrea Collosensi Episcopo, ac quodam Ioanne Theologo, Gręcorum verò Marco Ephesio Pręsule, acerrimo propugnatore, post compositam inter vtrãque Ecclesiam vnionem, ac ad patriã reditum, idem Marcus non modo Cõciliare iusiurandum violauit, ad pristinos errores rediens, sed Latinos omnes vt *ex sess. 25. eiusdem Concilij* colligitur, hęreticos, ac excommunicatos pronũtiauit. Verum post huiusmodi schisma, manifestum Diuinę irę flagellum super eos apparuit: Siquidem ab eo tempore deperijt apud eos sapientia, paucissimi viri Docti inter eos inueniuntur, nullibi acta apud eos Concilia, nullus inter Diuos canonicè relatus, nullus legitur miraculis coruscans, ac deniq; capta ipsa die Pentecostes Spiritui sancto dicata Constantinopolitana Vrbe, vt Auctor est Gerardus in sua Chronologia, ob opugnatam tertiæ personæ à Filio originem, Græcorũ Imperium ad Turcarum Imperatorem Maumethem, & Successores in tanti sce-

sceleris vindictam translatum est, sub cuius tirannico Imperio Græci omnes vitam omnium miserrimam ducere coguntur.

Catholica Fides explicatur, & roboratur.

Catholica tamen veritas est, Spir. S. à Patre, & à Filio simùl, vt ab vno principio procedere. Colligitur hæc veritas inter alia ex duobus Scripturæ testimonijs, quorũ primum habetur *Ioan.* 16. vbi Christus de Spiritu sancto sic fatur; *Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audiet, loquètur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* At quid est Spiritũ sanctũ non loqui à semetipso, sed quæ loquitur, à Filio audire, nisi Sp. s. scientiã, quam habet, à Filio via originis accipere? Quid insuper volunt ea verba *De meo accipiet*, nisi accipere à Filio substantiam, & essentiam, quam illi Filius communicat? propterea quasi in huius rei confirmationem subdit Christus. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet;* quasi dicat; sicut ego omnia accepi à Patre meo, id est essentiam, singulaque attributa, ità Spir. sanc. quidquid habet à me, & à Patre meo accepit.

Accipiendi namquè vocabulum in Diuinis idem est ac procedere. Quid enim potest vna persona Diuina ab alia accipere, nisi accipiat processionẽ & originem. Vnde *S. Hilarius lib. 8 de Trin. longè ante* inquit, *interro go, virũ idipsum sit à Filio accipere, quod à Patre procedere. Quodsi nihil differre creditur inter accipere à Filio, & à Patre procedere, certè ipsum atquè vnum esse existimabitur à Filio accipere, quod sit accipere à Patre.*

Secũdum testimoniũ est illud idem, cui Græci innituntur Ioan. 16. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittã vobis spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c.* Ex hoc loco colligere conabor Spir. sanc. à Filio procedere; & hoc dupliciter, primò quidẽ si ponderentur verba illa *quæ ego mittã vobis*; nam missio ad extrà, vt infrà vberius ostendemus, est Symbolum missionis, & originis ad intrà; Et ideò nusquam in tota Scriptura mitti dicitur Pater, quia à nulla Persona originem trahit. Dum igitur Filius se missurum Sp. sanc. promittit, simùl etiam à se ipso originem habere declarauit. Quod amplius cõprobatur ponderando sequens verbũ *spiritum veritatis, &c.* quod *Cyril. Epi 10.* sic optimè interpretatur. *Pollicetur, inquit, Spiritum veritatis idest suum; Nam ipse Veritas est; non est enim Spiritus alienus à substantia Filij, sed ex eo naturaliter procedit.* Addidit autem, *qui à Patre procedit* ne quis Sp. sanc. à solo Filio procedere suspicaretur, & non addidit *simùl à Filio*, vt Græci exigunt, ne inutiliter Christus repeteret, quod prius dixerat, vel vt inquit S. August. *lib. 3. contrà Maximinum cap. 14.* Christus speciali modo Sp. sanc. processionem Patri attribuit; quia Pater est principium sine principio, & fons ipse

ipse Diuinitatis communicans Filio ipsam virtutem spirandi Spir. sanc. & hac ratione, non sine causa, peculiari modo, Spir. sanc. processio Patri addicitur, & per hæc solutum manet primum, & principale Græcorum fundamentum.

Probatur secundò ex varijs Concil. Nam in 7. Synodo, magna ex parte ex Græcis congregata, in Confess. Fidei expresse habetur, Spir. S. à Patre, & à Filio procedere. Idem definitur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio ix. In Lateran. sub Innoc. iij. Et habetur *in cap. firmiter de summa Trinitate, et Fide Catholica in 6.* Et fusissimè in Concil. Florentino, vbi Disputatio ista accuratè pertractatur; Et cum aliquibus præallegatis Concilijs non pauci Patres Græci interfuerint, & consenserint, qui postea Ecclesiæ Romanæ renunciantes defecerunt, maximæ leuitatis, inconstantiæ, & pertinaciæ execrabilis labe notantur.

Probatur tertiò eadem veritas ex omnibus Latinis Patribus, ex quibus S. Anselmus librum integrum de processione Spir. sanc. à Filio conscripsit; vbi omnes Græcorum obiectiones velut Lux tenebras, dissoluit. Legi etiam debet Bessarion libro pro Græcor. vnione, qui habetur post Concil. Florent. vbi probat, Græcos Scismaticos propriam sententiam suis Græcis Patribus falsò adscripsisse; Et sanè vt multa hic omittam S. Ath. magnus Græcorũ Pater in Symbolo habet *Sp. sanc. à patre, & à Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*; hoc autem Symbolum fuisse à D. Athanasio compositum testantur Nazian. *oratione de eius laudib.* s. Augustinus *in psal. 120. &) lib. 1. de Trinit. cap. 7.* accedente præsertim vniuersali Ecclesiæ acceptione, & traditione, iunctisq; ijs, quæ in huius rei cõfirmationẽ doctè cumulauit Baronius *Anno Domini 340. num. 11, & sequentibus Genebrardus lib. 3. de Trinitate, Belarmin. lib. 2. de Christo cap. 25* Neque dici potest Symbolum istud à Latinis corruptum fuisse, cum Græca etiam exemplaria habeant *à Filio.* Et Cyrillus Alexandrinus eximius Græciæ Pater Epistola 10. quæ postea in Concil. Ephesino valde approbata fuit, eandem veritatem testatam reliquerit.

Eadem Catholica veritas quatuor Theologicis rationibus communitur.

Probatur Quartò eadem veritas nõ infirmis rationib. Prior est, quia si S.S. à Filio non procederet, nec ab eodem realiter distingueretur, vt sequenti Disputatione ostendemus. At apud omnes Catholicos, etiam Græcos ipsos, indubitatum semper fuit, tres in Trinitate esse personas realiter inter se distinctas; ergo &c.

Secunda ratio est, quia omnis amor est à voluntate per Verbum, quia nihil volitum, quod non fuerit præcognitum; sed Spir. sanc. est amor spiratus; ergo erit à Patre, & à Verbo simùl.

Tertia ratio est; Prior origine est

Ver-

Verbum, quàm sit Spir. sanc. quia actus voluntatis supponit actum intellectus, sed Verbũ in eo signo priori habet eandem voluntatem, quam habet Pater; ergo habet eandem virtutem spiratiuam; ergo hæc virtus debet exire in actum suum adæquatum; ergo impossibile est, spir. sanc. ità à solo Patre procedere, vt à Filio etiam non procedat. Ex quib. deducitur, Patrem in spirãdo sp. sanc. necessariò consortiũ Filij exigere, non ex aliqua eiusdem Patris impotentia; sed quia Filius habet candẽ virtutem spirandi, quam habet ipse Pater, qui eam Filio communicauit; Non secus ac licèt solus Pater sit sufficiens principium creãdi Mundum, non tamẽ illum creare potest sine aliarum Diuinarum Personarum consortio; nõ quia Pater illarũ auxilio egeat, vt fit in creatis, quando plura agentia ad eundem effectũ sunt necessaria; sed quia omnes Diuinę personę eadem gaudent omnipotentia.

Quartà & præcipua ratio, qua etiã contrà Græcos vsus est Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 21. desumitur ex ordine, quem inter se seruant Diuinæ personæ, vt primò loco semper collocetur Pater, secundo loco Filius, tertiò loco Sp. sanc. Mat. 18. *Baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & spir. sanc.* 1. Ioa. 3. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo pater, verbum, & spiritus sanctus.* At qua ratione post Filium semper recensetur spiritus sanctus, nisi quia ab eo procedit. si namq; à Patre solo, nulloq; modo à Filio procederet, quæ nam congrua ratio assignari posset, cur ipse spir. sanc. tertia persona, Filius verò secunda perpetuò nominetur.

Eneruantur præcipua Græcorum argumenta.

Maxima fuit Græcorum contra Latinos querimonia, quòd cõtrà scripturas induxerint spir. sanc. à Filio procedere. Nullibi enim in toto Euangelio, inquiunt, hoc legitur, sed sola processio eiusdem à patre. *Ioan.* 14. *spiritus, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* sed nihil est de sanctissima Trinitate inducendum, quod in Euangelio expresè non contineatur, ergo Latini contrà Euangelium errarunt. Respondeo processionẽ spiritus sanc. à Filio expresè haberi in Euangelio locis citatis, vel saltem ex ijs locis manifestè deduci, vel dic. processionẽ sp. sanc. tribui Patri, vt denotetur ipsũ esse diuinitatis fontem, vt vbi supra docuit Augustinus, ità tamen hæc processio tribuitur Patri, vt non excludatur Filius.

Quapropter multa in scripturis tribuuntur Patri, quæ tamen illi soli non conueniunt, sed alijs duabus personis communia sunt, vt *Mathæi 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguinis non reuelabit tibi, sed pater meus, qui in Cœlis est.* Certè ipse Filius cum spir. sanc. intelligendus est reuelasse cum Patre. *Matt. 11. Nemo nouit filium, nisi pater, & cui voluerit filius reuelare.* Certè etiam spir. sanc. filium

nouit

nouit itē *Io.* 14. *Qui videt me videt & Patrem meum*, Quare sicut ijs verbis non est excludendus Spir. sanc. ità similiter cum dicitur Spir. sanc. à Patre procedere, non est separandus Filius. Nomen igitur Patris Filio est commune in ijs omnibus locutionibus, in quibus Pater non quo est Pater id operatur, sed quo Deus est, & quia Pater non per hoc reuelat, quo Pater est, sed quo Deus est, ideò nomine Patris venit tunc Pater, Filius, & Spir. sanc. ita similiter cum Pater spiret Spir. sanc. non quo Pater est, qua ratione solùm respicit Filium, sed quo Spirator est, seù quatenus habet virtutem spiratiuā ex voluntatis fœcunditate prouenientem, idcircò nomen Patris in tali locutione conuenit etiam Filio, cui voluntas, quod est spirandi principium, competebat.

Secundò obijcit Photius Patriarcha in Epistola supra relata hunc in modum, si spir. sanc. esset à Filio, vtiq; nepos esset Patris, consequenter Filius esset eius pater. Respondeo spir. sanc. minimè patris nepotē dici, tùm quia non est filius filij, tùm quia ab ipso patre immediatè procedit.

Tertiò obijcit, si spir. sanc. à patre, & filio procedit, ergo pater non est per se sufficiens principium spir. sanc. egebitq; adminiculo filij ad illius productionem, consequenter pater erit imperfectum spir. sanc. principium. Respondeo etiam mundi creatio esse non potest à solo patre, non ex imperfectione principij, sed quia mundus est à Dei potentia, quæ est tribus Diuinis personis communis; ità spir. sanc. non est à patre ex indigentia filij, sed ex virtute spiratiua, quæ est vtrisquè necessitate naturæ communis, ex quo non sequitur duo esse spir. sanc. principia, vel Diuinitatis fontem esse in duo principia diuidendum, vt ille argumētatur, cum eadem sit virtus spiratiua vtriusque. Quare quidquid est à patre, est à filio, nisi proprietati filiationis repugnet.

Quartò maximè reprehēdunt Græci Latinos, quod contrà prohibitionem tertiæ synodi generalis sub anathematis pœna, quæ in calce eiusdem habetur, temerariò ausu qudquam addiderint symbolo Cōstantinopolitanæ synodi, in qua sic legitur. *Credimus in spir. sanctum dominum, & viuificantem ex patre procedentem, cum patre, & filio adorandum, & glorificandum*; sed Latini huic Symbolo addiderunt à filio spir. sanc. procedere, ergo sunt rei anathemathis.

Quocirca causam schismatis Græcorum fuisse hanc additionem à filio factam à Latinis, inconsultis Grecis, testatur Marcus Ephesius, qui Græcorum partes in Florētino Concilio peruicacissimè tutebatur. Sic enim hanc eandē ille reddit causam *sess.* 3. *in principio* ijs verbis. *Scire autem, vos Patres amplissimi, velim, nos de symboli additione verba esse facturos, quod neque vera, neque prorsus conueniens sit, quam sanè constat nostri schismatis, ac dissidij præcipuam causam fuisse*, & infrà *A mutua erga sororem suam Orientalem Eccle-*

clesiã beneuolentia Romana Ecclesia iam defecerat, dogmaque sibi proprium finxerat, ac sibi perpetuò conseruauerat, quod neque litteris relictum, neque ab vniuersalibus Concilijs celebratum, neque à maioribus nostris susceptum, & probatũ fuerat, idque propterea soluendæ nostræ amicitiæ causam simultatumque nostrarum initium dubio procul fuisse constat.

Respondeo Primò illã prohibitionem additionis solùm includere Episcop. particulares, aut Clericos, vel Laicos, vt disertis verbis ibidem asseritur, non autem se extendere ad Summum Pontificem, vel ad alia Concilia Generalia eiusdem auctoritatis. Nam priora Concilia nõ abstulerunt posterioribus facultatem Fidei nostræ Articulos magis explicandi.

Respondeo Secundò, in quolibet Concilio institutũ fuisse aliquot Symbolum ad detestandum aliquem errorem, contra quem Concilium erat congregatum. Attamen posterius Concilium nõn faciebat aliud Symbolum quam primum, sed quod implicitè in priori continebatur, in posteriori explicitè proponebatur credendum. Quoniam verò tempore Nicenæ Synodi nundum insurexerat error dicentium Spir. sanct. à Filio non procedere, non fuit necessarium in eo Concilio explicitè proponere processionem Spiritus sanctus à Filio. Postea verò occasione dicti erroris talis processio à Filio fuit magis expressa, quæ implicitè in processione eiusdem à Patre continebatur. Sic respondet Sanc. Thom. *bicar. 2. ad 2.* Itaque vt rectè ratiocinatur *Andreas Latinus Theologus in Concilio Florentino sess. sexta* illa non meretur additionis nomen, cum additio propriè ex rebus extraneis contingat, sed potiùs dilucidatio eiusdem veritatis dicenda est.

Respondetur Tertiò, causam schismatis Græcorum non fuisse hanc additionem à Filio; sed propria peccata, & præsertim affectatum Summi Pontificatus apicem, odiumq; Constantini decimi Imperatoris in Latinos conceptum, vt supra dictum est. Quod sanè ex illo magis confirmatur, quod *Damasus Papa Anno 367. in Epist. ad Paulinũ Antiochenum Episcop.* à Theodoreto dolo malo falsatam, vt probat *Baronius tom. 6. anno 871.* disertiss mis verbis tradat Spir. sanc. à Patre, & Filio simùl procedere; & eandem traditionẽ probauit *Damasus Papa*, qui tempore Constantinopolitanæ Synodi vixit, *in Epist. ad eundem Paulinum Antiochiæ Episcopum*, quam ex antiquis exemplaribus haustum refert de verbo ad verbum *Gernadius pro Concilio Florentino cap. 1. sess. 7. tom. 4. Bibliothecæ ss. Patrum*, idipsum testatum reliquit *S. Leo Papa* primus, qui vixit circa annũ 440. *in Epi. 9. alias 93. cap. 1. ad Turibium* Episcopum contra Priscillianistas. *Hormisda*, qui floruit circa annũ 514. *in Epist. ad Iustinianum Imperatorẽ cap. 2. tom. 2. Conciliorum.* Quinimò Cardinalis Iulianus *in Conc. Flor. sess. 5* ad Græcor. Imper. ibi præsentẽ aduersus eosdẽ Græcos ostendit in 7. Synodo:

legi eadem verba. *Et in Spiritum sanct. Dominum, et viuificantem, qui ex Patre, Filioquè procedit*. Sic autem eum alloquitur. *Septimi*, inquit *Concilij symbolū, serenissime imperator, quod modo fecimus recitari, in vetustissimo volumine scriptum est, vt nemo poterit suspicari corruptum fuisse, cùm præsertim quidam Historicus noster antiquus quidem, ac litteratus inter alia id quoq; testetur, hoc ipsum Symbolum in 7. Concilio recitatum fuisse. Tali propterea symbolo cū hac additione, vel declaratione, ex Filioq; non mediocrē tribuimus auctoritatem*. Hæc ille. Cum itaq; peruetus, constans, ac perpetua fuerit in vtraq; Ecclesia de processione Spir. sanc. à Filio traditio, quæ per annos trecentum, & amplius sine iurgijs, ac dissidijs beneuolè, ac firmiter perdurauit, indè apertè colligitur, causam schismatis Græcorum non esse in hanc additionem à Filio refundendam, sed potius in propriam suorum Antistitum ambitionem, Clericorum cæcitatem, ac Orientalium Imperatorum efferratam in Romanos Pontifices maleuolentiam.

Hinc deducitur, quid dicendum sit ad illam quæstionem. Quo tempore, & à qua Synodo, Niceno symbolo facta fuerit hæc additio *Filioq;* Nam. *D. Th. hic art. 2. ad 2.* tradit fuisse appositam à quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato, sed nullum determinatè assignat. *Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 1. in fine* dicit rem incertam esse. Alij dicunt fuisse additam in Concilio Romano sub Damaso Papa, illo ipso tempore, quo celebratum est Cōcilium primum Constātinopolitanum; quam sententiam rectè refellit Belarm. *tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 21. versus finem*, potissimum ex eo, quod nulla hac de re memoria habeatur, nec apud Concilia, nec apud Theodoretum, qui in sua Historia inseruit Epistolas Concilij Cōstantinopolitani ad Damasum, & Damasi ad Concilium. Andreas Theologus Latinus in Concilio Florētino docebat additionem factam fuisse in sexta Synodo à Summo Pontifice post annū Domini sexcentesimum, occasione discordiarum, quæ hac de re exortæ erant in Gallia, & Hispania, in quam sententiā descendit etiam *Belarm. d. cap. 21. post medium*. Nam quamuis ista traditio esset multò antiquior, vt ostensum est, tamen hic non agimus de illius antiquitate, sed quo tempore Symbolo Niceno adiecta fuerit. Vnde in Concilio Toletano iij. celebrato anno Domini 589 ponitur symbolum sine hac additione, quæ tamen postea expressè habetur in Concilio Toletano viij. celebrato anno Dñi 653 necnon in 7. Synodo, vt dictum est, quæ habita fuit anno Domini 787. Verum post receptam hanc additionem in Gallia, & Hispania Episcopi Galliarum cæperunt symbolum Nicenum cum illa particula *filioq;* publicè inter Missarum solemnia decantare, cum autem id fieret absq; Romani Pontificis auctoritate, mittuntur a Concilio Aquisgranensi sub Carolo Magno Romam Legati ad Leonem iij vt

vtreceptam Galliarũ consuetudinem approbaret, & confirmaret. Restitit illis Leo, consuetudinem illam paulatim tolli potius hortatur, in cuius rei comprobationem, & ad seruandam antiquitatẽ, ac ad venerationem symboli Cõstãtinopol. tabulas duas argẽteas, vt etiam testatur *Magist. in 1. sent. dist. 11.* vel secundũ Baron. *t. 10. An. Christi 883. n. 33.* clypeos duos argenteos super altare Principis Apost. suspendi iussit, in quorum vno symbolum Nicenum Græcè, in altero verò Latinè cõscriptum absq; particulá *filioq;* legebatur. Ex quo facto non rectè infertur à Græcis præsertim à Photio in illa Epist. ad Antistitem Aquileiæ, Pontif. Græcorum sententiæ adhæsisse, Latinorumq; Consuetudinem abrogasse. Siquidem idem Leo Catholicũ dogma nẽpè S. S. à Filio procedere, coram Legatis publicè professus est ijs verbis ab eodem Baronio relatis. *Ità sentio, ità teneo, ità cum his auctoribus, & s. Scripturæ auctoritatibus; si quis aliter sentire, vel docere hac de re voluerit* detestor, *& nisi conuersus fuerit, & secundum hunc sensum tenere voluerit, contrariam sententiam funditus abijcio.* Sed tamen adduci non potuit, vt legatis consentiens eundem morem apponẽdi in symbolo *filioq;* in Romana Eccles. induceret, illa ratione permotus, quòd necesse non esset, neq; etiam cõsentaneũ, vt omnis veritas Catholicæ Fidei symbolo inseratur: id cũ ægrè ferrent Legati in Galliam reuersi, causam dederunt schismati, quod vbi imminere intelligit Pontifex, vel idem Leo iij. vel certè eiusdem successor certior etiã factus de multis in Græcia conciabulis contra Catholicum hoc dogma, necnon multis etiam scriptionibus, præsertim à Photio oppugnari, ideò tũ ad sedãdum Galliarum, & Hispaniarũ tumultum, tùm ad retundendam nonnullorum schismaticorum temeritatẽ, iussit in Romana etiam Ecclesia illud additamentum *filioque* in symbolo apponi, necnon inter Missarum solemnia publicè decantari. Quod autem ista accessio *filioque* ad sedandas seditiones hac de re in Gallia, & Hispania exortas, prudẽtissimè à sum. Pont. plurium Episcop. & Card. cõsensũ habito, facta sit, euidenter testatur *Concil. Florent. sess. 7. Ferrariæ habita* ijs verbis *Maxima in Gallia, & in Hispanijs schismatẽ imminente, cum iam ex Filio passim celebraretur, Rom. Pontifici fuit necesse, in multorũ Occidentalium ampla dignitatis, magniq; Consilij Patrum conuentu, additoex filioq; symbolum magis illustrare.* idipsum Eugenius Papa in decreto cõfirmationis eiusdem Concil ij factũ docet, *Licitè, & rationabiliter* ait, *declarandæ veritatis gratia, vrgente necessitate.* Verum quis fuerit iste Pontifex adhùc ambiguum relinquitur. Quod enim aliqui Nicolaum, alij Christophorum Papam auctorẽ huius additionis faciunt, meritò Baronius loco citato num. 35. vtrumq; dictum refellit, quòd Christophorus, Apostolicæ Sedis inuasor fuerit, Nicolaus verò à Photio in duab. Epistolis contra Romanam Ecclesiam conscriptis, nullo modo de

hac additione redarguatur. Ego suspicor fuisse, vel Leonem ipsum iij. à Legatis Caroli Magni consultum, vel immediatum eiusdem successorem, vt imminenti schismatis periculo antidotū quamprimum pararet, ac nonnullorū Græcorum, qui iam ab Ecclesia recesserunt, petulantiam reprimeret.

DISPVT. XLIII.

An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ab eodem realiter distinguetur.

HÆc Quęstio licèt ex hyppothesi impossibili procedat, & admisso vno impossibili infinita sequantur; vtilissima tamen est ad discernendū, quæ nā sit ratio formalis distinguens S.S. à Filio; Nam si pars affirmans erit vera, sequitur S.S. distingui à Filio filiatione sola. Si pars negans, quā nos sequemur, erit vera, necessariò ex illa infertur, rationem formalem, per quam spir. sanc. à Filio distinguitur, esse solam spirationē actiuam, & ideò doctiores Theologi hanc quęstionem vt valdè necessariam accuratè pertractarunt, tùm vt rationes formales distinguendi vnam personam ab alia nō rudi Minerua, sed Metaphisica subtilitate inuestigarent, tùm vt Græcos ipsos cōuincerent argumento suprà à nobis allato; nempè si spir. sanc. à Filio non procederet, tolli realem Diuinarū personarum distinctionem.

In hac igitur Controuersia *Scotus in* 1. *d.* 11. *quæst.* 2. & eadem dist. *Franciscus Maior*, & *Ioannes de Bassolis* pro hac parte acriter pugnant si spir. sanc. per impossibile à Filio nō procederet, adhuc tamen realiter ab eo distinctum iri. Eandem sentētentiam prius docuerat *Henricus Gandauensis Quodlib* 5. *q.* 9. cui e Recentioribus adhæsit *Ioannes Zamorro Ordinis Capuccinorum de Trin. tract.* 1. *q.* 9 *art.* 2. nec alios legi extrà scholam Scotisticam huius sententiæ Sectatores. Cum Scoto conuenirè videtur S. Tho. ob insigne eiusdem testimonium à paucis tactum *Quodlib.* 4. *q.* 4. *art.* 7. vbi tractans hanc quæstionem *Vtrum Filius distinguatur filiatione à spiritu sancto* eidem respondet his verbis. *Dicendum quod hoc modo se habent proprietates personales in Diuinis ad distinguendum Personas, sicut se habent in rebus naturalibus formæ substantiales ad distinguendas species eorum; Sic tamen quod à Creaturis exempla ad Deum assumpta non omninò similia sunt. In rebus autem naturalibus distinguitur aliquid per formam suam ab alio dupliciter. vno modo secundum directam oppositionem formæ ad formam; & hoc modo distinguitur vnaquaquè res naturalis ab omnibus speciebus sui generis, quæ habent formas opposita, secūdum quod genus diuiditur oppositis differentijs, sicut Sapphirus distinguitur sua forma ab omnibus speciebus lapidum. Alio modo distinguitur res naturalis per suam formam secundum habere, & non habere, & hoc modo quod habet aliquam formā naturalem distinguitur ab omnibus non habentibus for-*

formam illam. ſicut Sapphirus pro ſuam formam naturalem diſtinguitur non ſolum ab alijs generibus lapidum, ſed à ſpeciebus animalium, & plantarum. ſic ergo dicendum, quod Filius ſua filiatione diſtinguitur quiaem à Patre ſecundum oppoſitionē relatiuam filiationis ad Paternitatem, ſed à ſpiritu ſancto diſtinguitur filiatione, per hoc quod ſpir. ſanc. non habet filiationē, quã habet filius. Hæc ille. Si filius diſtinguitur à Sp.S. filiatione, diſtinguitur igitur ab eodē, nō ſola relatione originis oppoſita, ſed diſparata, conſequenter ſi ſpir. ſanc. à filio non procederet, vtiquè ex D. Th. ſententia, etiam ab eodem, ſola filiatione diſtingui manifeſtè deducitur. Cōcordat igitur cum Scoto S. Thomas, licèt diſſidere inter ſe cōmuni errore cēſeantur.

Probant deindè Scotiſtæ ſuam ſententiam multis modis, & Primò ex S. *Auguſt. lib. 5. de Trinit. c. 14.* vbi inquit *Et ſi filius, & ſpir. ſanc. à Patre procederent, non tamen ſpir. ſanc. fore filium, quia filius procedit vt natus*; ergo vult Auguſt. ſpir. ſanc. etiam facta tali ſuppoſitione realiter diſtingui à Filio. Quã doctrinam amplexus *S. Anſelmus* eius Diſcipulus *lib. de proceſſione ſpir. ſanc. cap. 4.* cum docuiſſet, Filium eſſe alium à ſpir. ſanc. quia ille de Patre eſt naſcendo, hic procedendo, poſtea ſubdit; *Nam ſi per aliud non eſſent plures filius, & ſpir. ſanc. per hoc ſolum eſſent diuerſi, ſcilicet, quia ille eſſet naſcendo alter procedendo.*

Sꝫcundò Probatur allata Anſelmi ratione Spir. ſanc. ex intrinſeca ſua ratione habet, vt nō generetur, Filius, vt generetur; ſed vnus & idem terminus non poteſt ſimùl generari, & non generari; ergo etiãſi S.S. nō procederet à Filio, adhuc ab eodem realiter diſtingueretur, quia ille naſcendo, hic procedendo exiſteret. Confirmatur, quia impoſſibile eſt vnam, & eandem perſonam duabus totalibus, & diſparatis emanationibus produci. At ſecundũ oppoſitam ſententiam eadem perſonã Filij, & ſpir. ſanc. duabus emanationibus totalibus eſſet producta, quod repugnat, ergo.

Tertiò, Per quod aliquid conſtituitur in eſſe, per illud diſtinguitur à quocumquè alio; ſed filius conſtituitur in eſſe Filij per filiationē; ergo per eanden diſtinguitur à ſpir. ſanc. modo ſic. Sed ſi ſpir. ſanc. non procederet à Filio, adhùc Filius eſſet verè Filius, ergo per ſuam filiationem à ſpir. ſanc. diſtingueretur, & ſic habetur intentum.

Confirmatur, Si ſpir. ſanc. non procederet à Filio, ſolùm ab eodem tolleretur ſpiratio actiua, remaneretq; filiatio, quæ eſt proprietas perſonalis, ſed perſonæ diſtinguuntur per proprietates perſonales, ergo ablata ſpiratione actiua adhùc Filius eſſet perſona incommunicabilis à ſpir. ſanc. realiter diſtincta.

Quartò pono hunc caſum; ſi ſpir. à Filio, & non à patre procederet adhùc à Patre realiter diſtingueretur, ergo ſi mili modo ſi ſpir. ſanc. à ſolo Patre, & non à Filio procederet, ab eodem Filio rea-

realẽ haberet distinctionẽ. Consequentia est nota; Nam adæquata ratio, quà Aduersarij vtuntur, Cur spir. sanc. si à Filio non procederet, ab eodem neq; fore distinguendum; est processio, & oppositio originis; At in isto casu nulla esset processio spiritus sancti à Patre, & tamen ab eodem realiter distingueretur, ergo idem dicendum est in propositæ quæstiones casu, nempè ablata origine Spir. sanc. à Filio, adhuc Spir. sanc. ab illo fore distinctum. Antecedens autem probatur; Nam si tali cõcessa hyppothesi Spiritus sanctus à Patre non distingueretur; Igitur Sp. sanc. tunc esset idem cum Patre; atquè ità, sicut spir. sanc. à solo Filio procederet; Ità necesse esset dicere, etiam ipsum Patrem à Filio suo procedere, quod est impossibile.

Quintò si spiritus sanctus à Filio nõ procederet, adhùc essent in Patre duæ emanationes, vna per intellectum, & alia per voluntatem, quę disparatè solùm inter se distinguerentur, ergò per emanationem intellectus gigneretur Filius, & per emanationẽ voluntatis Sp. S. spiraretur, & sic forent duę Personæ realiter distinctæ; Etenim sicut ab eadem omnipotentia tot emanarunt creaturæ; Ità ab eadem Persona Patris non apparet, cur duæ personæ realiter distinctæ nequirent emanare.

Sextò Paternitas, & spiratio passiua realiter inter se distinguuntur, sicut etiã filiatio ab eadem spiratione passiua realiter distinguitur; sed Paternitas, & spiratio passiua, nec non filiatio ad eandem spirationem passiuam comparata sunt relationes disparatæ; ergo istæ solæ sufficiunt ad ponendam distinctionem in Diuinis realem; ergo nõ est necessaria ad hoc relatio originis, ergo ablata origine sp. san. à Filio, adhùc ab eodem realiter distingueretur, quia Filius haberet suam relationẽ filiationis, ab illa spir. sanc. propria disparatã.

Obseruationes circa propositam difficultatem.

Pro explicatione veritatis notandũ est Primò. Si spir. sanc. à Filio non procederet, ex tali suppositione per locum intrinsecum sequi spirit. sanc. non esse eandem omninò numerò Personam quæ nunc est. Ratiò est, quia spiratio passiua, per quam spir. sanc. in esse personali constituitur, de facto essentialiter respicit Patrem, & Filium, à quibus de facto procedit, sed in tali casu respiceret solùm Patrem, & non Filium, ergo non esset illa eademmet relatio, quę nunc est, & cõsequẽter alius esset tunc spir. sanc. ab eo, qui nunc est; Idem dic de Filio; Nam filiatio de facto est fundamentũ spirationis actiuæ, & intimam habet cum illa connexionem. Ac in tali casu filiatio non foret fundamentum spirationis actiuæ, nec vllam intrinsecam cum illa connexionem habitura esset; ergo non esset eademmet omninò filiatio, quæ nunc est, & consequenter neque filius esset idem, qui nunc est, sed alius, alienis constans proprietatibus.

No-

Notandum secundò, totam hanc inter Scotistas, & Thomistas controuersiam reduci ad hunc punctum: An disparatæ relationes sufficiant ad distinguendam vnam Personam Diuinam ab alia: an verò requiratur relatio opposita originis; hoc est, an requiratur; vnam personam ab alia procedere, vt ab illa distinguatur. Scotistæ volunt sufficere disparatas; & ideò dicunt, ablata origine Spiritus sancti à Filio, filiationem tamen; & spirationē passiuā adhùc fore realiter distinctas; quia cum sint relationes disparatæ, & specificè diuersæ, non possunt in vnā, & eandem coalescere relationem. At Thomistæ dicunt, ad ponendam in Diuinis realem distinctionem necessariò requiri oppositionem originis; Et quia implicat idē producere seipsum; ideò ex hac radice oriri realē Diuinarum Personarum inter se distinctionē. Hoc autem fundamentum, cum non solùm Fide, sed naturæ lumine sit certissimum, ideò Thomistæ iudicio meo solidius procedunt. Isti enim rectius saluant duos Fidei nostræ Articulos; quorum primus est, Diuinas Personas realiter inter se distingui, alter verò est, non posse in Diuinis plusquam tres reperiri personas, quia necesse est, vnam supponere improductam, quæ sit aliarum origo; Et vnam, quæ sit ab illa, & tertiam à duabus prædictis. At si ad distinctionē Personarum sufficeret pluralitas relationum disparatarum, plures tribus posset aliquis meritò dubitare esse in Diuinis Personas; Nam spiratio actiua est relatio disparata à paternitate, & filiatione, non secus ac spiratio passiua sit relatio disparata ab eadem paternitate, & filiatione; ergo spiratio actiua secundum Scotistica principia quartam personam Trinitatis realiter ab alijs distinctam constitueret, sicut hoc præstat spiratio passiua.

Notandum Tertiò, si spir. sanc. à filio non procederet, tunc spir. sanc. & filium vnam, & eandem fore Personā, quæ simùl haberet duas istas relationes disparatas, nempè filiationem, & spirationem passiuam; quæ sola ratione ratiocinata inter se distinguerentur. Etenim sicut in Patre sunt duæ relationes disparatæ, sola ratione inter se distinctæ ob diuersam earum habitudinem, nempè paternitas, & spiratio actiua; & secundum vnam dicitur Pater, & secundum aliam Spirator, ita eadem met Persona à Patre producta esset in tali casu simùl Filius, & Spiritus sanctus, quæ prout intellectione gigneretur, Filius diceretur, & prout volitione spiraretur, Spiritus sanc. nuncuparetur.

Notandum Quartò, in hac disputatione cauēdum esse ab apprehensione, quam formamus de Spir. sanc. prout de facto producitur. Concipiendus est enim Spir. sanc. posita tali suppositione longè alterius rationis, quam nunc sit, vt supra etiam dictum est; Et in hoc sæpè arguentium rationes æquiuocare sum expertus, quæ procedunt à Sp. sanc. prout de facto in Diuinis reperitur, & ex hac radice multa contra nos absur-

absurda inferuntur, quæ tamen illicò corruunt, si transitum non committant à Spir. sanc. de facto producto ad Spiritum sanctum ex tali concessa hippothesi producendum. His præmissis fundamentis sit.

Vnica Propositio.

Respondeo, Adæquatam rationem distinguendi vnam Personam Diuinã ab alia esse processionem vnius ab alia, & consequenter ablata origine Spir. S. à Filio nullo modo in illo casu fore à Filio distinctum. Ità *S. Th. quæst. 10. de Potentia art. 4. contra Gentes cap. 29.* vbi *Ferrar. & hac quæst. art. 2.* vbi Caietanus, & reliqui Thomistæ nemine prorsus excepto eandem sententiam sequuntur. Nequè vrget testimoniũ eiusdem *S. Th. ex Quodlib. 5. art. 7.* supra inductum, tùm quia locis iam allegatis apertius suam mentem declarauit, itaut de illa dubitari non possit, tùm quia non incōgruè exponi potest, quòd loquatur de filiatione pro vt de facto in Diuinis reperitur, quæ saltem mediatè est spiratiua, seù principium spirandi, consequenter realiter à Spir. sanc. distinguitur, non autem loqui de filiatione ex illa suppositione, quòd Spir. sanc. à Filio non procederet; nam tunc filiatio, & spiratio passiua distinguerentur quidem specificè, sicut filiatio, & spiratio actiua, sed minimè realiter tamquam res à re, vt in solutione argumentorum latius declarabitur; & ideò hanc D. Th. sententiam, veluti ss. Patribus, & Concilijs multò conformiorem, tàm Veteres, quàm Recentiores omnes Theologi cuiuscumquè Scholę meritò fuerunt amplexati.

Probatur primò ex illo communi Axiomate. *In Diuinis omnia sunt vnũ vbi non obstat relationis oppositio*; sed sublata origine Spir. sanc. à Filio, nulla esset oppositio relatiua inter istas duas Personas, sed solùm disparata; ergo non essent duæ Personæ, sed vna. Maior alibi à nobis non paruo ss. Patrum numero communita fuit, inter quos est *Anselmus lib. de processione Sp. sanc. cap. 3. Gregorius Nissenus in lib. cuius titulus est tres dici Deos non oportere ad Ablab. circa finem*, vbi hæc legi. *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprahendimus, nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa* vbi ponderanda sunt inter alia, verba illa *per quod solum discerni alterum ab altero*, vbi solam relationem originis causam differentiæ, & realis distinctionis in Diuinis constituit. Colligitur etiam idem axioma ex præclaro testimonio *Concilij Toletani 10. in confessione Fidei*, vbi sic habetur. *In relatione enim Personarum numerus cernitur. In Diuinitatis verò substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur, ergo hoc solũ numerũ insinuant, quod ad inuicē sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt*, vbi ponderanda sunt verba illa *hoc solũ numerũ insinuant, quod ad inuicem sunt*, per quod denotatur, ablata oppositione relatiua, vnam Personam

nam

nam ab alia nequaquā re distinguí. Idem hac ratione etiam magis confirmatur; Nam videmus, quidquid nullam dicit in Diuinis oppositionem originis inter se identificari; sic Intellectus, & Voluntas, & intellectio, & volitio licèt inter se comparata, disparata sint, tamen realiter inter se etiam ex Scoto non distinguuntur; sed solùm ex natura rei, & secundum veriorem sententiam, eandem à parte rei habent identitatem. Cur igitur idem non dicemus de filiatione, & spiratione passiua, si hæc ab illa originem non traheret?

Secundò Probatur, supponendo omnem distinctionem Personarum in Diuinis non sumi ab essentia, sed à relatione, quæ sola teste Boetio *lib. de Trin.* multiplicat Trinitatem. Quo firmissimo fundamento præmisso sic argumētor. Omnis distinctio personalis in Diuinis habetur per relationē; vt per formam distinguendi, sed relatio, vt relatio solùm opponitur, & distinguitur à suo Correlatiuo, quia totum esse relationis est ad alterum, ergo omnis distinctio personalis in Diuinis habetur per relationes originis, ergo si Spiritus sanctus à Filio non procederet, neque ab illo realiter distingueretur.

Confirmatur hoc ex dictis Disp. xjv in qua ostendimus, terminum relationis mutuę esse formaliter Correlatiuū, ergo relatio Diuina solùm distinguit vnam personam ab alia, quatenus vna erit alteri correlatiua, sed ablata origine spir. sanc. à Filio, nec Filius haberet relationem ad spiritum sanctum, neq; è contra, ergo nequaquam re ab illo distingueretur.

Tertiò, duæ relationes disparatę producentis nō cōstituunt duas Personas realiter distinctas, ergo neq; duæ Diuinæ relationes disparatæ rei productæ. Antecedens est notum etiam in hoc casu, de quo agimus; Nam si spir. sanc. procederet à solo Patre, & non à Filio, eadem persona Patris esset simùl Pater respectu Filij, & Spirator respectu spiritus sancti; Quæro igitur à Scoto, vel ab eius Discipulis, cur in eodem casu eadem Persona producta nō posset simùl esse Filius, & spiritus sanctus, & quatenus producitur per actū intellectus vocari Filius, & quatenus producitur per actum voluntatis, dici spiritus sanctus.

Respondet idem *Scot. sup. in solut. ad 3.* maiorem distinctionem requiri in productionibus passiuis, & consequenter in relationibus, quæ ad illas consequuntur, quam in productionib. actiuis, & consequenter in relationibus, quæ ad illas consequuntur. Siquidem idem agens pluribus productionibus plura producere valet, cum tamen idem terminus plurib. adæquatis productionibus simùl nequeat produci, sicut contingeret in hoc casu, in quo Sp. sanc. à solo Patre procederet.

Sed hæc responsio duo supponit, quę iudicio meo petunt principium; Nam primò supponit Scot. Etiā ablata processione Spir. sanc. à Filio, adhùc fore duas emanationes re distinctas;

at hoc petit principium; Nam emanationes realiter distinguuntur per suos terminos re distinctos; At Spir. sanc. & Filius in eo casu iuxtà nostram sententiam non distinguerentur, ergo neque distinguerentur emanationes actiuæ, vel passiuæ. Si autem hoc Scotus non supponit, sed velit emanationes actiuas Spir. sanc. & Filij in eo casu distinguendas non fore, ergo neq; in eo casu erunt realiter distinguendæ emanationes passiuæ, quæ actiuis respondent; nam termini realiter distincti fiunt per actiones realiter distinctas.

Secundò supponit Scot. Si Sp. sanc. à Filio non procederet, & essent sicut nos dicimus, vna & eadem Persona, tunc hanc bis duabus productionibus adæquatis fore producendam; At hoc est falsum; Non enim idem terminus tunc bis produceretur, sed semel vnica actione adæquata, quæ in re simul esset generatio, & spiratio, licèt virtualiter, & quasi specificè inter se differrent; Neque hoc mirum esse debet; Nam sicut de facto actus Intellectus, & Voluntatis in Patre idem re sunt, licèt sint actus valdè disparati: Ità in eo casu eadem esset volitio, & intellectio tàm essentialis, quàm notionalis tàm actiuè, quàm passiuè considerata; & eadem emanatio esset generatio, & spiratio; & idem esset terminus genitus, & spiratus, solaquè distinctio rationis ratiocinatæ inter hæc omnia intercederet.

Tertiò arguit contra hanc eandem Scoti responsionem *Durand. in 1. d. 11 quæst. 2.* licèt verum sit eandem Personam diuersis actionibus diuersà producere posse, nec idem diuersis actionib. adæquatis posse produci; Id tamen solùm accidit, quando Persona nô constituitur relatione producêtis, vel producti; quod secus contingit in Diuinis, vbi relationes producentis, & producti constituunt, & multiplicant Personas Trinitatis. Quodsi duplex relatio disparata rei productæ duplicem Personam constitueret, quantum ad hunc effectum eadem est ratio vtriusquè relationis tàm producentis, quàm producti. Neque enim apparet discrimen, cur si duplex illa relatio producti debeat necessariò esse personalis, non idem sit dicendum de relationibus producentis. Vel si in producente vna est relatio personalis constitutiua Personæ, & alia non personalis illi superaddi intelligitur, cur in termino producto nô idem erit asserêdum, nempè vnâ relationem esse personalem, per quam suppositum Diuinæ naturæ constituatur, & alteram non personalem illi superuenientem.

Demoliuntur Scoti Argumenta.

Ad primum S. August. loquitur de facto, in quo sensu verum est, Spirit. sanc. non esse Filiû, quia hic procedit vt natus, ille vt datus, idest vt donû, & amor à Patre tamên, & à Filio manans. At sublata origine S.S. à Filio, nô diceret Aug. fore tunc duas Personas re distinctas, quarum vna esset nata, alia data,

data; sed in eo casu eadem esset Persona, quæ vtrunquè productionis modum simùl includeret. Anselmum autem negamus Scoti sentētiæ adhęsisse, cum ipse dicto lib. de processione Sp. sanc. cap. 2. disertis verbis doceat *In Diuinis omnia esse vnum, vbi non obstat relationis oppositio.* Secūdò diuersitas processionis solùm cōuincit distinctionem specificā, & formalem relationum, nō verò distinctionem realem, & personalem. Tertiò Respondetur cum S. Th. *q. 10. de potentia art. 5. ad 2.* ijs verbis. *Ad 2. dicendum quod id, quod dicit Anselmus, quod Filius, & spiritus sanc. per hoc solùm adinuicem distinguuntur, quod diuerso modo procedunt, est omninò verū, sed sicut ostensum est, diuerso modo procedere non possent, nisi Spir. sanc. à Filio esset. Vnde remoto quod Spir. sanc. non sit à Filio, omninò distinctio spir. sanc. remouetur à Filio. Est autem intentio Anselmi lib. de processione spir. sanc. prius ponere ea, in quibus nos conuenimus cum negantibus spir. sanc. à Filio esse*, scilicèt cum Græcis, cum quib. Anselmus disputabat. *Qui tamen*, scilicet Græci, *Sp. sanc. à filio dicunt distingui. Vnde verba prædicta Anselmi inducta sunt magis, vt disputatiua suppositio, quam vt veritatis definitio.* Eandem solutionem insinuat *S. Th. hic art. 2. ad 7.* quæ per prædicta verba clarior apparebit.

Ad Secundum concessa Maiori, ad Minorem dico, si Spir. sanc. non procederet à Filio, non sequi eundem Filium generari, & non generari, sed solùm sequi vnam, & eandem Personam generari, & spirari simùl, quod libenter admittimus; Nam sicut Pater Æternus in eo casu esset Genitor, & Spirator; ità terminus productus ab eodem ob suam eminentiam simùl esset genitus, & spiratus. Ad confirmationem dic eo casu non fore duas emanationes totales realiter distinctas, vt argumentum supponit, sed vnam, & eandem emanationē per intellectum, & voluntatem, & sic sequitur fore vnam, & eandem personam.

Ad Tertium hoc argumentum difficilè sanè soluitur, & ideò multi multas solutiones excogitarunt. *Durandus, Caietanus, & Ferrariensis locis supra citatis* dicunt hoc Axioma. *Idem est principium constitutiuum, & distinctiuum rei* verificari solùm in absolutis, non in relatiuis.

Sed contra; Quia quod est principium entitatis, est principium vnitatis, quia res & vnum conuertuntur, sed quod est principium vnitatis, est principium distinctionis, quia vnum est illud, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumquè alio, ergo per quod aliquid constituitur in tali esse, siuè absoluto, siuè relatiuo, per illud etiam distinguitur à quocumquè alio. Confirmatur; Nam distingui rem vnam ab alia, nihil aliud est, quam hanc rem non esse illam, sed res absoluta est hæc per suam entitatem absolutam, & relatiuà per suam entitatem relatiuam, ergo idem est principium constitutiuum, & distinctiuum tàm in absolutis, quàm in relatiuis.

Secundò, Respondet *Vasquez disp. 147. c. 7.* Illam maximam. *Idem est principium constitutiuum, & distinctiuum* veram esse; quoties sit sermo de principio constituente aliquid re ipsa, non per rationem; at constitutio Filij per filiationem non est realis, sed ratione sola.

Sed contra primò, sicut quando cõstitutiuum est reale, realiter ex Vasq. distinguit; ità quando constitutiuum est rationis; etiam sola ratione distingueret vnum ab alio, quod secus est in Diuinis, vbi personæ realiter distinguuntur. Secundò Filius est persona realis, ergo per principium formale reale; sed hoc principium constitutiuum Filij est filiatio, ergo constitutio Filij per filiationem minùs rectè rationis vocatur.

Respondeo ergo in forma ad idem argumentum tripliciter. Primò sic. *Per quod aliquid constituitur in suo esse; per illud distinguitur à quocumquè alio;* intellige à quocumquè alio, quod nõ sit idem cum ipso, & sic concedo Axioma; at in eo casu, in quo Sp. sanc à Filio non procederet, Filius, & Sp. sanc. essent idem, & ideò argumentum, vel petit principiũ, vel solùm probat in eo casu Filium, & filiatione constitui, & eadem distingui à Patre, & à quibuscũquè alijs suppositis creatis, quæ non sunt idem cum ipso.

Secundò Respondeo, Esto Filius filiatione solà à Spir. sanc. de facto distinguatur, nego tamen, data illa hypothesi, Filium filiatione ab eodem Sp. sanc. tunc realiter distingui; Quare ad argumentum in forma concedo Maiorem, & Minorem cum sua Consequentia; & dum posteà subsumitur, sed ablata origine Spir. sanc. à Filio, adhùc Filius esset verè Filius Respondeo filiationem in eo casu habere longè diuersam naturam ab ea, quã nunc habet, quia nunc filiatio est radix, & origo spirationis actiuæ, & potest rectè appellari filiatio spiratiua, & simùl est terminus mediatus spirationis passiuæ, & ideò de facto inter filiationem, & processionem est oppositio saltem mediata, quæ sufficit ad realem distinctionem; At in eo casu filiatio non esset Spiratiua; idest non esset radix, & origo Spiritus sancti; nec mediatè terminaret habitudinem spirationis passiuæ; & ità cessante omni oppositione tàm mediata, quàm immediata, ex nullo capite desumi posset distinctio realis inter Filium, & Spiritum sanctum.

Respondeo Tertiò, *Per quod aliquid constituitur in suo esse, per illud distinguitur*, concedo; sed Filius constituitur sola filiatione in eo casu, in quo Sp. sanctus à Filio non procederet, id nego; Etenim licèt nunc sola filiatio sit proprietas personalis, non autem spiratio actiua, quia hæc etiam est communis Patri; tamèn in eo casu spiratio actiua, & Filiatio eandem secundam Personam Trinitatis, quam modo Filium vocamus, cõstitueret; & ratio est quia vtraq; relatio esset vna, & eadem simplex entitas; & vtraquè non commu-

munis, sed propria vni Personæ; ergo vtraquè relatio vnam, & eandem Personam constitueret, & eandem distingueret à Patre, & à quibuscumquè alijs creatis suppositis; Et per hæc abundè patet responsio ad eiusdem argumenti confirmationem.

Ad Quartum concesso antecedente, quod optimè probat ratio adducta, nego Consequentiam. Ad probationē optimè respondet Caietanus, quidquid dicat Valentia; Si Spir. sanc. esset à solo Filio, tunc fore inter Spir. sanc. & Patrem oppositionem originis saltem mediatam, quæ in hoc constitueretur, quia si Filius esset à Patre, & Sp. sanc. à solo Filio; Consequenter spir. sanc. etiam à Patre esset mediatè, ipsumquè Patrem respiceret, vt remotū, & mediatum principium sui esse, & se haberet vt Nepos ad Auum, ad quod necessariò realis distinctio prærequiritur, quia idem non potest à se ipso, nec mediatè, nec immediatè produci. At si spiritus sanctus non procederet à Filio, nulla inter Filium, & spiritum sanctum foret tunc oppositio originis, nec immediata, nec mediata, nec proxima, nec remota; quia spir. sanc. vt supponitur in eo casu, nullo modo haberet esse à Filio, & ideò non est simile.

Ad Quintum respondetur, si spiritus sanc. à Filio non procederet, in eo casu emanationes intellectus, & voluntatis, tàm actiuas, quàm passiuas solùm virtualiter, & quasi specificè, non autem realiter fore distinctas, vt supponit argumentum; Et licèt ab eodem tot Creaturæ realiter distinctæ promanarint; nego tamen ab eodem Patre solo duas Personas re distinctas promanare posse. Et ratio disparitatis est, quia Creaturæ inter se distinguuntur per diuersas essentias, & entitates, quarū vna non est alia; at Diuinæ Personæ, cum necessariò eiusdem sint essentiæ, non possunt aliter distingui, nisi per relationes originis, quatenus hæc Persona sit ab illa, & vtraquè ab alia.

Ad Sextum nonnulli respondent, Paternitatem, & filiationem à spiratione passiua idcircò distingui, quia identificatur spirationi actiuæ, quæ spirationi passiuæ opponitur; sed hæc Doctrina, quam *Vasquez disp. 147. cap. 8* insinuat, difficultatem nō soluit; Nam si identificatio esset ratio adæquata huius rei, inde fieret, essentiam realiter à spir. sanc distingui, quia essentia est idem cum spiratione actiua, quæ spirationi passiuæ opponitur. Et si dicat essentiam idētificari spirationi passiuę, vt quid commune; filiationem verò identificari spirationi actiuæ, vt quid proprium Personæ Filij; primò petit principium; secundò concedit, quod volumus, scilicèt identificationem non fuisse causam adæquatam huius realis distinctionis intercedentis inter Paternitatem, & filiationem ex vna parte, & inter spirationem passiuam ex altera. Tertiò spiratio actiua non posset tunc esse in Filio, quia identificatur cum paternitate, quæ filiationi opponitur.

Alij respondent dicentes, vt aliquid re-

re distinguatur à relatione non sibi opposita, debere esse aliam relationem identificatam cum relatione opposita; sicut filiatio non opposita spirationi passiuæ identificatur cum spiratione actiua illi opposita.

At neque hæc responsio euacuat difficultatem. Primò, quia assignandum esset discrimen inter essentiam, & relationes; & cur identitas cum essentia nō faciat distinctionem realem à spiratione passiua, quam quidem distinctionem gignat identitas cum relatione non opposita. Secundò sic sequeretur spirationem actiuam realiter à Filiatione distingui, quia identificatur Paternitati, oppositæ eidem filiationi, vt dictum est.

Alij dicunt Paternitatem, & spirationem passiuam distingui, quia sunt in distinctis suppositis, Sed neque hoc responsum, nisi firmiori fundamento fulciatur, subsistere potest: Siquidem ipsa essentia est in tribus Diuinis suppositis re distinctis, & tamen illa est vna, & eadem in omnibus; & spiratio actiua est in Patre, & Filio, & tamen est vna, & eadem in vtroque, igitur distinctio realis inter Paternitatem, & spirationem passiuam non inde prouenit, quia istæ relationes in distinctis suppositis inueniantur.

Aliter igitur respondetur ad argumentum dupliciter. Primò negando Patrem paternitate, vel Filium filiatione distingui à spiratione passiua, sed vnà cum Caietan. asserimus, Patrem, & Filium distingui à spir. sanc. sola spiratione actiua tamquam forma distinguente, quia vnum Correlatiuum distinguitur ab alio per ordinem, & oppositionem ad suū Correlatiuū. Hinc fit, Patrem, non quo Pater est, sed quo Spirator est; Et Filium, non quo Filius est, sed quo spirator est, realiter à spir. sanc. distingui. Dixi realiter, quia specificè, & virtualiter optimè concedimus, vnum Correlatiuum distingui ab alio non Correlatiuo, non autem realiter, nisi solùm ex quodam consequenti, & materialiter; & hoc solùm concludunt quædam argumenta *Gabrielis Vasquez cap. 7.* quæ contra hanc Doctrinam adducit.

Respondeo Secundò & melius, quādo in Doctrina D. Th. dicitur, in Diuinis solùm ea distingui realiter, quæ origine inter se opponuntur, nomine oppositorum non intelligimus solùm formaliter Correlatiua, sed etiam intelligūtur supposita nō Correlatiua, inter quæ sit ordo originis mediatę, vel immediatę eius, à quo alius, & hic ab illo. Atquè ità dicimus, non solùm *spirationē* actiuam opponi spirationi passiuæ; sed etiam Patrem, & Filium, vt sunt principium Spiritus sancti eidem opponi, & ab eodem realiter distingui. Et ratio est manifesta, quia tota ratio distinguēdi Diuinas Personas reali distinctione est ordo agendi, idest quod idem etiam vt quod non potest se ipsum producere, sed necessariò ab alia Persona produci debet. Cum igitur Spir. sanc. sit à Patre, & Filio, quæ sunt distincta supposita, proindè inter Pater-

ternitatem, & Filiationem ex vna parte, & spirationem passiuam ex alia realis distinctio interuenit; Est ergò attentè obseruādū, cū duæ relationes ad inuicē opponūtur, non solùm ipsas inter se distingui, sed etiā ꝓpter ipsas distingui supposita relatiua, consequenter in casu nostro non solùm inter se distinguuntur spiratio actiua, & passiua, sed etiam inter se distinguuntur spiratus, & Spirator. Ex quibus etiam sequitur Patrem, & Filium non solùm vt spiratores sunt, sed etiam ea ratione, qua sunt Pater, & Filius realiter à Sp. S. distingui, quia Spir. sanc. accipit esse ab illis, non quatenus habent actualem relationem spiratoris, sed vt sunt talia supposita Patris, & Filij, omne autem, quod à duobus procedit, ab illis re distinguitur. Quare ad argumentum in forma cōcedimus istas relationes disparatas, scilicet Paternitatem, & filiationem à spiratione passiua realiter de facto distingui, negamus tamē idem fore in eo casu, in quo Spir. sanc. à Filio non procederet, & ratio discriminis est, quia nunc filiatio est simul spiratiua, & principium Spiritus sancti, tunc autem non esset, & ideò nunc realiter à Spirit. sancti distinguitur, tunc autem non distingueretur.

DISPVT. XLIV.

Vtrum Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.

S. Thomas quæst. 37. Art. 2.

Hæc quæstio potest esse vel de re; vel de modo loquendi. Priori modo facilis est resolutio. Nam quamuis *Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 3. num. 5.* asserat hanc locutionem *Pater, & Filius diligunt se Spiri. sanc.* non inueniri in hac verborum forma apud SS. Patres. Nihilominus sufficit, si ista propositio quo ad rem ipsam, & verborum sensum, vel per verba æquipollentia à ss Patribus tradatur. Hoc autem nefas est negare, cum ista propositio sit expresse *S. Augustini* quem etiam refert S. Th. hic in argumento sed contra *lib. 6. de Trinit. cap. 5.* vbi *Spir. sanc. vocat vnionē Charitatem, & Sanctitatem Patris, quo genitus à gignente diligitur, generatoremquè suum diligit*, similia verba habent *Sanctus Hieronymus Psal. 17. in principio. S. Bernardus ser. 3. Pentecos. & ser. 8. in Cantica canticorum*, & passim alij. Quare non est, cur idem Doctor constituat discrimē inter hanc propositionem, *Pater, & Filius diligunt se amore, qui est spir. sanc.* & inter istam, *Pater, et Filius diligunt se spiritu sancto*, & illud esse discrimen docet, quòd in prima denotetur spir. sanc. esse solummodo amorem Patris, & Filij identicè, vel ex vi suæ processionis habere quod sit maor

amor; in secunda significetur Spir. S. esse formam constituentem Patrem, & Filium se amantes. Prioriq; non posteriori modo locutus tradit ss. Patres. Verum ego nullum agnosco verũ inter istas propositiones discrimen, nec itidem agnouerunt Theologi omnes, tàm veteres, quàm Recentiores, qui propositionem Augustini redigerunt ad istam adeò in scholis exagitatam. *Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto*; & sanè in hac propositione *Pater, & Filius diligunt se amore, qui est spiritus sanctus* relatiuum *qui* reduplicat, & declarat Spir. sanc. esse amorem Patris, & Filij, ergo illæ duæ propositiones non sunt dissimiles, & singulæ vel in sensu formali, vel in sensu identico sunt accipiendæ. Quare non sine nota temeritatis contra S. Augustinum, Hieronymum, Bernardum, & communem Theologorum vocem, & usum negaret quis prædictam propositionẽ. *Pater, & filius diligunt se spiritu sancto*. Quæ etiam manifestis rationibus probatur. Tùm quia sicut Pater Verbo se ipsum, & omnia dicit, ità idem Pater, & Filius se diligunt spiritu sancto, tùm quia Quicumq; amat, amore suo amat, sed spiritus sanctus est amor Patris, & Filij, ergo Pater, & Filius se diligunt spiritu sancto, velut amore, suo non formali, sed terminatiuo. Quod verò spiritus sanctus sit amor Patris, & filij suadetur exemplo Filij, qui cum sit formaliter Sapientia genita, nihilominus fatetur se esse Patris doctrinam ratione originis. *Mea Doctrina*, inquit, *non est mea, sed eius, qui misit me* igitur Pari-modo potest dicere spiritus sanctus. Meus amor non est meus, sed Patris, & Filij, qui me miserunt, idest à quibus emanaui: tùm deniquè, quia si Creatura rationalis dicitur aliquid amare, amore ab ipsa procedente, cur Pater, & Filius congrua locutione non dicetur amare amore ab ipsis procedente, qui est Spiritus sanctus. Has rationes habet Richardus de S. Victore loco infra citando.

Hac igitur supposita veritate non leuis est inter Theologos cõtrouersia, quonam pacto talis locutio exponẽda sit. Quidam dicunt hanc locutionem esse accipiendam per appropriationẽ huncquè reddere intellectum. *Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto*, idest amore essentiali, qui spiritui sanc. appropriatur. Sic *Alexander Alensis 1. par. quæst. 67. membro 5. art. 3. Durandus in 1. d. 32. quæst. num. 14. & 15.* sed hęc interpratatio facilè ex eo tollitur, quòd eadem ratione etiam Pater dici posset sapiens Filio, essentiali scilicet sapientia, quæ Filio appropriatur; & eandem ob causam Pater, & Filius dici possent boni spiritu sancto, quia bonitas spiritui sancto appropriatur. Alij admittendam dicunt hanc propositionẽ dũtaxat in ratione signi itaut idem sit dicere *Pater, & Filius diligunt se spiritus sancto*, ac dicere, Spir. sanc. est signum dilectionis, qua se mutuò diligunt Pater, & Filius. Verũ hęc expositio minus habet roboris, tùm quia Spir. sanc. non tàm signum, quàm ter-

terminus est dilectionis Patris, & Filij, tùm quia sic dici posset Patrem, & Filium diligere se Creatura, quia creatura est signũ, & effectus dilectionis Dei, & totius sanctissimæ Trinitatis.

Alij dixerunt istam propositionem denotare Sp. sanc. esse causam formalem dilectionis Patris, ac Filij, itaut idem sit dicere *Pater, & Filius diligunt se Spir. sanc.* ac dicere Spiritus sanctus est Amor formalis, quo Pater, & Filius se inuicem diligunt. Sed hæc intelligentia continet errorem in Fide. Alienum enim est à sana Doctrina, Spir. S. esse formalem amorem Patris, & Filij, tùm quia est persona ab his realiter distincta, & incõmunicabilis, tùm quia Spir. sanc. procedit ex mutua vtriusq; dilectione. Nam Pater, & Filius ideò spirant Spir. sanc. quia se mutuò diligunt, itaut Spir. sanc. sit quasi effectus huiusmodi dilectionis, ergo Spir. sanc. non potest esse amor formalis, quo Pater, & Filius se mutuò diligunt, tum quia sicut Pater nõ est sapiens formaliter sapiẽtia genita; Non enim Pater producit Verbũ suum ad intelligendum, sed ex intelligentia, neq; Genitor aliquid accipit à genito, nec formaliter, nec effectiuè, ità Sp. sanc. non est formalis amor Patris, & Filij, qui non producunt Spir. sanc. ad amandum, sed ex mutuò, & præxistenti amore, neque Pater, & Filius aliquid accipiunt à spir. sanc. nec formaliter, nec effectiuè; ergo impossibile est, quod spir. S. sit amor formalis, quo Pater, & Filius se mutuò diligunt.

Propter hæc argumenta, Alij vt *Gosfredus* ex Antiquis, & ex Modernis *Bartholomeus de Torres in commentario huius articuli secundi* dixerunt hanc propositionem esse in rigore falsam, & virtute retractatam ab August. cum *lib. 1. retract. cap. 26. tom. 1.* retractauit istam *Pater est Sapiens sapientia genita*, quæ non differt ab illa *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*: nam sicut intelligere se habet ad intelligentem, ità diligere ad diligentem; & confirmatur. Nam vel diligere in illa propositione sumitur *essentialiter*, vel *notionaliter*. Non primum, ob argumenta facta primò loco contra Durandũ, & Alensem; & rursus ob illa, quibus ostensum est spir. sanc. non esse formalem amorem Patris, & Filij, consequenter non erit amor essentialis. Ac tandem, quia diligere essentiale commune est omnibus personis; sed spir. sanc. non est forma communis omnib. personis, ergo &c. Neque Secundum dici aptè potest, quia diligere notionale idem est quod spirare, sed hæc locutio est falsa. Pater, & Filius spirant se sp. sanc. ergo etiam falsa erit ista, Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto, si diligere sumatur notionaliter.

Ceterum hoc responsum satis refellitur tùm ex ijs, quibus supra ex ss Patribus, & communi Theologorum assensu veritatem istius propositionis multis etiam adiectis rationibus confirmauimus, tùm ex eo, quod S. Augustinus nullibi legitur illã propositionẽ retractasse: Si quæ verò ipse retra-

ctanda suscipiat, illa nominatim exprimere, & loca varijs in locis dispersa allegare soleat; tùm ex eo quòd ex retractatione Augustini non sequitur retractasse se Hieronymum, Bernardum, Guidmundum, Richardum de s. Victore, qui illam locutionem sæpe adhibuerunt, vt propterea ob istorum Patrum auctoritatem meritò concedẽda sit; tùm deniquè, quia difficultas tacta, & germanus illius propositionis sensus triplici via, quam mox subijciemus, facilè soluetur.

Tres veriores modi explicandi istam locutionem, Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto.

Prior explicatio est *Francisci Suarez d. lib. 11. de Trinit. cap. 3. num. 10.* vbi illam propositionem *Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto* resoluit in istam. *Pater, & Filius in spir. S. vnionẽ habent affectiuam, non informatiuè, sed terminatiuè.* sed hæc interpretatio mihi plenè non probatur; explicat enim idem per idem, cum nihil aliud sit habere vnionem affectiuam in spir. sanc. quam habere in ipso dilectionẽ. Vnde omnes difficultates tactæ æquè procedunt contrà istum dicendi modum, vel certè nihil aliud ille continet, quam eammet s. Thomæ interpretationem, quam idem Doctor reijcere videtur; semper enim difficilè mihi videbitur, quomodo Pater, & Filius accipiant à spir. sanc. hanc vnionem inter se affectiuam, cum eadem tertia persona ex hac vnione affectiua procedat: Et si dicat Patrem, & Filium vniri in spir. sanc. vt duæ lineæ in centro, vel vt duæ naturæ in Christo, exempla ista non satis accomodata videntur, quia illæ non pertinent ad vnionem affectiuam, de qua est sermo, nec habent lineę originem à centro, vt spiritus sanc. à Patre, & Filio, nec satis intelligere valeo, qua ratione sp. sanc. sit nexus, & vinculum Patris, & Filij, nisi quia est terminus productus per vtriusquè dilectionem; dilectio autem vnit amantem cum re amata; sed qua ratione terminus productus per aliquam actionem possit suum principium, verà & propria locutione denominare, nisi ad Angelicam lucem recurras, semper manebit obscurum.

Secunda explicatio valdè pia, & probabilis fuit *Richardi de S. Vict.* quẽ *Hugonem* nõ pauci forsan librariorum mendo appellant; iste D. Bernardo, qui illius locutionis explicationem ab eo flagitauerat, sic respondit in opusculo, cuius titulus est. *Declaratio aliquarum difficultatum ad D. Bernar. in fine. Quod Pater*, inquit, *Spiritu sancto diligere dicitur, non sic intelligitur, quasi Spiritus sanc. auctor, & origo existat dilectionis, qua Pater est, & pro arbitrio amat, quod amat, sed quod patereã dilectionem, qua Filius diligitur, et Spiritus sanctus est, spirat, & illius auctor, et origo existat. Dicitur ergo pater Spiritu sancto diligere, non quod per eum amorem habeat, sed exhibeat, non quod amorem ab eo accipiat, sed per eum impendat.*

Dicit

Dicit Augustinus de Filio: Filius docebat, & pater docebat, & Filius de seipso: Mea doctrina non est mea. Cur & Spir. sanc. non æqua ratione dicit: Mea dilectio non est mea; sed Patris de quo procedit; sed Filij, qui eam spirauit? Si Spiritus sanctus est amor vtriusque cur Pater non dicetur rectè Spiritu sancto, hoc est suo amore diligere? Cur non & Filius dicetur rectè spiritu sancto hoc est sua dilectione amare? Animus humanus Amor non est, sed ab ipso amor procedit; & ideò se ipso non diligit, sed amore, qui à se ipso procedit: Pater verò amor est, & Spiritus sanc. eius amor est, & ideò Pater diligit seipso, diligit Spiritu sancto: Diligit se ipso amore. Diligit suo amore. Hactenus Richardus.

Tertius explicandi modus ceteris præferendus traditur hic à S. Thoma, qui nodum istum Gordianum velut aliter Alexander soluit hac distinctione: Diligere sumitur in Diuinis dupliciter, essentialiter, & notionaliter; Si diligere sumatur essentialiter, tunc Pater, & Filius non diligunt se Spiritu sancto, sed essentia sua. Vnde S. *Augustinus lib. 15 de Trinit. cap. 7.* inquit: *Quis audet dicere; Patrem nec se, nec Filium, nec Spiritum sanctum diligere, nisi per ipsum Spiritum sanctum;* Si verò diligere sumatur notionaliter, tunc verissimam esse propositionem, *Quia sic,* inquit, *diligere nil est aliud quam spirare amorem, sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores. Sicut ergo dicitur Arbor florens floribus; ità dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio se, & Creaturam: & Pater, & filius dicantur diligentes spir. sanct. vel amore procedente & se, & nos:* Ad cuius rei euidentiam præmittit denominationem interdum sumi à forma intrinseca, vt album ab albedine; quandoquè à forma adiacente, vt iste indutus est vestimento. Non semel ab actione procedente ab agente, vt ignis calefaciens dicitur à calefactione: interdum ab effectu, & termino producto, vt arbor floret floribus. Talis igitur denominatio, qua Pater, & Filius dicuntur se diligentes Spiritu sancto; non erit à forma intrinseca, vel adiacente, sed ab actione, & termino dilectionis notionalis, qui est Spiritus sanctus.

Tolluntur Scoti argumenta contra explicationem D. Thomæ.

Sed contrà hanc explicationem, & exempla producta insurgit *Scotus in primo dist. 32. quæst. 1. & in Report. ibidem quæst. 1.* & Primo improbat illud Assumptum, quod agens ab effectu, & termino denominationem sumat; nam ædificare, inquit, distinctè importat terminum, scilicèt ædificium; neque tamen aptè diceretur ædificator ædificat ædificio, ità nec ista congrua erit propositio Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto. Secundo carpit exemplum de arbore, quæ denominatur à florib. quas producit. Non ideò, inquit, dicitur arbor floret floribus,

bus, quia illos producit: Siquidem si per miraculum Deus apponeret arbori flores, adhuc diceretur ista arbor florêret floribus, nec alia ratione, nisi quia flores tunc essent in arbore per modum formæ adiacentis, & veluti habitus, & ornatus. Respondeo agens denominari à suo effectu, & termini, quando effectus est naturalis, determinatus, & necessariò connexus cum actione, & agente. At ædificium est effectus artificialis indeterminatus, & pendens à voluntate ædificantis; & ideò non currit eadem ratio. Ad illud quod dicitur de arbore florente floribus suis vt ornatu: Respondeo arborem florere florib. nil aliud significat, quam arborem vi sua flores intra se emittere. Quod si Diuina virtute supernaturali floreret, tunc vel illi flores essent ex non arbore, vel ipsa etiã concurrente. Priori modo illa arbor non dicetur intus florere, sed deforis florib. induta. At secundo modo dicetur intus floret florib. Sic egregiè Respondet Caietanus in hoc articulo, vel dicS. Thom. loqui de arbore florente propria virtute naturali non miraculosa.

Secundò arguit: Diligere notionale idem est, quod spirare spiritum sanctum; sed hæc est falsa: Pater, & Filius spirant se spiritu sancto, quia nec Pater, nec Filius spirantur, nec spirant se spiritu sancto, sed spirant Spir. sanctum, ergo etiam hæc erit falsa. Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto, cum istæ duæ propositiones sint conuertibiles. Respondeo spirare dicit terminum productum præcisè. At diligere notionale dicit terminum productum, & obiectum dilectum, & ideò istæ duæ propositiones non adequatè conuertuntur, & possunt indoctis erroris ansam præbere; sicut etiã si quis argueret: Dicere Verbum, & generare Verbum idem est, sed Pater dicit se Verbo suo, ergo Pater se generat Verbo suo. Hoc argumentum foret insipidum, quia facit transitum à termino importato per Verbum gignendi, ad obiectum importatum per Verbum dicendi. Dicere enim magis latè patet, quam gignere, quia dicere importat obiectum repræsentatum per Verbum genitum, gignere verò non importat obiectum repræsentatum, sed terminum productum. Non enim obiecta repræsentata Verbo, per illud generantur. Pari modo non sequitur Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto, ergo etiam spirant se spiritu sancto, quia in priori propositione spiritus sanctus est terminus productus, & si nõ obiectum dilectionis Patris, & Filii; in secunda propositione attenditur, vt terminus productionis, non vt obiectum dilectionis, & ideò est fallacia, quam Logici vocant accidentis, & per hæc cessat etiam illa obiectio sæpè inculcata. Pater non est sapiens sapientia genita, ergo neque est diligens spiritu sancto. Nam eadem currit responsio: quod etiam Pater non est amans amore spirato vt forma, tamen sicut Pa-

ter

per dicit se Verbo, ità diligit se spiritu sancto, tùm vt termino, tùm vt obiecto.

DISPVT. XLV.

Ex quarum rerum amore producatur Spiritus sanctus.

D. Th. quæst. 37. art. 2. ad 3.

HÆC difficultas soluenda est ex ijs, quæ dicta à nobis sunt Dis. xxxvij. xxxviij. & xxxix. Nam cum nihil volitum, quod non fuerit præcognitum, amor spiratus proportione respōdet notitiæ genitæ, adeoquè illi adæquatè commensuratur, vt ad quæ obiecta se extendat verbum, ad eadem se extēdat amor productus. Quamobrem sicut Verbum Diuinum ortum diximus Disp. illa 37. ex cognitione Diuinæ essentiæ, attributorum, Patris, Filij per se, & concomitanter ex cognitione Spir. sanc. ità pariter spir. sanc. ex amore erga Diuinam essentiam, Diuina attributa, Diuinasq; personas omnes, à Patre Filioquè spirari dicendum est; Hoc tamen inter ipsos discrimen intercedit, quod Verbum solum concomitanter, & identicè oritur ex cognitione spir. sanc. At verò eadem tertia persona per se, & formaliter oritur ex amore sui ipsius, sicut idem diximus de origine Verbi, quod à notitia sui ipsius perfectissima generatur: & ratio est quia ipsius dilectio est productio, nec alio amore producitur, nisi eodemmet, quo spiratur, sicut Verbum non alio actu cognitionis se ipsum cognoscit, nisi eodem, quo generatur, vt fusius dicemus infrà Disput. 49. vbi ostendemus non prius esse in Deo velle, generare, aut spirare, quam ipsam generationem. Constat itaquè ex dictis Patrem, & Filium diligendo Diuinam essentiam, attributa, & se ipsos, & item spirit. sanc. eandem tertiam personam spirare, ità vt spiritus sanctus ex sui ipsius dilectione procedat. Nam ipse est terminus adæquatus diuinæ dilectionis, quæ non minus est fœcunda, quam fœcundus sit actus intellectionis, qui est de omnibus, quæ sunt intra Deum: & sanè nisi ità dicamus, vnum ex his duobus incommodis necessariò consequitur, scilicet vel spirit. sanc. non esse amorem comprǽhensiuum, & totalem Diuinarum personarum, vel plures concedendas esse personas spir. sanc. quæ distinctis actibus Diuinæ dilectionis responderent.

Hic autem actus amoris notionalis, quo produci diximus spir. sanc. non erit amor desiderij, quod est de bono futuro, sed erit amor complacentiæ, qui est de bono præsenti. Nam licèt Dis. illa xxxviij. asseruerimus verbum oriri ex cognitione spir. sanc. vt producendi per se, vt producti concomitanter, id tamen affirmare non possumus de spir. sanc. qui non potest prius diligi vt producendus, deinde vt productus, sicut potest in primo signo intelligi à Patre vt spirandus ante Ver-

bi

bi generationem, & vt spiratus post Verbi generationem; sed eodemmet actu, quo diligitur, eodemmet spiratur, consequenter sicut non est in re ipsa in Spir. sanc. vera, actualis, & propria futuritio, sed solum virtualis per signa rationis ratiocinantis, ita non potest prius esse in Patre, & Filio voluntas spirandi per modum desiderij, quin eo ipso non supponatur Spiritus sanct. vt productus, vt ex ijs, quæ Disp. 49. dicemus, dilucidius constabit. Cuius fere exemplum habemus in nostro amore, quem dum producimus in aliud obiectum tendentem, implicitè etiam amamus. Sicut ergo amor noster, quo cetera amamus, amor est sui ipsius implicitus, ita amor notionalis in Diuinis amor est Patris, & Filij, & sui ipsius, & ob maximam sui eminentiam, & perfectionem expressus, & formalis.

Vtrum vero Spir. sanc. oriatur etiā ex amore Creaturarum, breuiter distinguendum est. Creaturæ tripliciter possunt considerari. Primò vt habent esse in Deo eminentiale, & hoc modō sicut sunt ipsa Creatrix essentia Diuina, ita Spir. sanc. ex illarum amore produci dubium non relinquitur, quia hoc nō tam est amare Creaturas, quam Deum ipsum. Secundo considerantur Creaturæ in esse possibili. Tertio in esse futuro.

Quod Spir. sanc. nō oriatur ex amore Creaturarum in esse futuro, Luce clarius Meridiana est, tùm quia ille amor est liber, & contingens, & potuit non esse in Deo, sicut potuerunt Creaturæ nō habere esse futurum. At amor, quo producitur Sp. sanc. est omninò necessarius, sicut ipsa tertia persona est ens necessarium, tùm quia Creaturæ habent esse futurum à Decretis liberis Dei, quæ Decreta libera sunt à tota Trinitate, consequenter si Creaturæ accipiunt esse futurum à persona Sp. sanc. nullo modo fieri poterit, vt Spir. sanc. oriatur ex illarum amore, quia effectus non potest esse causa, vel origo suæ causæ, sed Creaturæ futuræ sunt effectus Spir. sanc. ergo Spir. sanc. non potest oriri ex amore futurorum.

Remanet modo inquirendum. An Spir. sanc. oriatur ex amore possibiliū. Quæ quidem quæstio ab alia pendet, quam tractant Theologi 1. par. quæst. 19. nempe, An Diuina voluntas necessariò, an verò liberè Creaturas diligat. Si liberè eas amat quocumque amore etiam complacentiæ, quod est verisimilius ob diminutam bonitatem Creaturarum; tunc pariter sequitur spir. sanc. qui est ens necessarium, ex amore contingenti oriri non posse. *Si verò eas necessariò amat*; *quatenus* complacet in illis, dicendum erit spir. sanc. oriri ex amore illarum, eo modo quo oritur Verbum ex cognitione possibilium. Quare sicut Disput. xxxviij. probatum est, Verbum non oriri per se ex cognitione possibilium, quia sunt obiectum Diuinæ scientiæ secundariū, nec habent tantam essendi necessitatē, quantam habet ipsum Verbum, sed solum oriri cōcomitanter, & identicè, ita eodem modo de spir. sanc. origine

à possi-

Ss 3

à possibilibus philosophandum videtur, & in hoc sensu intelligendus est S. Thomas *hic q. 37. art. 2. ad 3.* dum cōcedit Patrem, & Filium diligere nos spiritu sancto, sicut Pater dicit Creaturas Verbo, hoc est spir. sanc. oriri secundariò, vt ipse declarat ex amore Creaturarū, siue etiam concomitanter, & identicè quatenus si Creaturæ à Deo diligendæ sunt, illo eodem actu dilectionis diligētur, quo persona ipsa sp. sanc. spiratur, hic videtur mihi verus D. Th. intellectus. Nihilominus absolutè loquendo dicimus spir. sanc. nullo modo oriri ex amore Creaturarum possibilium, & futurorum, tùm quia Creaturæ necessariò à Deo intelliguntur, quia spectat ad diuinam perfectionem nihil illum latere, sed non necessariò diligūtur, quia hoc denotat perfectionem obiecti diligibilis, non diligentis, tùm quia Theologi licèt diuidant Diuinā scientiam in eam, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, & visionis, nunquā tamen amorem Creaturarum in Deo eadem proportione distinxerunt, sed solùm in simplicem, & efficacem, quorum vterq; esse potest de rebus existentibus, quas & amore efficaci, & simplicis complacentiæ Deus diligit Genesis primò, *Et videns Deus quod esset bonum, &c.* quibus verbis significatur Deum in creatione illarum Creaturarum non parum se oblectasse, tùm deniquè, quia dici aptè posset amorem Creaturarum non esse fœcundum, sed totam fœcunditatem sumendam ex essentia, & Diuinis personis; cessante, ergo fœcunditate, ex amore Creaturarum spiritum sanctum oriri minimè pronuntiamus.

DISPVT: XLVI.

De multis, & varijs Spiritus sancti nominibus.

D. Th. quæst. 36. art. 1. quæst. 37. art. 1. q. 38. art. 1. & 2.

De nomine spiritus sancti.

QVantò magis aliquid à sensibus elongatur, eò minùs per creata obiecta ab infirma humanę mentis acie cōcipitur, quę idcircò plura de eadem re, ac diuersa nomina multiplicat, vt per ea veluti per tot intelligentiæ gradus ad perfectam rei notitiam ascendat. Nihil sanè tertia in Diuinis persona à sensibilibus remotuis. Nihil illa obscurius, ac captu difficilius; quare si de Filij ortu rectè Isaias pronuntiauit, *Generationem eius quis enarrabit?* non minus de tertia Persona aptè asserere non dubitabo. *Processionem eius quis ennarrabit?* Siquidē de secunda Persona proprium nomen Filij, & proprium modum originis illius, qui est per veram generationem, agnoscimus. At veram, & germanam tertiæ Personæ nomenclaturam, & propriam illius originē Theologi omnes se ignorare ingenuè fatentur; idcircò ad communia quædam vocabula ob penuriam propriorum confugiunt: vnde nomine processionis, quæ etiam gene-

generationi conuenit, proprium modum illius originis, ac nomine spiritus sancti, quod tribus personis, & Deo ipsi cõmune est, personales illius proprietates hominibus penitus occultas vtcumq; possunt exprimunt, atq; declarant. Quocirca maiorem ijdem Theologi in explicanda tertia Persona, quam in alijs duabus difficultatem sentientes, eam multiplici vocabulorum significatione, quibus varios eiusdem effectus, munera, ac proprietates per inadæquatos conceptus appræhendunt, superare conantur. Ceterum inter tot, ac tàm varia nomina, quibus hæc tertia Persona explicatur, tria sunt magis præcipua, ac ceteris præstantiora, spiritus, Amoris, & doni.

Primò itaquè appellatur nomine spiritus, quod à Filio illi haud inconsiguè impositum fuit Matt. vltimò, *Baptizantes eos in nomine Patris, Filij, ac Spiritus sancti*. Porrò apud sacras litteras sub nomine spiritus intelligitur ventus. *Psal.* 148. *Ignis grando nix glacies Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*. Ecclesiast. 43. *Vox tonitrui eius verberauit terram, tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus*. At ventus tertiæ Personæ proprietates, & effectus non obscurè declarat ob tria præcipua, in quib. conueniunt, scilicèt in motione, in sono, & in ortu; In motione: sicut enim impetu venti nil velocius, ità *nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia* ventus impetus quidam aeris est, sic amor, quo ipse à Patre procedit, impulsus quidam est in rem amatam: in sono, quia sicut impetus venti inuisibilis est, auditur tamen, & quam vehementissimè sentitur, ità inuisibilia Spiritus sancti dona non solùm intellectu, sed sensu ipso etiam ex anima redundantia non semel percipiuntur: in ortu, quia sicut ventorum origo Philosophos omnes latet, & ideò e Diuinæ sapientiæ thesauris eos ortum duxisse profitetur Regius Vates dicens. *Qui educit ventos de thesauris suis* ità reconditissima tertiæ personę origo omnẽ createę mẽtis intelligentiã prorsus effugit. Hinc mirũ alicui esse non debet, si in celeberrimo illo super Apostolos discensu Symbolum venti assumpserit, quippè cum nulla fortè visibilis forma eiusdem tertiæ Personæ munera, effectus, & proprietates ipso clarius, & distinctius referre poterat.

Secundò nomen spiritus vitam significat; Genesis 7. *Vniuersæ aues omnisq; volucres ingressæ sunt ad Noe in arcam bina, & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ*. At tertia persona amor est productus. Amor vita quædam est teste Hugone in Soliloquio de Arra Sponsæ. *Scio Anima mea, quià vita tua est dilectio*, ergo nomine vitę venit tertia persona, quæ sicut amor est Patris, & Filij, ità vita est Patris, & Filij.

Tertiò spiritus robur hominis indicat Psal. 103. *Auferes spiritum eorum, & deficient*. At tertia Persona brachium, & fortitudo Animæ est. Esaiæ 33. *Esto brachium nostrũ in mane,*

ne, & salus nostra in tempore tribulationis; ergo tertia Persona nomine spiritus aptissimè designatur.

Quartò vt proprius ad rem accedamus. Nomen hoc Spiritus geminam habet ætimologiam, vel enim spiritus dicitur à spiritualitate, vel à spiratione. Priori modo nomen istud essentiale est, tribusque Diuinis personis, imò Angelis, & animabus rationabilibus commune. At posteriori modo acceptum, nomen est personale soli tertiæ Personæ proprium. Etenim sicut spiratio exterior est motus vitalis à principio intrinsico ex ignea cordis complexione foras progrediens, quod quidem cor, ne nimio colore suffocetur, halitum emittit. Ità tertiæ Personæ processio est motus vitalis, ex igneo Diuino pectore prosiliens: adeò vt flatus, halitus, & respiratio Patris, ac Filij ex ardentissimo amore aptissimè dici possit.

Nam si quilibet actus amoris spiratio est amantis cum impetu quodã, & impulsu in rem amatam emissa, quantò magis tertia persona, quæ amor est Patris, ac Filij productus, quo mutuò se diligunt, nomine spirationis, ac emissionis halitus ex intimis Diuinæ voluntatis præcordijs meritò compellabitur.

Quinta, ac postrema ratio, cur tertiæ Personæ nomen Spiritus approprietur, illa esse videtur, vt eiusdem ab vtroque processio nobis significetur: Vnde *S. Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 11. & lib. 15. cap. 19.* quem etiam refert *S. Thomas d. art. 1. in C. q. 36.* inquit. *Quia spiritus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Nam Pater est spiritus, Filius est spiritus, Pater est sanctus, Filius est sanctus. Vt ergo ex nomine, quod vtriq; conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus.*

Obseruat tamen, & quidem optimè eodem loco *S. D. in responsione ad 1.* Nomen Spiritus sancti dupliciter considerari, vel complexè, & vt claudit duas dictiones, & hac ratione essentiale est, itaut nomine *Spiritus* Diuinę naturæ immaterialitas, & nomine *sancti* Diuinæ bonitatis puritas declaretur: vel secundò hoc nomen sumitur incomplexè per modum vnius dictionis, & sub vnius vocis significatione, & sic ex vsu Scripturæ, & Ecclesiæ, ac propter vocabulorum penuriam, nomen Spiritus sancti ad tertiam Personam significandam, quæ per modum amoris, ac impulsus procedit, accomodatur. Cur verò non simpliciter *Spiritus*, sed cum addito *sanctus* appelletur, ad differentiam profani amoris appositum credimus. Siquidem ille Spiritus, seù amoris Diuini impulsus quidam est, & quidem vehementissimus, feruentissimus, totus igneus, infinitus, suo principio coequalis. At amor iste purus, candidus, ac sanctus est, ab omniq; profanæ dilectionis inquinamento prorsus alienus.

Nomen amoris, & Charitatis An & quomodo Trinitatis Personæ sit proprium.

Quamuis teste etiam Augustino *lib. 15. de Trinit. cap. 17.* non habeamus expressa Scripturæ loca, quibus tertia Trinitatis Persona *Amor, & Charitas* appelletur, sicut *Spiritus* dicitur, sed solùm ex sacris litteris perspicuè edocemur hoc nomen Amoris essentiale esse, *Deus Charitas est*, Nihilominus ex communi Theologorum suffragio, vsu Ecclesię, & sanctorum Patrum auctoritate nomen istud peculiari ratione tertiæ Personæ tribuitur, ex Theologis enim omnes vnanimi assensu in hac veritate conueniunt, vnò excepto *Durando in 1. dist. 32.* qui eodem erroris fonte, quo docuerat Verbum nō propriè dici de Filio, sed per quandam accomodationem, ità eodem modo nomen Amoris conuenire tertiæ Personæ philosophatur, cuius insulsa assertio ex ijs, quę dicta sunt disputatione prima satis superq; explosa manet, vbi actus notionales intelligendi, & amandi non ex naturæ Diuinæ fœcunditate, sed ex actibus intellectus, & voluntatis immediatè oriri demonstrauimus; ex vsu item vniuersalis Ecclesiæ veritas ista perspicua etiam manet. Nam in Hymno Pentecostes dicitur de tertia Persona, *Qui Paraclitus diceris, donum Dei altissimi, fons viuus, ignis, charitas*, Pluribus id etiam confirmat S. Augustinus, vbi supra, præsertim ex illo Ioannis testimonio. *1. Io. 4. Charitas ex Deo est*. Qui locus licèt etiam de charitate creata difusa in cordibus nostris non incongruè ab eodem Augustino *lib. de gratia Christi contra Pelagianus cap. 21. & à Concilio Mileuitano Canone quarto* explicetur, non est tamen nouū apud sacros Scriptores, idem Scripturæ testimonium plures pati posse litterales sensus, æquè à Spiritu sancto intentos, vt docet S. *Thomas 1. par. quæst. Proemiali art 10. & de potentia quæst. 4. art. 1. & quodlib. 7 art. 16* consequenter locus ille *Charitas ex Deo est*, tàm de infusa Charitate, quàm de Amore increato personali exponi aptè cum Augustino potest. Ac denique nomen istud amoris proprium esse tertiæ personæ ratione etiam Theologica cōfirmatur: illud enim est proprium alicuius personæ nomen, quod illius exprimit proprium emanationis modum, sed nomen amoris exprimit proprium modum emanationis tertiæ personæ. Sicut enim non datur Verbum essentiale, vt supra dictum est, nomenq; Verbi personale est, & Filio proprium, ità amor spiritus personale nomen est, soliq; tertiæ personæ conueniens. Nam sicut Filius accipit à Patre esse Verbū, esse sapientiam genitam, ità Spir. sanc. accipit ab vtroquè esse amorem, esse Charitatem.

Ceterum ad maiorem huius rei euidentiam sciendum est, amorem in Diuinis quadruplici acceptione attendi posse, essentialiter, notionaliter, persona

ſonaliter, & appropriatè. Acceptum eſſentialiter commune eſt toti Trinitati *Deus Charitas eſt*. Notionaliter ſignificat dilectionẽ mutuam Patris, ac Filij, qui in eadem voluntate conueniunt in ſpirando Spiritũ ſanctũ, & vt vno verbo dicam, Amor notionalis ſpiratio eſt, & origo actiua Spiritus ſancti, & hoc modo Amor communis eſt Patri, & Filio. Tertio Amor ſumitur in Diuinis pro termino huius ſpirationis, ſeù pro amorę ſpirato, & producto, & tunc hoc nomen perſonale eſt, ſolũq; tertiæ Perſonæ proprium. Quartò ſumitur appropriatè, & hoc modo dona Dei ſupernaturalia à Diuina Charitate nobis cõmunicata, vt gratiam, Charitatẽ, & reliqua, quæ à tota Trinitate procedunt, Spiritui ſancto per appropriationem tribuuntur.

11 Eſt autem obſeruandum diſcrimẽ, quod ex S. Th. *hic in C.* intercedit inter intellectum, & voluntatem; quoniam ex parte intellectus plura nobis ſuppetunt vocabula ad exprimendum modum operandi illius, quàm ſuppetant ad exprimendum modum operandi voluntatis. Nam ex parte intellectus tres diſtinctæ inuentæ ſunt voces, & ſignificata, intelligere, dicere, & verbum. Intelligere in Diuinis accipitur eſſentialiter, quia non ſignificat aliquid ab alio realiter egredi, vel emanare; ſed nudam obiecti repræſentationem. Dicere ſignificat egreſſum Verbi ab intelligente, & Verbum ſignificat id, quod procedit, vel egreditur ab intelligente: At ex parte voluntatis non habemus vocabula, quib. diſtinguamus inter diligere eſſentiale, notionale, & perſonale, ſed nomine Amoris intelligimus tùm dilectionem abſolutã, quę toti Trinitati eſt communis, tùm dilectionem notionalem, quàm ſpirationem vocamus, tùm terminum ipſum productũ. Quo fit vt idem nomen & eſſentiale, & notionale, & perſonale dicatur; & ratio eſt, quia amor dicit ſolùm impulſum amantis ad rem amatam, nec habemus aliam vocem, qua explicemus habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris ad ſuum principium, ſicut ex parte intellectus extant iſtæ duę voces dicere, & Verbum. Itaquè ſi nomen Amoris accipiatur, vt dicit habitudinem amantis ad rem amatam, eſſentiale eſt, vt dicit habitudinem à quo procedit, erit notionale, vt dicit id, quod via Amoris procedit, erit perſonale.

Obſeruandum ſecũdo loco eſt aliud diſcrimen inter hæc tria Amorem, Dilectionem, Charitatem, quæ propriè loquendo in humanis valdè inter ſe differunt. Nam Amor ſignificat vnionem, & nexum amantis cum re amata. Dilectio ſuper addit electionem ex pluribus. Amabiliora enim eligit Amor, iuxta illud Cant. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.* Charitas verò ſuper addit æſtimationem, quia quod plurimum æſtimatur, id chariſſimum habetur. At in Diuino Amore ſingulæ vo-

ces istæ idem significant, quia eundem Deum, & amore vnionis, & præelectionis, & appretiationis diligimus.

Nomen Doni qua ratione tertiæ Personæ approprietur.

Tertium nomen, quo appellari consueuit Spiritus sanctus, est *Donum*, vt in Hymno Pentecostes *Donum Dei altissimi*: id quod fusius demonstrat S. August. *lib. 4. de Trinitate cap. 20. Sicut*, inquit, *natum esse, est Filium à Patre esse, ità Spiritum sanctum donum Dei esse, est à Patre, & à Filio procedere*; & lib. 5. de Trinit. cap. 15. *Sicut*, ait, *in Trinitate non est verbum nisi Filius, ità nec donum nisi Spiritus sanctus*, & lib. 15. de Trinitate cap. 19 eandem veritatem pluribus sacratum Scripturarum testimonijs latissimè confirmat, inter quæ præcipuum est illud Ioann. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, quo dicit tibi da mihi bibere. Quia ergo hæc aqua viua*, inquit, *sicut Euangelista exposuit, Spiritus est sanctus, proculdubio spiritus donum Dei est, de quo hic Dominus ait. Si scires Donū Dei, etc.*

Sed difficultas est in explicādo, quanam ratione peculiari hoc nomen Doni Spiritui sancto tribuatur. Hac in re omissis pluribus explicationibus, solummodo ponderanda est illa S. Thomæ *quæst. 38. art. 2. in C.* qua communiter etiam Theologi vtuntur, & est huiusmodi. *Donum est datio irredibilis secundum Aristotelem*, idest Donum importat gratuitam, & liberalem donationem absquè intentione retributionis; Sed radix, & tota ratio Donationis gratuitæ est amor, quod est primum donum, per quod reliqua donātur. Cum ergo Spir. sanc. procedat vt amor, sequitur quod procedat etiā vt Donum. Sed contra hunc dicendi modum occurrunt difficultates. Prior est, quia ex eodem Aristotele, & communi omnium consensu de ratione præcipua Doni est, quod liberè detur, sed Spiritus sanctus procedit ex necessitate intrinseca, & naturali Diuinæ fœcunditatis, ergo non procedit vt Donum. Secundò Donum est illud, quod manet primò sub potestate, & auctoritate alicuius, & transfertur in vsum, vel fruitionē, vel potestatē alterius; sed Spiritus sanc. non erat sub potestate Patris, vel Filij, quia hęc dicunt subiectionem, hec transfertur in vsum, & potestatem alterius Personæ, ergo &c. Tertiò Donum tria includit, rem donatam, donantē, & eum cui donatur, sed si Spiritus sanc. est Donum Patris, ac Filij, opportebit assignare, cui ad intra donetur. Quartò sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, ergo etiam Filius nobis datus donum erit altissimi, ergo esse donum non erit proprietas tertiæ Personæ. Ex solutione istarum rationum patebit veritas. Ad Primam illa ratio optimè concludit Spir. sanc. non dici Donum ad intra, sed ad extra per respectū ad Creaturas, quib. est communicabile, quatenus scilicèt pro-

cedit-

cedit ab æterno vt donabile, sed in tempore donatum Creaturæ rationali, quæ sola est capax Donorum supernaturalium, non enim est de ratione Doni *ex S. Th. hic art. 1. ad 4.* quod actu donetur, sed quod sit aptum donari: nam cum actu donatur, tunc dicitur Datum, non Donum: Quare cum Scotus, Gabriel; & alij dicunt Patrem donare Filio Spir. sanc. vel vbi Hylarius *lib. 6. de Trin.* tradit essentiam Diuinam esse Donum, quod Pater dat Filio, id debet intelligi de Dono impropriè. Non enim intra Deum est libera donatio, ergo nec Donum propriè acceptum.

Ad secundum dic Spirit. sanct. dari nobis, qui nostro libero arbitrio illum abijcimus. Non enim ille relinquit nisi prius relinquatur.

Ad Tertium dic Sp. sanc. non ideò esse Donum, quia donetur alicui Diuinæ Personæ, sed quia ex vi suæ processionis proximè, & immediatè aptū natum est donari Creaturæ rationali.

Ad Quartum dic eo ipso quod Filius datus est nobis, id prouenire ex Patris amore, quæ est proprietas Spiritus sancti. Sic *S. Th. art. 2. ad 1.*

Ex ijs deducitur quid dicendum sit ad illam Quæstionem. An ratio Doni spir. sanc. adscribatur ratione relationis personalis, vel ratione Diuinæ essentiæ. Quam controuersiam eadem proportione resoluere debemus, qua similem terminauimus Disp. 40. agentes de Verbi significatione. An primariò significaret naturam Diuinam, vel relationem. Dico ergo tria in dono considerari, quod sit à donante, quod detur alteri ab ipso, & prima ratio donandi, qui est Amor. Si hoc Donum consideretur, quatenus est realiter à donante ex vi suæ processionis, & originis, tunc proculdubio tribuitur spir. sanc. ratione suæ proprietatis personalis. Vide S. August. *lib. 4. de Trinit. c. 20.* inquit. *Sicut natum esse, est Filio esse à Patre esse, ità Spir. sanc. Donum Dei esse, est à Patre, & à Filio procedere.* Si autem consideretur in Dono prima ratio donandi, quæ est Amor; tunc Spir. sanc. conuenit ratio Doni formaliter per essentiam, non secundum se, sed vt acceptam per voluntatem amantem, adeò vt relatio personalis tertiæ Personæ sit sola conditio sine qua non ille Amor, seu dilectio essentialis nobis communicetur. Si verò cōsideretur respectus rationis ad Creaturas rationales, quibus Sp. sanc. est communicabilis, & donabilis, tunc conuenit illi secundariò ratione Diuinæ naturæ, cùm opera ad extra conueniant personis Diuinis ratione essentiæ communis, dixi secundariò conuenire Spir. sanc. hunc respectum ad Creaturas. Nam hanc venerationē Diuinis personis tribuere debemus, vt singulæ primò intelligantur per se ipsas constitutæ in suo esse personali, antequam vllum in illis rationis respectum ad Creaturas concipiamus. Vnde *Disp. 38. & 39.* ostendimus Verbum non oriri per se ex notitia Creaturarum possibilium, vel futurorum, &

Disp.

ces istæ idem significant, quia eundem Deum, & amore vnionis, & prælectionis, & appretiationis diligimus.

Nomen Doni qua ratione tertiæ Personæ approprietur.

Tertium nomen, quo appellari consueuit Spiritus sanctus, est *Donum*, vt in Hymno Pentecostes *Donum Dei altissimi*: id quod fusius demonstrat S. August. *lib. 4. de Trinitate cap. 20. Sicut*, inquit, *natum esse, est Filium a Patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse, est à Patre, & à Filio procedere*; & lib. 5. de Trinit. cap. 15. *Sicut*, ait, *in Trinitate non est verbum nisi Filius, ita nec donum nisi Spiritus sanctus*, & lib. 15. de Trinitate cap. 19 eandem veritatem pluribus sacrarum Scripturarum testimonijs latissime confirmat, inter quæ præcipuum est illud Ioann. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, quo dicit tibi da mihi bibere. Quia ergo hæc aqua viua*, inquit, *sicut Euangelista exposuit; Spiritus est sanctus, procul dubio spiritus donum Dei est, de quo hic Dominus ait: Si scires Donũ Dei, etc.*

Sed difficultas est in explicãdo, quanam ratione peculiari hoc nomen Doni Spiritui sancto tribuatur. Hac in re omissis pluribus explicationibus, solummodo ponderanda est illa S. Thomæ *quæst. 38. art. 2. in C.* qua communiter etiam Theologi vtuntur, & est huiusmodi. *Donum est datio irredibilis secundum Aristotelem*, idest Donum importat gratuitam, & liberalem donationem absque intentione retributionis; Sed radix, & tota ratio Donationis gratuitæ est amor, quod est primum donum, per quod reliqua donantur. Cum ergo Spir. sanc. procedat vt amor, sequitur quod procedat etiã vt Donum. Sed contra hunc dicendi modum occurrunt difficultates. Prior est, quia ex eodem Aristotele, & communi omnium consensu de ratione præcipua Doni est, quod liberè detur, sed Spiritus sanctus procedit ex necessitate intrinseca, & naturali Diuinæ fœcunditatis; ergo non procedit vt Donum. Secundò Donum est illud, quod manet primò sub potestate, & auctoritate alicuius, & transfertur in vsum, vel fruitionẽ, vel potestatẽ alterius; sed Spiritus sanc. non erat sub potestate Patris, vel Filij, quia hæc dicunt subiectionem, hec transfertur in vsum, & potestatem alterius Personæ, ergo &c. Tertiò Donum tria includit, rem donatam, donantẽ, & eum cui donatur, sed si Spiritus sanc. est Donum Patris, ac Filij, opportebit assignare, cui ad intra donetur. Quartò sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, ergo etiam Filius nobis datus donum erit altissimi, ergo esse donum non erit proprietas tertiæ Personæ. Ex solutione istarum rationum patebit veritas: Ad Primam illa ratio optimè concludit Spir. sanc. non dici Donum ad intra, sed ad extra per respectũ ad Creaturas, quib. est communicabile, quatenus scilicet procedit-

cedit ab æterno vt donabile, sed in tempore donatum Creaturæ rationali, quæ sola est capax Donorum supernaturalium, non enim est de ratione Doni *ex S. Th. hic art. 1. ad 4.* quod actu donetur, sed quod sit aptum donari: nam cum actu donatur, tunc dicitur Datum, non Donum: Quare cum Scotus, Gabriel; & al ij dicunt Patrem donare Filio Spir. sanc. vel vbi Hylarius *lib. 6. de Trin.* tradit essentiam Diuinam esse Donum, quod Pater dat Filio, id debet intelligi de Dono impropriè. Non enim intra Deum est libera donatio, ergo nec Donum propriè acceptum.

Ad secundum dic Spirit. sanct. dari nobis, qui nostro libero arbitrio illum abijcimus. Non enim ille relinquit nisi prius relinquatur.

Ad Tertium dic Sp. sanc. non ideò esse Donum, quia donetur alicui Diuinæ Personæ, sed quia ex vi suæ processionis proximè, & immediatè aptū natum est donari Creaturæ rationali.

Ad Quartum dic eo ipso quod Filius datus est nobis, id prouenire ex Patris amore, quæ est proprietas Spiritus sancti. Sic *S. Th. art. 2. ad 1.*

Ex ijs deducitur quid dicendum sit ad illam Quæstionem. An ratio Doni spir. sanc. adscribatur ratione relationis personalis, vel ratione Diuinæ essentiæ. Quam controuersiam eadem proportione resoluere debemus, qua similem terminauimus Disp. 40. agentes de Verbi significatione. An primariò significaret naturam Diuinam, vel relationem. Dico ergo tria in dono considerari, quod sit à donante, quod detur alteri ab ipso, & prima ratio donandi, qui est Amor. Si hoc Donum consideretur, quatenus est realiter à donante ex vi suæ processionis, & originis, tunc proculdubio tribuitur spir. sanc. ratione suæ proprietatis personalis. Vide S. August. *lib. 4. de Trinit. c. 20.* inquit. *Sicut natum esse, est Filio à Patre esse, ità Spir. sanc. Donum Dei esse, est à Patre, & à Filio procedere.* Si autem consideretur in Dono prima ratio donandi, quæ est Amor, tunc Spir. sanc. conuenit ratio Doni formaliter per essentiam, non secundum se, sed vt acceptam per voluntatem amantem, adeò vt relatio personalis tertiæ Personæ sit sola conditio sine qua non ille Amor, seu dilectio essentialis nobis communicetur. Si verò cōsideretur respectus rationis ad Creaturas rationales, quibus Sp. sanc. est communicabilis, & donabilis, tunc conuenit illi secundariò ratione Diuinæ naturæ, cùm opera ad extra conueniant personis Diuinis ratione essentiæ communis, dixi secundariò conuenire Spir. sanc. hunc respectum ad Creaturas. Nam hanc venerationē Diuinis personis tribuere debemus, vt singulæ primò intelligantur per se ipsas constitutæ in suo esse personali, antequam vllum in illis rationis respectum ad Creaturas concipiamus. Vnde *Disp. 38. & 39.* ostendimus Verbum non oriri per se ex notitia Creaturarum possibilium, vel futurorum, &

Disp.

Disp. præcedenti pari modo resolutum fuit Spir. sanc. non oriri per se ex amore Creaturarum.

Eadem tertia Trinitatis Persona cur digitus Dei appelletur.

Eadem nomina *Spiritus*, *Amoris*, *& Doni*, de quibus hucusquè egimus, tertiæ Trinitatis Personæ *in Hymno Pentecostes* tribuuntur, sed alio postea insignitur obseruatione valdè digno. Dum Digitus Dei acclamatur. *Dexteræ Dei tu Digitus*. Quod nomen suspicor acceptum ex illo Lucæ 11. *Si in Digito Dei eijcio Demonia.*

At qua ratione hic titulus Spiritui sancto propriè conueniat, obscurũ est, quia Digitus potentiam potius, quæ Patri addicitur, quã bonitatem Spiritui sancto appropriatam significare videtur, vt constat ex illo testimonio *Non ne digitus Dei est hic?*

Nihilominus nomen istud tertiæ Personæ congruentissimè adhiberi illud suppetere potest argumentum, quòd sicut nomine manus in sacris literis venit Diuina potentia. *Manus Domini fecit hæc omnia, & erat cum eo manus Domini*, ità nomine digitorum Spiritus sancti vis, virtus, & dona intelliguntur, ità accipitur illud; *Si in Spiritu Dei eijcio Demonio*, idest si in virtute spiritus sancti Dæmones expello. Quamobrem sicut per digitos operatur manus, ità Diuina omnipotentia supernaturalia dona per spiritus sancti virtutem, non efficienter, sed per appropriationem dicitur operari: Quinimò tradunt nonnulli hoc ternario digitorum numero Pollicis, Indicis, & Anularis tres Diuinas personas optimè designari. Pollex enim dicitur, eo quod vi valdè polleat, & Patrem refert, cui potentia adscribitur. Index docet, & genitam sapientiam indicat, Anularis spiritum sanctum ex amore procedentem repræsentat. Huc spectat illius quæstionis resolutio, cur in eo digito geratur anulus, qui in sinistra manu minimò est proximus. Duas huius rei reddidit causas *Macrobius lib. 7. Saturnalium cap. 13. Veteres*, inquit, *non ornatus, sed signandi causa anulum secum circumferebant. Vnde nec plus habere quam vnum licebat, nec cuiquam nisi libero, quos solos Fides deceret, quæ signaculo continetur; ideò ius anulorum famuli non habebant: imprimebatur autem sculptura materiæ anuli, siuè ex ferro, siuè ex auro foret, & gestabatur, vt quisquè vellet, quacumq; manu, quacunque digito. Postea*, inquit, *vsus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cœpit insculpere, & certatim hæc omnis imitatio lacessiuit, vt de augmento pretij, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur. Hinc factum est, vt vsus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otiosior est, ne crebro motu, & officio manus dexteræ pretiosi lapides frãgerentur; Electus autem*, inquit, *ipsa læua manu digitus minimò proximus quasi aptior ceteris, cui anuli pretiositas commendaretur.*

Ve-

Verum paulò supra aliam habet huius quæstionis solutionem nostro instituto valdè accomodatam; Sic enim loquitur. *De hac ipsa quæstione sermo quidam ad nos ab Ægypto venerat, de qua dubitabam fabulam ne, an veram rationem vocarem. Sed libris anatomicorum postea consultis veram reperi, neruum quendam de corde natum prorsum pergere vsque ad digitum manus sinistræ minimo proximum, & illic desinere implicatum ceteris eiusdem digiti neruis, et ideò visum veteribus, vt ille digitus anulo tanquam corona circundaretur.* Hæc ille.

Ex his colligere fas erit anularem digitum tertiam Trinitatis Personam non obscurè referre. Nam sicut in illo inuenitur neruus alijs eiusdem digiti valdè implicatus, qui è corde exiens ad illum tendit, quasi verum amoris symbolum, maritali anulo dignum coronari, ità Sp. sanc. è corde Patris, & Filij ortum habet, mutui inter illos amoris perfectissimum symulacrum; & hanc ob causam fortè eadem persona Spiritus sancti digitus Dei dictus est, non quilibet, sed anularis, non quidem sinistræ Dei, qua ipse caret, & de qua nulla apud sacras litteras mentio habetur, sed solius dexteræ Altissimi, vt nihil ab illo aduersum, vel sinistrum nisi aliud delicta nostra expostulare videantur, proficisci intelligamus.

Spiritus sanctus cur dicatur vnctio spiritualis.

Vocatur etiam tertia Trinitatis persona in Hymno Pentecostes *Spiritalis vnctio*. Quod nomen à Regio vate prius pronuntiatū *oleo sancto meo vnxi eum* ad exprimendas eiusdem Sp. sanc. proprietates, & effectus aptissimū videtur. *Oleum quippè* inquit S. Gregorius lib. 4. Reg. cap. 5. *liquoribus alijs superfertur, oleum ignem fouet, oleum vulnera curare consueuit.* Dona Spir. sanc. ceteris multò præstantiora sunt, ardorem nutriunt Charitatis, & ęgras mentes saluti restituunt. Atq; vt multa hic de olei virtute, & proprietatibus consultò præteream, quæ Spir. sanc. muneribus facilimum cuilibet esset accomodare; illud sanè ponderatione dignum videtur, quod sicut vnctione olei rotæ currus sine strepitu, imò cum maxima facilitate, & velocitate reuoluuntur, ità qui Spiritus sancti virtute intus vngitur, tentationes omnes, ac difficultates facilè superat, inordinatos animę motus comprimit, ac per viam salutis non sine maxima iucunditate incedit. Quod sanè tùm Daniel cap. 1. tùm Ezechiel cap. 7. Diuinò lumine collustrati nobis indicarunt, dum vnus currum Dei describens, rotas illius igne succensas, alter verò in rotis latere Spiritum, quo quatuor illa animalia mouebantur, designauit. Tunc ergo animæ nostrę potentiæ omnes instar rotæ viam mandatorum facillimè, ac cum maxima velocitate percurrent, si vnctione ista spiritali, sine qua molesta omnia, dura, & aspera videbuntur, intus roborentur.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXIX.

De Personis ad essentiam relatis.

DE hac Quæstione nihil hoc loco disputandum suscipimus; quoniam tùm ea, quæ hic docet S. Thomas, tùm alia multo plura, Deo benè fauente, in tractatum de propositionibus in hoc Mysterio sanctissimę Trinitatis admittendis, vel reprobandis, quem in calce huius operis habebis, comodius transferentur.

QVÆSTIO XL.

De Personis comparatis ad Relationes.

DISPVTATIO XLVII.

An diuinæ Personæ constituantur per relationes, vel per origines, vel per aliquid absolutum. D. Th. Art. 2.

CErtum est primò, Diuinas Personas constitui ex essentia, & sua proprietate personali, vt habetur expresse *in Concilio Florentino sess.* 19. & apud *S. Basilium Epistola* 43. vbi inquit. *Filius in proprietate sua nihil cum Patre, & Spir. sanc. habet commune.* Et idem dicunt omnes alij ss. Patres, & Theologi omnes.

Certum sit secundò. Hanc constitutionem, ex essentia, & proprietate personali esse veram, & realem; & non tantum per rationem, vt aliqui Theologi loquuntur; Nam extrema constituentia sunt realia, & constitutum est persona realis; Cur igitur non dicetur realis constitutio? An fortè, vt inquit *Gregor. Ariminens. in 1. dist.* 26. quia in forma simplici, qualis est Diuina Persona, extrema non sunt re distincta; & forma simplex se ipsa differt ab alia: At hoc non rectè dicitur; Nam ad saluandam hanc realem constitutionē, sufficit virtualis extremorum distinctio ratione cuius vnum extremum, verè, & non fictè concipitur per modum actus determinantis; & aliud per modũ rei determinatæ, & characteristica proprietate figurati. Sic dicimus hominem rationalitate in esse hominis constitui, licèt rationalitas, & animalitas sola ratione distinguan-

guantur. Et Patrem sapientia esse sapientem, & Iustitia iustū, & per Intellectum generare Filiū, per Voluntatem verò spirare S. S. & Filio essentiam totam cōmunicare, haud cōmunicata paternitate, quæ omnes propositiones reales esse nemò dubitauit, etsi extrema ratione sola cum fundamento in re distinguantur.

Tota igitur difficultas est; Quodnam sit formale constitutiuum Diuinarum personarum; In qua difficultate tres inuenio sententias.

Prior asserit formale constitutiuum Diuinarum personarum esse proprietates absolutas earum. Sic *Ioannes de Ripa, & Adamus*. Quam sententiam refert, & vt probabilem approbat *Scotus in 1. d. 26. quæst. 2.*

Secunda sententia, quæ tribuitur *Bonauenturæ eadem d. 26. q. 3.* docet personas Diuinas constitui, & distingui per origines tàm actiuas, quàm passiuas.

Tertia est *S. Th q. 40. ar. 2. & 3. Caiet.* ibidem, *Durand. in 1. dist. 26. quæst. 1. Ferr lib. 4. contra Gentes c. 26.* quàm amplectuntur omnes Recentiores, vt patribus, & Concilijs cōformiorem, nempè Diuinas personas formaliter cōnstitui & distingui per relationes, quæ sunt proprietates personales.

Prima Propositio.

Respondeo primò. Formam constituentem Diuinas personas in esse personali proprio non posse esse absolutam. Hæc Conclusio est ità certa, vt opposita non sine periculo erroris, & temeritate maxima defendi possit. Imò Bannes, & Zumel eam apertè hæresis censura notant.

Probatur primò ex Patribus, & Cōcilijs; Nam *Boetius lib. de Trin.* inquit, *Sola relatio multiplicat Trinitatem. Damasc. 1. de Fide cap. 10.* inquit. *Quidquid habet vna trium Personarum habet alia præter innascentiam, generationem, et processionem. His enim solis Personalibus proprietatibus differunt ab inuicem tres sanctæ hyppostases. S. August. Epistola 66. Pater*, inquit, *& Filius diuersi sunt inter se; non tamen diuersæ naturæ, quis enim non videat, ista vocabula non naturas in se ipsis demonstrare; sed alterius ad alterum significare Personas?* Plura de eadem re habet *lib. 5. de Trin. a cap 5. ad 7. & S. Athan. lib. de veritate rectorum dogmatum* sic habet. *Omnia esse vnū in Diuinis, serua to esse Patrē in solo Patre, in Filio esse Filiū, in Paraclito esse S. S.* At hæc nomina important formaliter relationes: ergo &c. Accedat Concil. Tolet. sæpè citatum; *Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt*. Et Ioannes Theologus in Concilio Florent. Latinorum partes patrocinatus *Sess. 18.* inquit. *Relatio apud omnes tàm Græcos, quàm Latinos Doctores, Personas multiplicat, & sola multiplicat.*

Secundò probatur rationibus. Prior est, quod constituit Personam debet reddere illam incommunicabilem,

& distinctam à quacumque alia; sed nulla proprietas absoluta in Diuinis potest hos effectus præstare; ergo &c. Assumptum probatur. Illa proprietas absoluta identificaretur cum alijs proprietatibus personalibus absolutis, ergo non potest reddere vnam personam incommunicabilem, & ab alia distinctam. Antecedens probatur; Nam in Diuinis propter summã infinitatem, & simplicitatem Dei omnia sunt vnum & idem, vbi non obstat relatiua oppositio producentis, & producti; Nam propter hanc rationem omnia attributa sunt in Deo vnum & idem, & similiter paternitas, & filiatio identitatem habent cum spiratione actiua; Atqui proprietates absolutæ non habent inter se oppositionem; ergo essent idem, ergo non redderent personas incommunicabiles, & distinctas.

Altera ratio, si proprietates absolutæ constituerent Diuinas personas, possent esse plures personæ tribus; possent enim esse plures personæ ingenitæ per suas proprietates absolutas constitutæ; At si prima persona constituatur in esse personali per relationem originis ad Filium, sicut vna est origo, ità conuincitur vnam solam esse personam ingenitam.

Secunda Propositio.

Respondeo secundò, Formam constituentem in esse personali Diuinas personas non esse origines actiuas vel passiuas. Hæc est contra Bonauenturam, & probatur primò. Forma constitutiua Diuinæ personæ debet esse aliquid illi intrinsecũ, fixum, & permanens, & in facto esse; sed origines actiuæ, vel passiuæ non sunt aliquid intrinsecum personæ producenti, cum dicant aliquid progrediens à producente; nec sunt aliquid in facto esse; sed per modum fieri, nec sunt aliquid fixum, & permanens, quia re producta non dicitur amplius esse in fieri, ergo &c.

Secundò persona significat aliquid subsistens in natura Diuina, sed origo non significat aliquid subsistens in natura Diuina, ergo nec significat, nec constituit personam Diuinam.

Tertiò, Origo actiua, vt generatio nõ est ab essentia, neq; ab hoc Deo, vt toti Trinitati est communis; sed à prima persona, ergo supponit primam personam habentem suum esse personale; Nõ ergo generatio cõstituit primã personam in suo esse personali, si illam proprius cõstitutã præsupponit. Quod autem neque origines passiuæ Diuinas personas cõstituere queant, præter rationem primo loco adductam, sic probatur. Illud, quod supponit constitutionẽ alicuius personæ, nõ potest esse forma illius cõstitutiua, sed origo passiua supponit personæ cõstitutionem; Nam origo passiua supponit personam manantem à suo principio, & sic personã constitutam præsupponit, per consequens illam nullo modo constituere poterit.

Neque obstat *D. Ambrosius 1. de Fi*

de ad Gratia cap. 2. S. Fulgent. lib. 1. de Fide cap. 1. ad Petrum, & Damasc. 1. de Fide c. 2. & 11. imò etiam *S. Thom. 1. par. quæst. 36. ar. 2.* & alibi sæpè dicere Personas distingui originibus; Nam hoc intelligi debet extrinsecè, & quoad nos, qui à posteriori procedimus; & hoc modo origines distinguunt vnam personã ab alia quasi effectiuè; at non distinguunt per modum formæ permanentis, & intrinsecè afficientis subiectum constitutum, qualis debet esse forma constitutiua tàm essentialis, quàm personalis.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertio Diuinas Personas formaliter constitui, & distingui per Relationes, quatenus virtualiter ab originibus distinguuntur. Hæc Conclusio patet ex dictis; Nam formale constitutiuum Diuinarum Personarum non est aliquid absolutum, nec origines actiuæ, vel passiuæ, ergo remanet esse aliquod relatiuum singulis personis proprium.

Secundò, quod est principium distinctiuum alicuius rei ab alia, est principiũ etiã constitutiuũ eiusdem, sed Diuinæ Relationes distinguunt vnam personam ab alia, ergo eandem etiã constituunt. Confirmatur ex dictis Disp. 43. vbi ostendimus, si Sp. S. non procederet à Filio, neque ab eodem distingueretur, quia vbi non est in Diuinis oppositio originis, ibi non est distinctio; Ergo sicut relatio teste *Boetio lib. 1. de Trinit. cap. 12.* sola est, quæ multiplicat Trinitatem, ità sola est, quæ constituit personas Trinitatis.

Non desunt, qui S. Th. cum D. Bonauentura conciliare nituntur, dicentes Seraphicum Doctorem loqui de constitutione, & distinctione Diuinarum personarum initiatiua, & incompleta, quæ optimè habetur per origines tàm actiuas, quàm passiuas, nam generari, & generare, spirari, & spirare sunt rationes distinguendi vnam personam ab alia. At Angelicum Doctorem locutum fuisse de constitutione Diuinarum personarum completa, & formali, quæ per solas relationes obtinetur. Quæ distinctio habet fundamentum in Doctrina eiusdem S. Th. qui *quæst. 8. de potentia ar. 3.* sic scribit *Distinctiuum, et constitutiuum hypposta sis potest intelligi dupliciter. Vno modo quo distinguitur, & constituitur formaliter sicut homo humanitate, & Socrates socralitate. Alio modo quo distinguitur, & cõstituitur quasi via ad distinctionẽ, & constitutionẽ, sicut si diceremus, quod Socrates est homo sua generatione, quæ est via ad formam, qua formaliter constituitur.* & hac q 40. ar. 2. inquit. *Melius dicitur, quod personæ, seu hypposta ses distinguantur relationib. quam per origines; licèt enim distinguantur vtroq; modo, tamen prius, & principalius per Relationes secundum modum intelligendi.* Hæc ille. Rectius tamen diximus origines distinguere, & constituere personas quoad nos idest quo ad nostram cognitionẽ, quæ per effectus procedit. Relationes

constituere secundum rei naturam, & quasi à priori per causam formalem secundum modum intelligendi nostrũ.

DISPVT. XLVIII.

Qua ratione Relationes constituant Diuinas Personas.

CONueniunt ferè omnes Theologi, his exceptis, quos præcedenti Disput. allegauimus, Diuinas Personas relationibus constitui, & distingui; sed in explicando modo huius constitutionis adeò varij sunt, vt in tanta varietate hæc difficultas obscuritatẽ maximam præ ceteris omnibus continere videatur. Et ratio dubitandi est; quia quæcunquè relatio tàm creata, quàm increata debet habere suam rationem fundandi; Hæc ratio fundandi est origo vnius Personæ ab alia; origo autem supponit personam iam constitutã perfectè in suo esse personali; quia actiones sunt suppositorum, ergo multò magis ipsa relatio præsupponit Personam iam constitutam, ergo relatio non potest ipsas Personas cõstituere.

Respondent aliqui dicentes, Illam maximam, relatio supponit suam rationem fundandi verificari solùm in Creatis, non in Diuinis; quia in Creatis relatio resultat posito fundamento, & termino; & ideò non constituit, sed supponit extremum, quod referat ad aliud: at Relationes Diuinæ non resultant ex positione fundamẽti, & termini; sed simùl natura constituunt Personas, producunt, & referunt vnã Personam ad aliam; itaut nec distincto conceptu possit concipi Pater prius generans, quam sit paternitate cõstitutus in esse Personali, & actu respiciens Filium, vt suum Correlatiuum.

Sed contra, quia illam maximam etiam in Diuinis verificari euidens est. Tùm quia actiones etiam in Diuinis sunt suppositorum, ergo supponunt supposita constituta; tùm quia hæc est verissima, Pater ideò est Pater, quia genuit Filium, quare sicut actus voluntatis etiam in Diuinis supponit actum Intellectus, ità relatio supponit generationem, & generatio supponit Personam generantem, & per consequens nec relatio, nec origo poterit Personam constituere.

Respondet secundo *Caiet.* & *Canarensis* hic Relationem Paternitatis ver. gr. dupliciter posse considerari; Primò vt conceptã; secundò vt exercitam. Priori modo relatio consideratur, vt in se est, nundum referens ad terminum, ac proindè nundum terminum exigens; At secundo modo consideratur, quatenus actu refert Patrẽ ad Filium, & habet exercitium referẽdi: Dicunt igitur Relationem priori modo consideratam antecedere generationem, & sic constituere Personam Patris: sed secundo modo consideratam subsequi generationẽ, & sub hac ratione non constituere personam Patris, sed supponere ipsam priori modo constitutam.

Sed

Sed contra est, quia relatio vt concepta, vel consideratur in abstracto; & sic nullo modo poterit constituere Personas, vel sumitur vt afficiens subiectum, in quo est, & hoc modo cōfunditur vnum membrum distinctionis cum alio, quod sic probo; Quia relatio vt exercita est relatio vt referens actu ad aliud, sed relatio afficiens subiectum est formaliter relatio vt referens actu ad aliud, ergo vnum membrum distinctionis cum alio confunditur. Minor probatur, non potest concipi relatio vt forma in subiecto, quin concipiatur effectus formalis illius primarius, sed effectus primarius relationis est referre ad aliud, ergo dum cōsideratur relatio vt concepta, eo ipso consideratur vt exercita.

Respondet Tertiò *Capreolus in 1. d. 26. q. 1. & Ferr. lib. 4. contra Gent. c. 26.* dicentes, Relationem Diuinam posse considerari dupliciter; Primò vt est subsistens, & est forma hyppostatica; Secundò vt dicit *Ad*, priori modo relatio Diuina paternitatis antecedit generationem, & sic constituit personam Patris: Sed secundò modo subsequitur generationem, & sic non constituit persona Patris.

Sed contra, Quia si paternitas verbi gratia vt subsistens constituit personam Patris, vel illam constituit vt subsistens subsistentia absoluta, vel relatiua. Primum dici non potest, quia sic constitueret personam per aliquid absolutum, & commune toti Trinit: quod est impossibile: Neque secundum, quia in via D. Th. vt supra vidimus, præter subsistentiam absolutam non datur in Diuinis alia subsistentia relatiua. Secundò etsi daretur subsistentia relatiua paternitatis distincta ratione ab absoluta, illa sanè non alia ratione posset personam Patris constituere, nisi constituendo illam incommunicabilem, sed persona Patris fit incommunicabilis formaliter ratione oppositionis, & oppositio formaliter dicit *Ad*, ergo Diuinæ personæ constituuntur per Relationes, vt formaliter dicunt *Ad*, atquè adeò sub concepta formali Relationis, non autem sub conceptu formali formæ hyppostaticæ. Tertiò si Relatio constituit Diuinas personas non sub ratione formali Relationis, quæ est ratio *Ad*, sed quatenus est forma hyppostatica, ergo Diuinæ personæ constituuntur per aliquid formaliter absolutum. Probatur Consequentia, Omne quod in re non est relatiuum, est absolutum, sed hæc constitutio personæ Diuinæ est in re, & realis, vt præcedenti Disp. dictum fuit, & fit per aliquid, quod non est relatiuum sub conceptu relatiuo, vt dicunt Aduersarij, ergo fit per aliquid absolutum.

Nec iuuabit Aduersarios dicere, Talem formam hyppostaticam identificari cum Relatione, vt dicit *Ad*; Nam etiam dicentes personas constitui per proprietates absolutas non volunt has proprietates absolutas realiter à relationibus distingui, sed cum illis identificari; formale tamen constitutiuum

Diui-

Diuinarum personarum contendunt esse absolutum; At hoc idem dicunt isti Doctores, ergo vel fateantur formale constitutiuum Diuinarum personarũ esse Relationes, vt dicunt *Ad*, vel negent Relationes pertinere ad formalem constitutionem Diuinarum personarum, vel apertè dicant illas constitui per proprietates absolutas.

Quartò, Si paternitas, vt est forma hyppostatica, non verò vt forma relatiua constituit personam Patris: Vel istæ duæ rationes nempè formæ hyppostaticæ, & actuales respicientiæ distinguuntur, vt gradus superior, & inferior, vel vt rationes oppositæ. Si hoc secundum dicatur, cum relationi nil aliud opponatur nisi absolutum, sequitur, personas Diuinas constitui per aliquid formaliter absolutũ: Si verò dicatur primum, sequitur etiam formale constitutiuum Diuinarum personarum esse aliquid absolutum; Et probatur; Nam gradus superior non excludit inferiorem, nisi quatenus includit alium gradum inferiorem oppositum. Vt animal non excludit rationale, nisi quatenus includit irrationale, ergo ratio formæ hyppostaticæ constituet Diuinas personas, quatenus excludit relationem, & per consequens constituet vt aliquid absolutum.

Respondet Quartò *Suar. lib. 7. de Trinitate cap. 7. conclus. 2. Et Vasquez Disp. 159.* Personam Patris, quatenus antecedit generationẽ, solùm constitui ex essentia, & innascibilitate, quæ sola potest generationem Patris antecedere.

Sed contrà est primò, quia innascibilitas est sola negatio essendi ab alio, vt nos cum S. Th. *Disp. 30. vers. 2. innascibilitatem, & Disp. 3. post principium* vidimus; sed persona generans est quid positiuum; Personalitas enim est quid positiuum, vt *Disp. 18. in secunda obseruatione* ostensum fuit, ergo prima persona, quatenus sola innascibilitate constituitur, non potest esse sufficiens principium ad generandum; Nam actiones sunt suppositorũ, sed prima Persona, vt solùm dicit innascibilitatem, seù negationem principij, non est aliquid verum, & reale suppositum, ergo neque poterit generare. Secundò, omnes Scripturæ, & Concilia, & Patres non alio nomine vocant primam Personam, quam nomine Patris, ergo opportet fateri ipsam paternitatem sub formali ratione paternitatis ipsam primam Personam in esse personali constituere.

Respondent Quinto alij Recentiores formale constitutiuum Diuinarum personarum esse Relationes nõ secundum esse ad, sed secundum entitatem earum; itaut Pater ver. gr. constituatur in esse Patris per entitatẽ paternitatis; & in signo secundo intelligatur origo actiua. In tertio verò intelligatur exercitium eiusdem ad Filium.

Sed contra est, quia sumo paternitatem consideratam secundum entitatem, & quæro; Vel illa entitas est so-

solùm absoluta, & sic Diuinæ personę constituerentur per aliquid formaliter absolutum; Vel est simùl relatiua, & si hoc dicatur, ergo dicit formalem differentiam, per quam distinguitur ab absoluta, sed hæc differentia est per esse ad, & per exercitium referendi, ergo neque hæc distinctio soluit difficultatem.

Confirmatur, Illa entitas, & forma relatiua non est in abstracto, sed in concreto, ergo habet suum effectum formalem primarium; sed hic effectus est ipsum exercitium relationis, ergo Paternitas cōstituit personam Patris non solùm quoad entitatem, sed etiā quoad actuale exercitium. Confirmatur secundo. Nam in Relatione Diuina naturam Diuinam actu afficiēte non possumus intelligere, illam esse in actu primo referendi, sed necessariò inuoluit actuale exercitium referēdi, implicat enim concipere formam actuantem subiectum, quin concipiatur effectus eius formalis, sed effectus formalis relationis est exercitium referendi, ergo &c.

Sententia Auctoris.

Pro solutione igitur huius difficultatis, sciendum est Diuinas Relationes propter suam infinitatem æquiualere relationi transcendentali, & prędicamentali nostræ; & ideò vtriusquè munus demptis imperfectionibus exercere posse; Hoc autem habet Relatio trāscendentalis, vt substantialis esse possit, veluti constat in Materia, & Forma substantiali, quæ se inuicē transcendentali respectu respiciunt. Secundò potest esse principiū constitutiuum formale, essentiale, & numericum, quemadmodum apparet in Materia, & Forma, & in hac Materia, & in hac Forma. Tertiò potest esse principiū agendi, & causandi, & potest antecedere quamcumquè causalitatem, vt in Materia, & Forma, & in potentijs ad agēdum ordinatis manifestum est. Quartò relatio transcendentalis non requirit necessariò terminum existentem. Ex opposito hoc habet relatio Prędicamentalis in actione fundata. Primò vt ipsam actionem præsupponat: Secundò non constituat suppositum agens in ratione suppositi: Tertiò prærequirat terminum existentem pro omni signo rationis, in quo ipsa existit; & ideò Correlatiua sunt simùl natura, & cognitione. Relatio igitur Diuinæ personæ claudens perfectiones Relationis trāscendentalis, & prædicamentalis naturæ secundum varios conceptus, poterit ipsam personam Patris constituere, & esse principium generandi, & post generationem referre Patrem ad Filium; Nam quatenus paternitas æquiualet Relationi transcendentali constituet personam Patris incommunicabilem, nō secus ac habitudo Formæ ad Materiam constituat Formam in esse Formę, item reddet personam Patris fœcundam; & proximè aptam generare Filium, saltèm vt conditio sine qua Pa-

ter

ter non generaret, & hac ratione ipſam Filij generationem præcedet. Hęc tria munera exercet paternitas in primò ſigno conſiderata, quatenus relationi trānſcendentali æquipollet. In ſecundo ſigno intelligimus, Patrem influere, ipſamquè Filij originem, quæ eſt ratio fundandi Paternitatem. In tertio autem ſigno concipitur eadem Paternitas in actuali exercitio referendi Patrem ad Filium: Et in hoc tertio ſigno æquiualet Relationi prædicamentalis naturæ, & hoc modo præſupponit originem, in qua fundetur, & conſequenter conſtitutionem à qua eſt origo. Atquè iuxtà hunc explicandi modum ſaluamus primò formale conſtitutiuum Diuinarum perſonarum eſſe relatiuum, quod conuincunt tot argumenta ſupra facta. Secundò explicamus, quomodo eadem relatio conſtitutiua primæ Perſonæ, & antecedat, & ſubſequatur generationem ſecundum varios reſpectus. Tertiò oſtendimus, quantæ perfectionis ſit Diuina paternitas, cum relationis prædicamentalis, & tranſcendentalis munera abſquè vlla imperfectione exerceat; licèt ipſa in ſe ſimpliciſſima quædam ſit forma.

QVÆSTIO XLI.

De Perſonis in comparatione ad actus notionales.

DISPVTATIO IL.

Actus Generandi, vel Spirandi Num neceſſarij, vel voluntarij. Agitur etiam An prius ſit ſpirare; aut velle ſpirare, generare, vel voluntas generandi.

D. Thoma Art. 2.

HAnc Quæſtionem mouet *S. Auguſtinus lib. 85. queſtionum ad Oroſium tom. 4. queſt. 7.* vbi ſic quærit *voluntate genuit Pater Filium an neceſſitate?* Cui quæſtioni reſpondet ijs verbis. *Nec voluntate, nec neceſſitate, quia neceſſitas in Deo non eſt, præire autem ſapientiæ voluntas non poteſt, quod eſt Filius; igitur prius eſt rationabiliter velle. Nam quidam noſter cum eum interrogatus hæreticus, vtrum volens, aut nolens genuit Pater Filium, laudabiliter reſpondiſſe fertur. Dic inquit & tu Hæretice. Deus Pater neceſſitate eſt Deus an voluntate. Quod ſi dixiſſet neceſſitate, ſequebatur illum grandis abſurditas. Si autem voluntate reſpondebatur illi, ergo voluntate eſt Deus non natura, & ità in laqueum quem volebat ponere, ipſe incidit, & videns ſe conuictum obmutuit.* Hactenus S. Auguſtinus, cuius ſententiæ conſona ſunt,

sunt, quæ tradidit Concilium Toletanum 11. in confessione Fidei. *Filius Dei natura est Filius, & non adoptione, quem Deus Pater, neque voluntate, neque necessitate genuisse videndum est, quia nec vlla in Deo necessitas cadit, neq; voluntas sapientiam præuenit.*

Ceterum vt hæc Sanctorũ Patrum dicta rectius intelligantur, facilique negotio ab ista quæstione, quæ non de re, sed de solo nomine inter Catholicos dumtaxat esse potest, nos expediamus, sciendum est duplicem esse necessitatem. Aliam cogentem, & violentam, quæ est ab extrinsico, aliam naturalem, & ab intrinseco, quæ est pondus naturæ ad vnum determinatæ. Filius Dei non est à Patre ex necessitate extrinseca cogente, est tamen ex necessitate naturæ Diuina intrinseca, quæ petit esse in tribus suppositis, siuè ex fœcunditate Diuini intellectus, qui sicut non potest non intelligere omne intelligibile,ità nõ potest non generare Verbum, quod sit omnis intelligibilis expressiuum. Cum igitur productio Filij sit per modum naturæ, summè necessaria est, nec vllo modo impediri potuit. Quod si posset impediri, posset Filius Dei non esse consequenter sanctiss. Trinitas posset non esse: totum igitur hoc mysterium esset contingens. At à quo contingentiam habebit? non à libera Dei voluntate, tùm quia voluntas sapientia non præuenit, quia nihil volitum, quod non fuerit præcognitum, tùm quia illa voluntas est alicuius personę, volũtas, sed in Diuinis nõ sunt alię personæ, nisi tres Pater, Filius, & Sp.S. ergo impossibile est sanctissimam Trinitatem esse contingentem, tùm quia singulæ personæ Diuinæ sunt Deus, ens summè necessarium, consequenter etiam actus notionales gignendi, & spirandi, ex quibus Diuinæ personæ habent esse, necessarij, seù naturales dicendi sunt, non necessitate extrinseca cogente, sed necessitate intrinseca naturæ impellentis, quæ non potest impediri.

Quod si quis molestè interroget. An Filium Pater volens, vel inuitus generet. Respondeo non inuitum, sed volentem generare, non quidem voluntate producẽte, aut influente in actum gignendi, cum iste actus gignẽ distinguitur ab actu intellectus, sed voluntate approbante consentiente, & complacente, quæ ob summam identitatẽ inter Intellectum, & Voluntatem concomitatur actum generationis: complacet enim sibi Pater de ista æterna Filij sui generatione ex propria substãtia, sicut in Monte Tabor testificatus est, dicens. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, & hanc ob causam Apost. ad Colloss. 1. iuxtà expositionẽ ss. Ambrosij Theodoreti, Theophilati Christi Diuinitatem via generationis communicatam appellat Regnum dilectionis suæ, *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filij dilectionis suæ*. Itaquè quemadmodum Sp.S. licèt voluntate spiratus, spiratur tamen etiam vt cogni-

gnitus, sic & Filius licèt ex fœcunditate Intellectus naturali oriatur ità tamen oritur, vt non inuitus, sed dilectus oriatur.

Atq; in hoc sensu accipienda sunt duo testimonia, quæ relatæ Doctrinæ S. Augustini, & Concilij Toletani ex diametro aduersari videntur: inquit enim Concilium Sardicense teste *S. Hylario lib. de Synodis*, hæc verba. *Similiter eos, qui dicunt, quod neque consilio, neque voluntate Pater genuit Filiũ anathematizauit sancta et Catholica Ecclesia*, cui Decreto subscripsit ibidem Hylar. *Natiuitatis autẽ in Filio* subdit *a ici perfecta natura est, vt qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio eius, & voluntate nascatur*, quæ testimonia adinuicem pugnantia ità Concilio, vt priora S. Augustini, & Concilij Toletani de Voluntate influente, & eligẽte posteriora de Voluntate cõcomitante, comprobante, & complacente loquantur. Ariani verò volentes Filium Dei esse Creaturam, asserebant Filium generari à Patre voluntate in primò sensu accepta, eo modo quo à Diuina voluntate Creaturæ emanarunt. At Catholici ad excludendum Arianismum docent Filium fuisse à Patre genitum non voluntate, sed natura: Vnde Concilium Syrminiense teste *Hylario lib. de Synodis* hæc habet. *Si quis Voluntate Dei tanquam vnum aliquid de Creatura factum dicat Filium, anathema sit*, & idem *Hylarius in 2. fol. post medium libri eiusdem. Omnibus Creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio ex impossibili, ac non data substantia perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit; Filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis & Deus est*. Sed Deus est Deus natura, non voluntate, vel si voluntate, non vt principio influente, sed vt concomitante, quia Deus vult se esse Deum, & similiter eadem concomitante voluntate Pater vult Filium suum generare, vt optimè explicat *D. Th. d. q. 41. ar. 2. in c.*

Hinc deducitur, quid dicendum sit ad illam quæstionẽ, vtrum ante actus generationis, & spirationis præcesserit in Deo voluntas gignendi Filium, aut spirandi Spiritum sanctum. Nam Scotus *in 1. dist. 6. quæst. 1.* quem secutus est *Caietanus d. quæst. 41. ar. 2. vers. circa primam conclusionem* tenet illam voluntatem antecedenter se habuisse ad generationem Filij, quamuis illud velle non sit principium generandi, sed per modum desiderij sicut cum desidero pluuiam futuram, idq; probat Caietanus, tùm quia essentialia sunt priora notionalibus ex S. Tho. *quæst. 3 art. 3 ad 1.* sed velle generare est quid essentiale, & absolutum, sicut & velle Deum, velle se ipsum, tùm quia par ratio est de processione Spir. sanc. ac de generatione Filij sed Spir. sanc. prius ratione amatur, quam oriatur, quoniam Pater amando se, Filium, & Spir. sanc. & ipsam spirationẽ, spirat Spir. sanct. ergo idem de Filio dicendum.

Ce-

Ceterum Caietanus, dum Scotum sequitur, à suo Præceptore recessit. Nam si D. Thomas hoc art. dicit hanc Voluntatem esse comitantem generationem, ergo si comitatur, non præcedit, vt clarius etiam se declarauit *quæst. 2. de potentia ar. 3. ad 2.* ijs verbis. *Generatio verò Filij neq; est creatura neq; ad creaturam significatur terminari. Vnde respectu eius non est voluntas præcedens nec tempore, nec intellectu, sed solùm voluntas concomitans*. Neque est cur Caiet. dicat loqui S. Th. de Voluntate comitante, vt principio influente. Siquidem hæc expositio voluntaria est, nec minimum habet in verbis D. Th. fundamentum; & ideò ceteri Thomistæ, vt *Capreolus in 1. d. 6. q. 1. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 11.* & alij Recentiores, vt *Molina 1. par. quæst. 41. ar. 2. Vasquez disp. 160. c. 3. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 4. Forestus Ordinis Capucinorum de Deo Trino quæst. 27. disp. 1. de actibus notionalibus cap. 5* à Caietano meritò declinarunt: cuius traditioni nos etiam assentiri minimè possumus; Primò quia voluntas, qua Pater vult Filium suum generare, non est per modum desiderij, vt supponit Caietanus. Nam desiderium est actus imperfectus, qui supponit carentiam alicuius rei, & ideò Diuinam dedecet perfectionem, & maiestatem, ergo Voluntas Patris, qua vult generare Filium, non est desiderij, sed complacentiæ, ipso sic testante. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Sed Voluntas complacentiæ supponit existentiam, & possessionem illius boni, quo Voluntas delectatur, consequenter supponit cognitionem illius, & cum Filius oriatur cognitione, & scientia Patris, inde fit, Filij generationem non posse supponere Voluntatem Patris volentis generare; sed eodem actu, quo Pater intelligit generationem esse optimum bonum delectabile, eodem etiam actu ipsum Verbum generatur, itaut prius ratione sit generare, quam Voluntas complacentiæ, quæ est de re existente, & possessa, vel saltem illa voluntas non præuenire, sed comitari illam generationem semper intelligatur.

Secundò, Si prior est voluntas generandi quam generatio, quæro à Caietano, vel illa volitio est Dei, vt Deus est, vel Patris, vt Pater est. Non primũ, quia actiones sunt suppositorũ, sed Deus vt Deus est, non est aliquot suppositum tribus Personis cõmune. Vnde sicut dici non potest, *Deus generat cap. Damnamus de sum. Trinit. & Fide Catholica*, ità dici aptè non potest, Deus vult generare, cum illius sit velle generare, cuius est actus generãdi, sed actus generandi est Patris, ergo & Voluntas generandi. Si igitur hoc secundum dicatur, corruit incessanter Caietani fundamentum, qui ideò velle generare esse generatione prius asserebat, quia absoluta sunt priora notionalibus; Atqui demonstratum modo à nobis fuit, velle generare non posse esse actum Dei, vt Deus est, quia actiones sunt suppositorum, & quia il-

lius eſt velle generare, cuius eſt actus generandi, qui eſt ſolius Patris, ergo nullo modo poteſt præcedere in Deo voluntas generandi ipſam generationem.

Tertiò voluntas, quæ eſt potentia cœca, non poteſt velle niſi præcognitum, vt etiam demonſtrat *S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 27* ergo Pater antequã vellet generare, præintelligit generationem, vt optimum bonum, illudquè voluntati repræſentat, ergo prius intelligit, quam velit generare, quia omnia intelligendo generat, aliàs illa Voluntas generandi tendiſſet in incognitum, vel ſi in cognitum, præceſſit ergo ipſum velle generare ipſe actus generationis, quæ nihil aliud eſt quam ipſa fœcunda Patris intellectio. Neque video qua ratione Caietanus ab hac rete extricare ſe poſſit, niſi dicat, ante actum volendi generare præintelligendum actum intelligendi eſſentialem, non notionalem; ſed neq; hoc reſponſum ſatis liberum reddit Caietanum, tùm ex eo, quòd intelligere eſſentiale, & notionale in Patre eſt vnus & idem actus eiuſdem Diuini Intellectus, qui prout concipitur à nobis abſque paternitate, & alijs Relationibus dicitur eſſentialis, prout coniungitur Patri, dicitur notionalis, vt Diſp 3. latiſſimè probaui, tùm ex eo, quod velle generare eſt Patris, vt dictum eſt, ergo idem Pater debet hoc obiectum præcognoſcere à ſe ipſo exequendum, ergo non præcedit intelligere eſſentiale volitionem generandi, vel actum generandi, cum eo ipſo, quo Diuinus Intellectus intelligit, eo ipſo generet, nec generatio, ſiuè dictio ab ipſa Patris intellectione in ratione intelligendi diſtinguatur, vt eadem Diſput. 3. ſimùl cum omnibus Thomiſtis dictum fuit: Ex his ergo liquidò conſtare poteſt generationem Verbi non poſſe dici voluntariam, quia dicta generatio eſt primus actus intellectus, qui omnem volitionem neceſſariò præcedit.

Quod ſi ſit ſermo de ipſa proceſſione Spir. ſanc. ipſa meritò voluntaria dici debet, quia eſt præcipuus actus Diuinæ voluntatis cum perfecta cognitione, amore, gaudio, & delectatione: nihil enim verè eſt magis voluntariũ, quam amor, gaudiũ, & delectatio. Non eſt autem hæc proceſſio voluntaria per alium actum Voluntatis præcedentem, quia daretur proceſſus in infinitum, ſed eſt voluntaria ſe ipſa, tùm vt quo, tùm vt quod, vt quo, quia eſt id, quo omnia alia diliguntur, vt quod, quia eſt obiectum præcipuo amore dilectum; Et hoc eſt diſcrimen inter creatam & Diuinam voluntatem, quia creata Voluntas vno actu vult aliquid, & alio actu reflexo vult illum actum eſſe, at Diuina volitio tàm directa, quàm reflexa eſt vnus, ac ſimpliciſſimus actus, prout ad Spiritum ſanctum, & ad ipſam proceſſionem terminatur. In quo valde differt à generatione Verbi voluntaria. Nam illa non eſt voluntaria ſe ipſa, cum ſit actus Intellectus, ſed eſt volun-

voluntaria per actum Voluntatis distinctum. At spiratio Spir. sanc. est se ipsa voluntaria, quia est primus, ac perfectissimus actus Diuinæ Voluntatis, consequenter non prior est volitio spirandi, quam spiratio, cum ipsum velle spirare sit ipsa spiratio actiua. Siquidem dum Pater, & Filius volunt Spir. sanc. spirare, volendo spirant, & spirando se diligunt, & cum sit vnus simplicissimus actus, non est ibi prius, & posterius etiam secundum rationem; cum nihil se ipsum præcedere intelligatur.

Ex his facilè respondetur ad argumenta Caietani. Ad 1. dic in Patre omne intelligere, & velle, quatenus respicit Diuinas personas, esse fœcundum, & consequenter notionale; quare illa maxima *essentialia sunt priora notionalibus* non habet locum in actibus Diuini Intellectus, & Voluntatis, acceptis in concreto, vt sunt in Patre, & Filio: Nam in Patre non potest intelligi velle, vel intelligere absolutum, quin simùl intelligatur notionale, & relatiuum, quia Pater non alio Intellectu, aut intellectione intelligit, quam Intellectu, aut intellectione essentiæ Diuinæ; quare minùs rectè supponit Caietanus, præcedere in Patre velle, aut intelligere essentiale, antequam generet, aut spiret, cum illud velle, & intelligere non tàm essentiale, quàm notionale sit, eo quia coniunctam habeat paternitatem. Quod si velit Caietanus illum actum desiderij velle generare, esse actum Dei, non Patris; præter supradicta Quæstio ista futilis redditur. Nam sicut Pater est ille, qui generat, ità de eodem Patre quærendum est. An prius ratione quam generet, habeat hunc actum, volo generare, non verò id aptè quæritur de Deo, vt Deus est, cum Deus vt Deus non generet, consequenter nec de illo mouetur Quæstio, An habeat hunc actum, volo generare.

Ad secundum nego Spir. sanc. in priori rationis amari, quam spiretur; sed eodem actu, quo amatur, etiam spiratur, cum ipsa dilectio sit spiratio, sicut amor spiratus nihil aliud est quã ipsa persona Spiritus sancti spirata.

DISPVT. L.

Num actus spirandi Spiritum sanctum dicendus sit liber, vel naturalis.

Ad Art. 2. S. Thomæ.

SOlent Scotistæ inter alias assertiones de Deo Trino, hanc etiam publicè non semel exponere. *Spiritus sanctus liberè à Patre, & Filio procedit*. Contra quos si arguas, velùti ego in Templo D. Bernardini Vrbis Aquilanæ opponebam, Liberum illud est, quod est à potentia ad vtrumlibet indifferenti, & potest esse, & non esse. At Spir. sanc. non procedit à Diuina voluntate indifferenter se habente, nec potuit non esse, cum sit Deus de Deo, ergo Spir. sanc. liberè non procedit à Patre, & Filiò. Respondent Spir. sanc. tùm liberè, tùm necessariò

sariò procedere, liberè, quia est à Voluntate, quæ libera est, necessariò, quia Spir. sanc non est ens contingens. Naturale enim inquiunt opponitur libero, non verò principium liberum opponitur necessariò: aliquot enim liberum potest necessariò agere, vt voluntas necessariò appetit vltimum finem. Quare conditio necessitatis stat simul cum perfecta libertate. Nam firmitas operationis perficit, sed necessitas importat firmitatem operationis, ergo perficit operationem liberam: Sicut non posse peccare est de perfectione Diuinæ voluntatis, & humanæ libertatis in Christo Domino.

Ne igitur aliquis nostrum in Schola Scoti minus versatus in publicis Disputationibus incautè posthac decipiatur, status controuersiæ inter Scotum, & D. Thomam ante omnia aperiendus erit, deinde ex his, quæ Schola rectiùs loquatur, iudicandum.

Est ergò sententia D. Th. *hac quæst. 41. ar. 2.* Spiritum sanc. procedere à Diuina voluntate non vt libera est, sed vt natura est, quia procedit ab illa ad vnum determinata. *Eorum igitur*, inquit, *Voluntas principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic, vel aliter esse, longè est à natura Diuina, sed hoc pertinet ad Creaturam.* Et in solutione ad 3. sic loquitur. *Spiritus autem sanctus procedit, vt amor, in quantum Deus amat se ipsum; vnde naturaliter procedit; quantumuis per modum voluntatis procedat.*

Ex opposito *Scotus in 1. dist. 10. q. 1. vers. ad 2. dub. & vers. Et si respondeas, & in Quodlibetis, quæst. 16. per totam*, conatur demonstrare, Spiritum sanctum non naturaliter, sed liberè procedere. Probat Scotus potissimum tribus argumentis. Primò quia *Aristoteles 2. Physicorum textu 49. & 9 Metaph. textu 10.* diuidit causam actiuam in naturam, & propositum, idest Voluntatē; *Eorum*, inquit, *quæ fiunt propter hoc idest, propter finē, cuiusmodi sunt omnia, quæ fiunt à per se causa. Alia quidem secundum propositum, alia verò non secundum propositum* & paulò post. *Sunt autem propter hoc quæcumque ab intellectu vtique aguntur, & quæcumque à natura.* Cum igitur Voluntas sit agens secundum propositum, non potest habere differentiam oppositam, vt dicatur agere secundum naturam, cum natura, & libertas sint primæ differentiæ agentis, vel principij agendi.

Secundò non est eadem diuisio in principium naturale, & liberum, & in principium necessariò actiuum, & contingenter. Aliquot enim naturale potest cōtingenter agere, quia potest impediri, igitur pari ratione possibile est aliquot liberum stante libertate necessariò agere.

Tertiò affert testimonium *S. Augustini in Enchiridion cap. 73.* vbi ait, *Neque enim culpanda est Voluntas, aut Voluntas non est, aut libera dicenda est, quia Beati sic esse volumus, vt esse miseri*

ri non solùm nolumus, sed nequaquam velle possimus. Sicut igitur Augustinus illam Voluntatem, qua Beatitudinem necessariò appetimus, vocat liberam, ità voluntas Patris, & Filij, qua Spir. sanc. necessariò spiratur, libera dicenda erit, non naturalis, vel natura. Confirmatur Pater, & Filius dum spirant Spir. sanc. lubentes, volentes, & delectantes spirant, ergo nō agunt secundum naturam, sed libera Voluntate.

Quartò accedat auctoritas eiusdem Angelici Doctoris *quæst. 10. de potentia art. 2. ad* ., vbi apertè docet Spiritum sanctum liberè à Patre, & Filio procedere. Nam cum sibi obiecisset hoc argumentum, quod totam hanc materiam illustrat. *Voluntas libera est, quòd ergo procedit per modum Voluntatis, procedit per modum libertatis. Si ergo Spir. sanc. procedit per modum Voluntatis, oportet quod procedat per modum libertatis. Quod autem procedit per modum libertatis, potest procedere, & non procedere, & intantum, vel non intantum procedere, quia quæ libera sunt, non sunt determinata ad vnum; ergo Pater potuit producere Spir. sanc. & nō producere, & dare ei quamcumque mensuram magnitudinis vellet; sequitur ergo quod Spir. sanc. sit ens possibile, & nō ens per se necesse esse, & sic non erit Diuinæ naturæ, quo iest hæresis Macedonianæ.* Huic postea argumento occurrit ijs verbis. *Ad quintum dicendum, quod naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, vt fælicitatem, libertati Voluntatis non repugnat, vt Augustinus ait lib. 5. cap. 10. de Ciuit. Dei. Libertas enim Voluntatis violentiæ, vel coactione opponitur. Non est autem violentia, aut coactio in hoc, quòd aliquid secundum ordinem suæ naturæ mouetur, sed magis in hoc, quod naturalis motus impeditur: Sicut cum impeditur graue, ne descendat ad medium. Vnde Voluntas liberè appetit fælicitatem, licèt necessariò appetat illam. Sic autem & Deus sua voluntate liberè amat se ipsum, licèt de necessitate amat se ipsum, & necessarium est, quod tantùm amet se ipsum, quantū bonus est, sicut tantum intelligit se ipsum, quantùm est. Liberè ergo Spiritus sanctus procedit à Patre non tamen possibiliter, sed ex necessitate. Nec possibile fuit procedere minorem Patre, sed necessarium fuit ipsum Patri esse æqualem, sicut & Filiū, qui est Verbum Patris.* Concordat ergo modus loquendi S. Thomæ cum modo loquendi Scoti, vt Spir. sanc. liberè à Patre procedat, licèt ex necessitate.

Resolutio huius difficultatis.

Pro explicatione huius difficultatis notandum est Primò Naturam quadrupliciter sumi. Primò pro essentia. Secūdò pro principio actiuo productiuo sibi simile, quomodo dicimus Patrem in Diuinis communicare Filio per intellectionem suam naturā. Tertiò dicitur natura quælibet potentia naturalis, & extensiuè quodlibet ens natu-

naturale. Sic enim dicimus naturam Voluntatis, imò extendendo ad non ens dicimus naturā negationis. Quartò Natura dicitur incommutabilis necessitas circa aliquem actum, itaut sicut natura est determinata ad vnum, ità agere naturaliter idem sit, quod agere ex necessitate intrinseca: & hoc modo aptè dicimus Spir. sanc. procedere à Voluntate, vt natura est non vt libera est.

Notandum Secundo liberum opponi coactioni, & violentiæ, quòd enim coactè fit, liberè non fit, item opponitur necessitati intrinsecæ ineuitabili. Nam quod fit liberè, potuit non esse, quod fit ex necessitate intrinseca, non potuit non esse.

Notandum Tertiò *ex Caietano d. ar. 2. vers. ad euidentiam*, quod naturale & liberum sunt distincti modi agendi, quia naturale agit determinatè ad vnum, & liberum habet potentiam ad ~~virtualiter~~. Non tamen liberum, & naturale inferunt duas potentias distinctas, vt Scotus philosophatur, sed tantum inferunt diuersos modos agendi, & ideò eidem Voluntati conuenire aptè possunt, quia sunt tantum conditio, & modus agendi diuersus eiusdem potentiæ. Nam sicut idem Intellectus prima principia intelligit sine discursu, reliqua cum discursu, ità eadem voluntas aliqua vult liberè, aliqua naturaliter, & ex necessitate; & sicut intelligere sine discursu, vel cum discursu non diuersificat Intellectum, ità eiusdem est Voluntatis aliqua velle liberè, aliqua necessariò, & naturaliter.

Ex his conabor fœdere distinctionum has duas sententias, quæ potius vocibus, quam armis pugnare videntur, inter se conciliare. Dum ergo dicitur Spir. sanc. liberè à Patre procedere si id intelligatur, quia Spir. sanc. non procedit coactè, & violenter, sed spontaneè, libentissimè, & cum infinita delectatione verum est, sed cum liberum etiam opponatur necessitati ineuitabili, ideò absolutè dici non potest Spir. sanc. liberè procedere. Priori modo locutus est *S. Thomas d. quæst. 10. de potentia ar. 2. ad 5.* non autem posteriori, imò ipse addit ità liberè spiritu. sanc. procedere, idest non coactè, vt simùl ex necessitate intrinseca procedat.

Rursus Voluntas potest dupliciter considerari, vel vt indifferens ad volendum hoc vel illud obiectum, quæ dicitur libertas specificationis, vel ad volendum, vel nolendum idem obiectum, quæ dicitur libertas exercitij; Secundò potest considerari, vt est naturaliter determinata ad aliquot obiectum, seù opus, ver. gr. ad Beatitudinem in communi, vel ad amandum Deum in patria.

Primò modo Voluntas dicitur liberum arbitrium. Secundò modo dicitur natura, quia agit ad modnm causarum naturalium, quæ in agendo sunt determinatæ ad vnum ver. gratia ignis ad calefaciendum, quare natura, vt cōtradistinguitur à libero addit

dit conditionem, & modum agendi eiusdem voluntatis. Dum ergo dicitur Spir. sanc. procedere liberè à Patre, id admitto in hoc sensu, quatenus Spirit. sanc. procedit à voluntate, quæ est principium liberum, non tamen procedit liberè, quatenus ly liberè reduplicat modum, & conditionē agendi cum indiferentia ad esse ad nō esse rei productæ: cōsequenter prçferēdus est modus loquendi scholæ Thomist. quē omnes Recentiores secuti sunt, asserentes Spir. sanc. non liberè, seù contingenter, sed naturaliter, & ex necessitate simpliciter, non autem ex sola necessitate immutabilitatis, quæ libertati haud repugnat, à Patre procedere; & per has distinctiones, & notationes supra relatas omnibus obiectis satisfacere operosum non erit.

Ad primum dic Aristotelem non diuidere distincta principia actiua nisi materialiter, formaliter verò diuidit modos agendi diuersos, qui in eadem voluntate per ordinem ad diuersa obiecta optimè coniungi possunt.

Ad secundum dic aliquot liberum posse necessariò agere materialiter sūptum, sed non formaliter, idest si agat indiferenter, & in hoc claudicat discursus.

Ad tertium vocat Augustinus liberum, idest non coactam illam voluntatem, qua nostram fœlicitatem appetimus, sed liberum opponitur tùm coactò, tùm necessariò.

Ad quartum dic S. Thomam in d. *quæst. de pot.* accepisse liberum, vt opponitur coactioni, in summa verò accepisse liberum, vt opponitur necessariò, & hac ratione loca ista non incōgruè conciliantur.

DISPVT. LI.

An Filius in Diuinis sit de substantia Patris in ratione principij materialis, vel formalis.

Ad Art. 3. S. Thomæ.

CONueniunt Catholici omnes contra Arianos, Filium esse de substantia Patris, cum sit illi consubstantialis, idest eiusdem prorsus substantiæ cum Patre. Quæ quidem Catholica assertio hac potissimū ratione aptè demonstrari potest; Omne quod ab alio trahit originem, vel illam trahit de nihilo sui, vel ex substantia præexistente, sed Filius in Diuinis non trahit originem ex nihilo, ergo ex substantia Patris. Assumptum probatur; Omne quod est ex nihilo, Creatura est, Filius non est Creatura, ergo non est ex nihilo. Vt autem Spir. sanc. sacrarum auctor litterarum declararet Filium in Diuinis non esse ex nihilo, neque esse creaturam, ideò congruenter dixit natum ex Patris vtero Psal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Pro vtero Hebraicè est *Rechem*: quæ vox fœmininæ est significationis. At quomodo fœmininum significatum Patri in Diuinis cōgrue-

re possit, difficilè intelectu est; si enim fœminæ comparabitur, mater potiùs, quam Pater erit appellandus. Nihilominus aptissima est vox ista ad significandam Filij Dei generationē. Nam in humanis generatio fit per seminis decisionem in alieno vtero, quod semen varias postea subit transmutationes, & ab imperfecto transit ad esse perfectum; vt ergo intelligeremus longè diuersam esse ab humana generationem Diuinam, quæ neque per seminis decisionem, neque per varias fit transmutationes, idcirco dictum est, æternum Patrem ex suo vtero generare, vt inde Patris, ac Matris munus eum præstare cognoscamus. Homines namque ad generandum alieno indigent vtero, in quo decisum semen recipiatur, Pater verò in Diuinis ex suo vtique vtero generat, quia alieno non eget; proindè non partem substantiæ, sed totam illi communicat; & cum idem sit vterus, quod sinus, ideò apud Ioann. dicitur, quod Filius sit in eo sinu, in quo natus est, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis*. Hac eadem phrasi semper vtitur Scriptura. Ecclesiast. 24. *Ego ex ore*, idest ex intellectu *Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar*. Quæ omnia declarant æternam Filij Dei generationem, quemadmodum, & illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Dicitur autem hodie genitus Filius, quia illius generatio semper fuit, & est, & erit per vniuersum æternitatis diem. Quod clarius explicauit Micheas cap. 5. *egressus eius ab initio à diebus æternitatis*. Ex his ergo sacrarum litterarum locutionibus validissimum cōtra Arianos sumitur argumentum. Verbum in Diuinis dicitur genitum, & Filius, sed genitum & Filius non est ex nihilo, sed de substantia Patris; Generatio enim est origo viuentis à viuente à principio coniuncto, idest ex substantia Genitoris, quemadmodum fusè Disp. sexta dictum fuit, ergo multò magis Filius in Diuinis erit de substātia Patris: quemadmodum expressè significant illa verba Symboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*. Quam veritatem præclarè etiam demonstrauit S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. vbi cum Primò probasset secundam Personam esse verum Patris Filium ex illo loco Ioānis in sua Canonica cap. 5. *Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna*; postea sic contra Hæreticos argumentatur: *Dic ergo nobis, verum iste verus Dei Filius, ab eis, qui gratia Filij sunt, quadam proprietate distinctus, de nulla substantia sit, an de aliqua, non dicam inquis de nulla; ne dicam de nihilo; ergo de aliqua substantia. Quæro de qua? si non de Patris substantia est, aliam quærere oportet. Si aliam non inuenis, Patris agnosce substantiam, & homousion, idest consubstantialem confitere.*

Hac

Hac ergo supposita Catholica veritate, duo sunt, quæ apud Scholasticos Theologos circa propositam difficultatem cõtrouertuntur. Primò quid importet illa Propositio *De substãtia*, vel *ex substãtia*; secundò An ista verba *de substantia* indicent principiũ materiale, vel formale, quod est quærere. An essentia Diuina in generatione Filij, & processione spiritus sancti se gerat per modum principij materialis, vel formalis.

Quãtum ad primam difficultatem, pro illius resolutione sciendum est ex *Alensi . par. quæst. 42. membro 2.* & ex *S. Bonauent. in 1. dist. 5. ar. 1. quæst. 2.* & reliquis Theologis illam propositionem De multigenam habere significationem: Nam vel primo denotat materiam, vt cum dicitur cultellus est de ferro: Vel secundo ordinem temporis designat, vt cum dicitur de mane fit Meridies, idest post mane erit meridies, vel de nocte fit dies, idest post noctem dies erit, vel tertio originem indicat, vt de sole radius procedit, de igne splendor; vel quartò substãtialem conuenientiam, & hoc tripliciter, Primò vt cum ista conuenientia denotetur ratio partis, vt cum dicitur Partes sunt de substantia totius. Secundò vt significet ordinem, transitum, & successionem vnius substantiæ loco alterius, vt cum dicitur de Pane fit corpus Christi consecratione. Tertiò originem, & conuenientiam substantialem, & hoc modo verificatur illa propositio Filius est de substantia Patris, quia à Patre habet originem, & est eiusdem cum illo substantiæ; ità *S. Thomas hic art. 3. ad 1.* vbi ait, *Cum Filius dicitur natus de Patre, hæc præpositio de significat principium generans cõsubstantiale. Et in 1. d. 5. quæst. 2. art. 1 ad 1.* inquit. *De dicit consubstantialitatem, & ordinem ad principium, & consubstantialitas, respicit essentiam, & ordo, ratione cuius est transitio respicit personam generantem.* Eandem interpretationem luculentius tradidit *Scotus in 1. d. 5. quæst. 2.* cuius hæc sunt verba. *Dico quod negata omni materialitate, & quasi materialitate, verè tamen Filius est de substantia Patris, sicut dicunt auctoritates inducta in littera à Magistro, vbi per ly De non tantum notatur efficientia, vel origo; si enim tantum efficientia, tunc Creaturæ essent de substantia Dei, nec notatur per illud* de *tantum consubstantialitas, quia tunc Pater esset de substãtia Filij, sed notatur simul originatio, & consubstantialitas, vel scilicet in casuali huius præpositionis* de *denotetur consubstantialitas, sic quod Filius habet eandem substantiam, & quasi formam cum Patre, de quo est originaliter, & per illud, quod construitur in genitiuo cum isto casuali notetur principium originans, ità quod totalis intellectus huius sermonis Filius est de substantia Patris sit iste. Filius est originatus à Patre, vt consubstantialis ei.* Hæc Scotus, cui ceteri omnes Theologi tàm Veteres, quàm Recentiores consentiunt.

Hinc exploditur quorumdam intel

lectus, qui, teſte *Richardo in 1. d. 5. q. 3. in fine*, explicabant iſtam propoſitionem *Filius eſt de ſubſtantia Patris* Sic, Filius eſt genitus de Patris perſona: quare nomine ſubſtantiæ primam ſubſtantiam, & perſonam Patris accipiebant; & hoc exemplo rẽ declarabant. Nam ſicut Sol ſimilitudinem ſui generat, dum ſe ipſum in aëre ſæpè multiplicat, & illa ſimilitudo dicitur genita de Sole, & à Sole, ſic Pater per Filij generationem perſonã multiplicat. Sed hæc expoſitio Primò deſtruit identitatem ſubſtantiæ, & eſſentiæ, quæ eſt in Diuinis Perſonis. Secundò Filium inæqualem Patri reddit, ſicut Sol in aëre multiplicatus multum differt à Sole in Cælo exiſtente. Tertiò duos conſtituit Spiritus ſanctos, vnum à Patre, alium à Filio procedentem. Nam ſecundum illam expoſitionem, Pater, & Filius non conuenirent in eadem Voluntate ſpirandi, nec conſtituerent vnum principium, ſed duo diuerſa: igitur Pater ſuum amorem, & Filius ſuum ſpirarent; igitur ſi ambo eandem perſonam ſpir. ſanc. ſpirant, opus eſt fateri eundem ſpir. ſanc. de eadem Voluntate, conſequenter de eadem eſſentia, & ſubſtantia procedere, igitur illa præpoſitio *de* reſpicit eſſentiam, non perſonam, & reddit hunc ſenſum, Filius eſt à Patre, eiuſdemque cum Patre eſſentiæ, & ſubſtantiæ, vt dictum eſt.

Hinc deducitur diſcrimen inter has duas præpoſitiones, *de* & *ex*; quòd præpoſitio de originem, & conſubſtãtialitatem ſimùl deſignet, vt dictum eſt. At præpoſitio ex ordinem dumtaxat principij demonſtret, non ſubſtantiæ identitatem. Sic *S. Auguſtinus lib. de natura hominis contra Manichæos cap. 26.* cuius hæc ſunt verba: *Ex ipſo non hoc ſignificat, quod de ipſo. Quod enim de ipſo eſt, poteſt dici ex ipſo: non autem omne, quod ex ipſo eſt, rectè dicitur de ipſo. Ex ipſo enim* Deo, *Cælum, & terra, quia ipſe fecit ea: non autem de ipſo, quia non de ſubſtantia ſua: ſi aliquis homo gignat filium, & faciat domum, ex ipſo filius, & ex ipſo domus; ſed filius de ipſo, domus verò de terra, & ligno, non de ipſo*. Hactenus S. Auguſtinus, cui aſſentitur *S. Thomas in 1. d. 5. quæſt. 2. art. 1. in C.* vbi ſic diſcurrit: *Hæc præpoſitio* de *propriè deſignat principium, & conſubſtantialitatem. Hæc autem præpoſitio* ex *deſignat tantum ordinem principij; vnde quidquid dicitur eſſe de aliquo, ex illo eſt, ſed non conuertitur, ſicut dicitur infra 30. diſt. Vnde hæc propoſitio* ex *quandoque notat ordinẽ temporis tantum, vt ex manè fiat dies. Quandoque ordinem principij agentis, ſicut artificiata ſunt ex Artifice. Quandoque principium materiale, vt cultellus eſt ex ferro; ſed* de *cum notet conſubſtantialitatem, ſemper notat vel principium materiale, ſicut cultellus eſt de ferro; vel agens conſubſtantiale, ſicut dicimus, quod homo filius generatur de Patre ſuo; cum ſit generatio per deciſionem ſubſtantiæ, & ſecundum iſtum modum filius dicitur de patre, et de eſſentia patris, tamen de Patre ſicut de generante, & de eſſen-*

tiā,

tia, sicut de principio generationis communicato. Hæc S. Thomas, cum quibus concordant ea, quæ docet hic art. 3. ad 2.

Ceterum hæc Doctrina difficultate non caret. Siquidem in Euangelio Matthæi primo dicitur. *Quod in eo natum est, de Spiritu sancto est.* & in Symbolo Niceno. *Et conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine;* Quibus in locis propositio *de* significare non potest consubstantialitatem, cum caro Christi de Spiritus sācti substantia esse non possit. Vnde præpositio illa *de* his locis tantummodo denotat principium agendi, non substantiæ eiusdem participationem, & hac ratione etiam Creaturæ de Deo esse, idest à Deo originem habere non minùs dici posset, quam carnem Christi efficienter esse de Spiritu sancto, idest à spiritu sancto. Nihilominus hæc procedunt, quoties præpositio *de* ponitur absolutè inter duo extrema dicendo *hoc est de illo*, tunc significat tantummodo efficientiam principij, & idem sonat illa particula *de*, ac particula *ex*. At allata ss. Augustini, & Thomæ Doctrina locū habet, quoties præpositio *de* additur genitiuo Patris, & fit aliqua determinatio dicēdo *hoc est de substantia illius*, tunc isto casu simùl cum origine consubstantialitas perpetuò consignificatur.

Quo ad secundam difficultatem, An illa præpositio *de Filius est de substantia Patris* importet principiū materiale, vel quasi materiale An verò principium formale, Theologi inter se disentiunt. Nam essentiam Diuinam in processionibus Diuinarū personarum, se habere ad instar principij materialis demptis imperfectionibus tradiderunt *Henricus Gandauensis in summa ar. 54. quæst. 3. ad 9.* Gosfredus relatus à *Scoto in 1. dist. 5. q. 2. Durandus eadem d. 5. quæst. 2. Chartus. in eadem dist. quæst. 2.* nec non *S. Thoma eadem dist. 5 quæst. 2. art. 1. in fine corporis,* cuius hæc sunt verba. *Filius dicitur de Patre, & essentia Patris, tamen de Patre, sicut de generante, & de essentia sicut de principio generationis communicato, vnde etiam accedit ad similitudinem secundum materiam, si à materia remoueantur totum, quod est imperfectionis, & remaneat hæc sola de conditionibus materiæ, quod est manens in re, & per eam res subsistat; & præcipuè res artificiata, quæ est in genere substantiæ propter suam materiam, & non propter suam formam, vt dicit Commentator,* ex quibus verbis habetur essentiam Diuinam diuinarū processionum esse quasi materiam. Quem dicendi modum tolerandum secundum quid adstruit Caietanus *hic art. 3* nec ab eo multum discordat *Greg. de Valentia 1. p. disp. 2. q. 11 puncto 3.* vbi cōcludit Diuinā essentiam secundū rem nō esse materiam, ex qua Filius gignatur. At secundū conceptus nostros inadæquatos, & cōmuniores, quos de materia habemus, vtique dici posse Filium esse de substantia Patris tanquam

de

de materia: fundamentum huius sententiæ illud esse potest, quòd sicut materia generationi præexistit, & est subiectum generationis, & manet in composito, ità Diuina essentia præexistit generationi Filij; & est quasi generationis subiectum, & manet in constitutione personæ, ergo Diuina essentia habet quandam materiæ similitudinem demptis imperfectionibus.

Verior tamen, & communior opinio Theologorum meritò negat essentiam Diuinam in diuinis processionibus se vt materiam, vel quasi materiā habere. Hanc sustinent *Alensis 1. p. quæst. 42. membro 4. art. 1. & 2. Bonauentura in primò d. 5. ar. 1. quæst. 2. Richardus, Gabriel, Scotus*, & reliqui *eadem dist. 5.* imò Scotus addit hæc verba. *Ideò tenendo cum Doctoribus antiquis, qui omnes à tempore Augustini vsquè ad istud, non sunt ausi in Diuinis nominare materiam, nec quasi materiam, cum tamen omnes concorditer dicant cum Augustino, quod Filius generatur de substantia Patris*. Verum Scotus hac in re manifestè decipitur, cum post Augustinum oppositam sententiam, vt vidimus, sectatus fuerit S. Thomas, & Henricus, quamuis idem *S. Thom. postea in summa hoc art. 3. ad 1.* se retractans neget essentiam Diuinam se habere in generatione Filij vt principium naturale, sed potius vt formale, cui consentiunt omnes expositores, necnon *Suarez lib. 6. de Trinitate cap. 6. n. 5.* Suadetur hæc sententia, tùm quia materia est essentialiter transmutabilis, & potentialitas actuabilis. At Diuina essentia est intransmutabilis, & incapax alterius formæ, cum sit purissimus actus: tùm quia sicut causa prima producit ad extra Creaturas ex nō subiecto, ità potentia prima ad intra producit, & generat ex nullo præsupposito subiecto, tùm quia Diuina essentia est terminus formalis Diuinarum processionum, cum Diuina essentia sit vera forma communicata duabus personis; ergo si Diuina essentia est terminus formalis, nequit esse principium materiale, vel quasi materiale; tùm denique, quia non obstant pro parte aduersa allata. Siquidem præsupponi ante generationem non solum conuenit materiæ, sed etiam formæ rationali in Resurectione sanctorum, & principio actiuo, ex quo oritur generatio, manere inter compositum post generationem non est solius materiæ sed formæ, quæ etiam manet in constitutione compositi, ex quo sequitur Diuinam essentiam potius esse terminum formalem, quam materialem Diuinarum processionū.

DISPVT. LII.

An potentia productiua in Deo sit sola relatio, vel essentia sola, vel vtrumque.

Ad Art. 5. S. Thomæ.

HÆc Controuersia non debet intelligi de principio proximo productiuo ad intra, quia hoc Disput. prima conclusimus fuisse Intelle-

tellectum, & Voluntatem: sed debet intelligi de principio remoto; & ita quæritur, an hoc principium sit sola essentia, vel relationes personales, vel vtrumque. Pro cuius rei resolutione sit:

Prima Propositio.

Respondeo primò, Integram potentiam productiuam ad intra in Diuinis non esse solas relationes Personales. Probatur primò ratione D.Th. Si relationes personales essent adequatum principium processionum, Filij generatio non esset vniuoca, sed æquiuoca; atque adeò non esset vera generatio, de cuius ratione est, vt genitũ assimiletur in forma generanti, sed Filius assimilatur Patri in principio formali, quod est essẽtia. Nam in relationibus dissimilantur, ergo Diuinæ relationes non erunt integrum, & totale principium Diuinarum processionum.

Secundò, In Creatis principium productiuum non est heccietas, sed forma specifica, secus Petrum Petrus gigneret, & non aliud numero distinctum indiuiduum; ergò similiter principium productiuum in Diuinis non erit relatio, quæ respondet differentiæ indiuiduali in Creatis, sed hoc principium erit essentia Diuina.

Secunda propositio.

Respondeo secundò integram, & totalem potentiam productiuam Diuinarum personarum non esse solam Diuinam essentiam. Probatur; Tùm quia producens debet esse distinctum à producto; sed essentia identificatur cum singulis Personis, ergo; tùm quia in Concilio Lateranensi relato *in cap. Damnamus de summ. Trinit. & Fide Catholica* damnatur hæc propositio: *essentia Diuina generat, vel generatur*; Tùm quia si essentia sola esset totale principium agendi, & nullo modo relationes exigerentur; vbicumque esset essentia, ibi esset forma productiua integra. Cum igitur essentia sit in tribus Personis, quælibet Persona generaret. Sit igitur firmum essentiã Diuinam esse quidem principium formale productiuum ad intra: sed tamẽ necessariò prærequirere relationes personales, vt optimè concludit *D.Thom. hac quæst. 41. art. 5.* cui assentiuntur communiter Theologi ferè omnes.

Sed difficultas est, qua necessitate, & ad quem finem exigantur relationes personales ad constituendã potentiam productiuam ad intra. *Greg. de Valentia* hic vult requiri ad hunc finem nempè vt non solùm essentia, sed etiã ipsa relatio influat in generationem Filij, & Spir. sanc. spirationem: Sed nõ placet primò, quia si relationes etiam partialiter influerent, malè S. Th. docuisset relationes requiri in obliquo ad productiones ad intra, sed æquè ac essentia in recto requirerentur. Secũdò subsistentia in Creatis non est actiua, vt patet in Christo, qui cum huma-

nas

nas omnes operationes perfectissimè habuerit, propria tamen subsistentia creata caruit. Item relatio in Creatis, omnium Philosophorum suffragante consensu, non est actiua, ergo hæc ratio conueniet subsistentiæ, vt subsistentia est, & relationi, vt relatio est, vt abstrahit à creata, & increata; atque adeò conueniet etiam subsistentijs, & relationib. Diuinis, nempè eas actiuas non esse. Consequentia probatur; Nam subsistentia, & relatio Spir. sanc. non est productiua alterius personæ, ergo neque Diuinæ relationes, & subsistentiæ relatiuæ, si dantur, erunt actiuæ. Et confirmatur, quia si relationes Patris, & Filij essent actiuę, & illa Spir. sanc. actiua non esset, minus sanè perfecta esset, quam sit relatio Patris, & Filij; Nam influere in aliud magnam sanè dicit perfectionem.

Gabr. Vasq. disp. 164. cap. 3. docet, relationes necessariò exigi ad constituendum & complendum principiũ productiuũ non solùm quod, sed etiã quo: fundamentum est, quia secus poneretur in omnibus Diuinis personis potentia generatiua, & spiratiua integra, quæ cum in aliquibus non haberet actũ suum, videretur impedita, & ligata, quod est absurdum; Quia naturalis potentia non potest impediri, nisi vel ab extrinseco, vel præter naturã, quorum neutrum Deo competere potest.

At hoc fundamentũ facilè ex eo, tollitur quod Diuina essẽtia in Patre, iam proruperit in actum gignendi per intellectum, & in Patre, & Filio in actũ spirandi per voluntatem, omnemq; vtriusquè facultatis fœcunditatem exhauserit, ideò Diuina essentia in Spiritu sancto non est alterius personę productiua, datur enim locus præuentioni.

Franciscus Suarez lib. 5. de Trinit. c. 6. docet relationes exigi ad complendam potentiam productiuam Diuinarum personarum non ex parte principij quo, vt dicebat Vasquez; sed ex parte principij quod, nempè quod generans, & spirans debet esse suppositũ, quod per relationes personales cõstituitur. Fundamentum, cui potissimum nititur, sumitur ex *Concilio Florentino sess. 18.* in qua *Ioannes Theologus* habet. Principium, quo Pater generat, esse id, quod solùm communicabile est, idest essentia sed ly solùm, excludit relationes, ergo relationes non se tenent ex parte principij quo, sed solùm ex parte principij quod. Verba eruditissimi præallegati Theologi sunt sequentia. *Dixi filium ex patre, vel ex patris substantia generari, idem significare; ità tamen vt persona sit producens, & generans. principium autem quo ipsa persona generat, sit id, quod solùm cõmunicabile est. pater ergo generationum principium est, & suppositum quoddam significat. Diuina verò substantia, quæ cum patre realiter idem est, non quidem generat, sed est principium, quo generatio fit*, & post pauca. *patris persona suppositum est, atquè generans, Diuina verò*

in natura generatiuum principium, quo Pater Filium generat. Hæc ille, ex cuius verbis duo colligere fas est. Primò relationem paternitatis constituere principium quod generatiuum, quod est persona Patris. Secundò solam Diuinam essentiam esse principium quo, consequenter relationes nec remotè, nec proximè, nec vllo modo ingredi rationem principijs quo, quod solùm est Diuina essentia. Hæc sententia est probabilis, & nos aliqua ex parte illam sequimur. Nihilominus sit.

Tertia Propositio.

Respondeo Tertio, relationes personales pertinere ad integritatē personæ productiuæ Diuinarum personarum, tùm ex parte principij quod, tùm etiam ex parte principij quo, non quidem ad influendum simùl cum essentia, vt dicebat Valentia; sed ad distinguendum terminum productum ab ipso principio quo producente; Probatur. Quia principiū quo agendi essentialiter includit distinctionem realē à termino producto, quia idem non potest seipsum producere; Vnde Aristoteles 9. *Metaphisica cap.* 17. definit *potentiam, quod sit principium agendi in alterum*. Sed hæc distinctio realis non habetur pœnes essentiam Diuinam, ergo pœnes relationes, ergo relationes ingrediuntur intimam constitutionem potentiæ productiuæ ad intra. Hoc autem fundamentum, in quo nostra cōclusio fundatur. Quod idem non possit seipsum producere, non solùm verificatur de principio quod, sed etiā de principio quo; Nam hoc principium est illud, quod immediatè influit. Quis autem dicet aliquid habere potentiam actiuam, & principium quo gignendi seipsum? Non igitur Diuina essentia esset ratio agendi, & producendi Diuinas personas (quod est esse principium quo) nisi esset modificata relatione paternitatis, & filiationis. Quare paternitas, & filiatio non solùm integrant potentiam productiuam ad intra ex parte principij quod, constituēdo supposita Patris, & Filij; sed etiam ex parte principij quo, distinguendo ipsam rationem agendi Diuinæ Essentiæ à termino producto.

Neque obstat Florentinum; Quia loquitur de Potētia, & principio quo, quod est ratio agendi, & influendi, quod solùm concedimus esse Diuinā essentiam; non autem loquitur de principio quo, quatenus hoc debet realiter distingui à termino producto; quæ distinctio per relationes personales habetur, sine quibus idem esset formale principium productiuum, & productum, quod est omninò impossibile. Ex his deducitur, quid dicendum sit ad illam quæstionem, An essentia Diuina principium proximum, vel remotum dicendum sit. Nam cum ipsa sine Diuinis relationibus nequeat in actum notionalem prodire, videbatur resoluendum, easdem relationes ad

proximum principium agendi meritò pertinere; Diuinam verò essentiam ad instar remoti principij se habere. Ceterum ex præmissis respondendum est, Diuinam essentiam esse remotum & proximum principium quo, si comparetur ad relationes. Si verò comparetur ad Intellectum, & Voluntatem dici principium remotum. Probatur, nam ipsa Diuina essentia est tota, ac integra ratio agendi, vt constat ex præallegato Ioannis Theologi testimonio, nec nō ex duobus principijs clarius colligitur, tùm quia tota ratio agendi oritur ex fœcunditate, fœcunditas oritur ex Diuina natura, tùm quia Diuinæ relationes, vt dictum est, nullo modo sunt actiuæ; sequitur ergo Diuinas relationes esse tantùmodo conditiones, sine quibus Diuina essentia non generaret, vel spiraret, sicut subsistentia in Creatis non est actiua, sed sola conditio, sine qua forma substantialis, quæ est integrum agendi principium, non ageret. Neque tamen hinc sequitur, quòd sicut in Filio est Diuina essentia, ità in eodem Filio esse potentiam proximam generandi; & in Spiritu sancto spirandi. Nam quod Filius non possit generare, vel S.S. spirare, hoc non arguit impotentiam, aut imperfectionem, sed negationē, & incapacitatem, eo quia Filius habet distinctam à Patre proprietatem; siquidem de ratione Patris est generare, & de ratione Filij est generari, quare licèt conueniant in forma, non conueniunt in proprietate; vel dic Filio non conuenire potentiam generandi proximam, quia illa fuit in Patre omnimodè exhausta, vt dictum est. Vel dic potentiam generandi in ratione agendi sumi adæquatè ab essentia Diuina, egere tamen compleri hypostasi Patris, & ex ijs duob. resultare integrum principium productiuum Diuinarum personarum.



QVÆ-

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate, & ſimilitudine Diuinarum Perſonarum ad inuicem.

DISPVTATIO LIII.

An, & quomomodo Diuinæ Perſonæ ſint inter ſe æquales.
D. Thomas ab Art. primo ad Quintum.

CErtum eſt apud omnes Catholicos Diuinas perſonas habere perfectam inter ſe ęqualitatem. Nam vt egregiè dixit S. Athanaſius in Symbolo. *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus, ſed tota tres Perſonæ coæternæ ſunt, & coæquales*; Et S. Auguſtinus lib. de Fide ad Petrum cap. 1. tom. 3. inquit. *Æqualitas intelligitur in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, in quantum nullus horum, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate, quia nec Filio, nec Spiritu ſancto quantũ ad Diuinæ naturæ vnitatẽ pertinet, aut anterior, aut maior Pater eſt, nec Filij æternitas, aut immenſitas velut anterior, aut maior Sp. S. immenſitatem æternitatemque, aut præcedere, aut excedere naturaliter poteſt*. Quam veritatem definitam habemus in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio iij. & habetur in cap. Firmiter extra de ſumma Trinitate, & Fide Catholica. *Pater à nullo, Filius à patre ſolo, ac Spir. ſanc. pariter ab vtroquè, abſquè initio, ſemper, ac ſine fine pater generans, ac filius naſcens, & ſpir. ſanc. procedens con ſubſtantiales coequales, & coomnipotentes, & coæterni*. Et in Concilio Toletano ſexto cap. 1. ſic habetur. *In hac ſancta Trinitate tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in ſingulis, quam in omnibus, nec maior in omnibus, quam in ſingulis perſonis manet*.

Ratione etiam efficaciſſima idem euincitur. Nam quorum eſt vna ſubſtantia, vna virtus, & indiuiſa operatio, ibi eſt eadem perfectionis æqualitas. At in tribus Diuinis perſonis eadem eſt eſſentia, *Ego, & pater vnum ſumus*, item eadem attributa, & indiuiſa operatio *Joannis 5. pater meus vſq; modo operatur, & ego operor, & quæcumque ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*, ergo in Diuinis perſonis eſt æqualitas.

Sed obijciebant Ariani illud Saluatoris dictum, quo confitetur Patrem ſe ipſo maiorem. *pater maior me eſt*. Reſpondeo Patrem dici maiorem Filio

lio ratione humanitatis non ratione Diuinitatis, ità *S. Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 7. Ambroſius lib. 2. de Fide cap. 4. Hylarius lib. 9. de Trinit. ad finem. Athanaſius diſput. contra Arianos*, vel dic Patrem dici maiorem ratione innaſcibilitatis, quia Filius habet Deitatem à Patre, & Pater à ſe. Sic *Cyrill. lib. 2. theſauri cap. 3. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 9. Gregorius Nazianzenus oratione 4. de Theologia. Baſilius lib. 4. contra Eunomium*, qui dicta verba à Chriſto prolata honoris cauſa ergà Patrem à quo trahit ipſe originẽ, non ad propriam imminutionem, *Honorarium ergo*, inquit, *Magis Filij ad Patrem dictum id; non imminutionem eius, qui dixit, oſtendit*.

Objiciebant ſecundò teſtimonium illud eiuſdem ſeruatoris Ioannis 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; quibus verbis ſe Patre inferiorem ore proprio confitetur. Reſpondeo id dici à Filio ad denotandam cum Patre naturæ identitatem, ſiuè ad demonſtrandam tùm in eſſendo, tùm in operando indiuiſam vnionem. Vnde protinus poſt relata verba ſubnectit: *Non poteſt filius facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem, Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*, ex quibus verbis illud theologicum axioma colligitur *Opera Trinitatis ad extra eſſe indiuiſa*. Sic *S. Auguſtinus contra ſermones Arianorum cap. 14. & 15. S. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 3. Greg. Nazianz. oratione 4. de Theologia.*

Objiciebant Tertio teſtimonium Apoſtoli 1. ad Corinth. 15. *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus*. Sed qui eſt alteri ſubiectus, æqualis illi eſſe nõ poteſt, ergo &c. Reſpondeo hanc ſubiectionem non iuxtà Diuinitatem, ſed iuxtà humanitatem aſſumptam accipiendam eſſe, non quidem in ſe ſed in corpore miſtico, cuius Fideles membra ſunt, caput autem Chriſtus, quare ſenſus Apoſtoli eſt, vt ex contextu manifeſtè colligitur, poſt Reſurrectionem vniuerſalem, ex beneficio Redemptionis, & Iudicij Vniuerſalis omnia Patri ſubiecta manebunt, tunc ipſe Filius id eſt vniuerſum Chriſti corpus Patri ſubijcietur, quia poſthac nulla erit inobedientia; nulla præuaricatio. Sic pulchrè *Auguſtinus lib. 83. quæſtionum quæſt. 69* cuius hæc ſunt verba. *Non ergo abſurdè ſic intelligimus. Tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui illi ſubiecit omnia, vt filium non ſolum caput Eccleſiæ, ſed omnes cum eo ſanctos intelligamus, qui ſunt vnum in Chriſto, vnum ſemen Abrahæ. Subiectum autem ſecundum contemplationem ſempiternæ veritatis ad obtinendũ Beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte corporis reſiſtente, vt in illa vita nemine amante propriam poteſtatem ſit Deus omnia in omnibus*. Hæc ille.

Objiciunt Alij Quarto illud Philoſophi *5. Metaphiſices texto vigeſimo* Relationum, quas communes vocant tria eſſe genera; *Identitatem, Aequalitatem,*

tatem, *Similitudinem*, identitas fundatur in substantia rei; Vnde *eadem sunt*, ait *quorum substantia est vna*. Æqualitas fundatur in quantitate. *Aequalia*, inquit, *sunt, quorum quantitas est vna, Quare secundum quantitatem aliquid æquale, vel inæquale dicitur*. Similitudo fundatur in qualitate, secundum quam aliquid simile, vel dissimile dicitur. Vnde *similia illa sunt, quorũ qualitas est vna, dissimilia, quorum qualitas est diuersa*. Atqui in Diuinis personis non est quantitas, nec qualitas, ergo in illis non est propriè æqualitas, vel similitudo. Respondeo cum S. Th. *hic art. 1. ad 1.* Aliam esse quantitatem molis, & aliam esse quantitatem virtutis: Prima reperitur in solis corporalibus, at secunda se extendit ad significandam rei perfectionem etiã in spiritualibus; Vnde forma, & perfectio dicitur quantitas, & qualitas rerum spiritualium, quemadmodum pulchrè tradidit Augustinus *lib. 7. de Trinit. cap. 7.*

DISPVT. LIV.

Diuinæ Personæ num sint inter se similes.

Ad Art. 1. S. Thomæ.

CVM Diuinæ personæ sint inter se æquales, videtur quod nõ possint esse inter se similes; Similia enim dicuntur, quæ habent eãdem formam, sed non in eodem gradu perfectionis. Æqualia verò, quæ habent eandem formam, & in eodem gradu perfectionis. Vnde Semiariani negabant in Diuinis æqualitatem, sed similitudinem admittebant. Ceterum proculdubio dicendum est Diuinas personas esse inter se similes perfecta similitudine eiusdem naturæ, Sic apertissimè *S. August. tract. 70. in Ioannẽ*, vbi expendens verba illa Saluatoris Ioann. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, sic ratiocinatur. *Non quòd ipse*, inquit, *sit Pater, & Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patri passiani, Catholica Fides damnat, sed quòd tam similes sint Pater, & Filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit: Solemus enim de similibus duobus ità loqui eis. Qui vnum illorum vident, & qualis sit alius volunt nosce, vt dicamus vidistis istum, illum vidistis. Sic ergo dictum est.* Qui me videt, videt & Patrem, *non vtique vt ipse sit Pater, qui filius, sed quod à Patris similitudine in nullo prorsus discrepet Filius. Nam nisi duo essent Pater, & Filius, non dictum esset.* Si cognouistis me, & Patrem meum cognouissetis; *Vtique enim, quia nemò*, inquit, *venit ad patrem nisi per me*, Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis, *quoniam ego, per quem venitur ad patrem, perducam vos ad eum, vt ipsum etiam cognoscatis; sed quoniam illi sum omninò simillimus, amodo cognoscetis eum, cum cognoscitis me, & vidistis me, & vidistis eum, si oculus vidis vidistis me. Quid ergo est, quod dicis Philippe.* Often de nobis Patrem, & sufficit nobis; *Et mox*

mox quomodo enim dicis inquit ostende nobis Patrem. *Si me vidisti, qui omninò simillimus sum, vidisti illum, cui similis sum. Quod si videre non potes, nō saltem credis*, quia ego in Patre, & Pater in me est? *Cur in similibus distantiā cupis cernere? Cur inseparabile separatim desideras nosce?* Hæc August.

Secundò roboratur eadem assertio ex eo, quod Filius perfectiss. Patris imago est, sed imago non est sine similitudine. Vnde S. Hylarius *lib.* 11. *de Trinitate* sic fatur. *Potens est Pater, sed si infirmus est Filius imago iam non est Potentis. Bonus est pater; sed si non diuersi generis Diuinitate Filius est, boni imaginem mali natura non reddit. Incorporeus Pater est; si Filius secundum Spiritum circumscriptus est corpore, iam incorporei non est forma corporei; inefabilis pater est; si filius sermo complectitur, extrà imaginem est innenarabilis natura narrabilis. Verus Deus pater est, si filius in Dei falsitate est, iam non est veri imago, qui falsus est.* Hæc & alia plura ibidem Hylarius.

DISPVT. LV.

Relatio æqualitatis, & similitudinis inter Diuinas personas Num realis, vel rationis.

Ad Art. 1. S. Thomæ.

HAC in re *Scotus* cum suis *in 1. dist. 31 quæst. 1. & in quodlib. quæst. 6.* opinantur has relationes esse reales. Ducuntur, quòd huiusmodi relationes in Creatis sint reales, ergo etiā in Diuinis, item quòd tria solùm requirantur ad constituendam realem relationē, nēpè extrema realia, realiterq; distincta, fundamentum reale, & quod relatio insit extremis nullo cogitante intellectu. At hæc tria hìc amplissimè concurrunt. Siquidem extrema sunt realia, & realiter distincta, scilicèt personæ Diuinæ, fundamentum est reale, scilicèt vnitas essentiæ, relatio ista inest extremis absquè ope Intellectus, quia nullo cogitante Intellectu verum erit Diuinas personas esse inter se æquales, & similes, ergo hic sunt omnia necessaria ad constituendam relationem realem. Ac tandem quia Diuinæ personæ ità se habent, vt non solùm ratione Diuinæ essentiæ, sed ratione ipsius perfectionis personalis vna alteram non excedat, ergo inter Diuinas personas est relatio æquiparantiæ realissima.

Multò tamen verior est sententia opposita *S. Thomæ hic art.* 1. *ad* 4. *& in* 1. *dist.* 31 *art.* 1. quam prius docuerant ibid *Magister, et Albertus deinde Richardus, Durandus Capreolus, Thomas de Argentina, cui subscripsere Caietanus, Nazarius, Torres, Molina in hunc articulum, Vasquez disp.* 166. *cap.* 2. 3. *&* 4 *Suarez lib.* 4. *de Trinit. cap* 15. *&* alij nō pauci. Suadetur Primò ratione *S. Thomæ hic ad* 4. quam sic propono. Si istæ relationes similitudinis, & æqualitatis essent reales, vel hanc realitatem obtinent ratione relationum, vel ratio-

ratione essentiæ Diuinę, non enim aliud est in Deo considerabile. At non sunt reales ratione relationum, quia relationes habent potius dissimilitudinem, & oppositionem in se, non similitudinem, & æqualitatē, item quia vna relatio ad aliam non refertur per aliam relationem, secus daretur processus in infinitum. Neque item istæ relationes æqualitatis, & similitudinis sunt reales ratione essentiæ, quia essentia est vna & eadem numero in tribus personis, ergo non potest fundare relationem realem, cum idem ad se ipsū relatione reali non referatur. Neque obstat Diuinas personas, quæ referuntur, esse realiter distinctas, quia referuntur relatione ista æqualitatis, quātenus in vna, & eadem numero essentia conueniunt, & sic sequitur istam esse relationem identitatis, quæ non est realis secundum omnes. Quare vt argumento Scoti occurramus, si eadem forma albedinis esset in duabus superficiebus, illæ non dicerentur similes ratione relationis realis, quæ hic non esset, sed ratione eiusdem fundamenti, vt hic.

DISPVT. LVI.

Num in Diuinis personis sit numerus propriè dictus.

D.T.q.30.art.1.ad 4.& art.3.per tot.

QVoniam æqualitati Diuinarum personarum aduersari videtur numerus, cum iuxtà communem conceptum, quem venamur ex Creaturis, tria quid maius sint quam duo, & duo quam vnum, quod tamen secus est in Diuinis, vbi tres personæ non sunt quid maius quā duæ, & duæ quam vna, & vna non est quid minus quam tres, vt docet *S. Th. d. quæst. 30. art. 1. ad 4.* vbi ait *tantus est pater, quanta est tota Trinitas.* Quę doctrina sumpta videtur ex Concilio Toletano 6. cap. 1. vbi hæc lego. *In hac autē Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat. Nec minor in singulis quam in omnibus, nec maior in omnibus quam in singulis.* Idcircò difficultas ista haud minima è sua sede consultò auulsa, hunc in locum restituenda venit: in qua *Magist. Sentent. in 1. dist. 24.* nimio timore correptus, ne Diuinarum personarum æqualitatem destrueret, veram ab essentia diuina vnitatem, nec nō ternarij numeri proprietatem ab eisdem personas abstulit. Docet siquidem terminos numerales, nempè vnum duo tria nihil in Diuinis ponere, sed tantum remouere, & excludere ea, quæ ibi non sunt, adeò vt cum dicitur *Deus est vnus*, vnitas nihil significet in Diuinis, sed dumtaxat exclusionem plurium Deorum, veluti si diceretur *Deus est, nec multi sunt, nec plures Dij.* Item cum plures esse in Diuinis personas affirmamus, tātummodo singularitatem, & solitudinem in Diuinis excludere intendimus, & nihil aliud significamus. Item cum dicitur. Pater, & Filius, & Spir. sanc. sunt tres personæ, hoc genere locutionis ter-

ternarij numeri quantitatem minimè affirmamus, sed sensus est in Deitate non tantum Patrem reperiri, aut Filium solum, nec tantum Patrem, & Filium, sed etiam Spir. sanc. & nullam aliam personam ab his distinctam. Itaque Magister numerum in Diuinis per negationem tantummodo, non per affirmationem constituere videtur. Ducebatur autem Magister illo potissimum fundamento, quod numerus sit species quantitatis, sed in Deo non est quantitas realis, ergo neque numerus realis, nisi vt remouens tantum. Verum hæc sententia falsò nititur fundamento: Nam numerus sequitur multitudinem; sed datur multitudo rerum extra genus quantitatis, ergo etiam numerus datur extra genus quantitatis; Et confirmatur. Nam ens diuiditur in vnum, & multa, sed numerus includit vnum, & multa, ergo numerus ita est transcendens, sicut transcendentale est ens.

Alij eodem moti fundamento Magistri dixerunt, numerum in Diuinis reperiri secundum propriam formam suæ speciei, sed non secundum formā sui generis, quæ est quantitas, sicut scientia est in Deo, non vt qualitas est, sed vt cognitio est. Verum hanc quoque opinionem reijcit *D. Th. quæst. 9. de Diuinis personis ar. 7. in c.* afferens discrimen inter vtrumque casum. *Sed illud*, inquit, *non est simile, vt in obijciendo est tactum. Nam omnes species quantitatis ex ratione suæ speciei habent imperfectionem: Non autem omnes species qualitatis; & propterea quantitas propriè est dispositio materiæ. Vnde omnes species quantitatis sunt mathematica quædam, quæ secundum esse non possunt separari à materia sensibili*: & post pauca. *Vnde patet, quòd nulla species quātitatis potest in rebus spiritualib. inueniri, nisi secundum metaphoram. Qualitas autem sequitur formam; vnde quæ dam qualitates sunt omninò immateriales, quæ attribui possunt reb. spiritualib.* Hæc ille.

Alij Recentiores & non pauci docent in Diuinis esse numerum impropriè, & secundum quid, at simpliciter, & absolutè non inesse. Mouentur, quòd numerus propriè, & simpliciter acceptus tres necessariò exigat conditiones. Prima quod plures vnitates, quæ numerum constituunt, sint eiusdem rationis, idest sub vna specie, vel genere vniuoco. Vnde dici aptè non potest. Homo, Lapis, Leo tres sunt, nisi addatur tres sunt substantiæ; Secunda conditio, requirit, est, quod plures illæ vnitates sint ab inuicem reali, & essentiali differentia distinctæ. Tertia vbi est numerus ibi est pars, & totum, quæ ex pluribus vnitatibus componitur. Sed in Diuinis verificari non possunt istæ tres conditiones.

Nam in Diuinis non est neque genus, neque species, estque vna numero natura in tribus subsistens, consequenter ibi nō est differentia essentialis, neque pars, neque totum, cum Diuina essentia nec minor in singulis, nec maior in omnibus, quam in singulis personis, vt dictum est, máneat.

Obser-

Obseruationes circa propositam difficultatem.

Pro resolutione huius difficultatis obseruandum primo loco est quid sit numerus. Quem *Aristoteles lib. 4. Physicorum textu 102.* definit hunc in modum. *Numerus est vnitatum multitudo vno mensurabilis*. Dicitur multitudo vnitatum, quia numerum facit rerum multitudo ad inuicem comparata. Vnde numerus re ipsa est vnum agregatióne, non realitate formæ superadditæ ipsis vnitatibus, quemadmodum multi Philosophi, & Theologi docuerunt; sed tamen minus rectè: Nam in rebus ipsis non adsunt nisi plures vnitates. Quam veritatem agnouit *Auerroes lib. 3. Phys. coment.* 68. vbi numerum aceruum vnitatum appellauit; *Et Greg. Nissenus in Historia sex dierum. Nihil aliud est,* inquit, *numerus, nisi vnitatum compositio,* & Ioannes Damascenus *in sua Logica c.* 49. numerum *vnitatum congeriem, atque coniunctionem* vocauit. Hæc autem coniunctio, & comparatio fit ope intellectus diuerso modo vnitates plures comparantis: ideò rectè subdidit Aristoteles hanc vnitatum multitudinē esse vno mensurabilem, idest habere aptitudinem, vt per actum vnius intellectus mensuretur, vnde *S. T. 1. d q. 30 ar. 1. ad* 4. inquit, *Non enim numerus absolutus à rebus numeratis est nisi in intellectu*. Quare extra Animam non est neque numerus ternarius, neque senarius, neque alius huiusmodi, sed tantum adsunt res numerabiles ab intellectu secundum varias eiusdem cōparationes. Cuius rei euidens signum est, quod eisdem vnitatibus alicuius multitudinis modo aduenit vna forma numeri, modo recedit, nulla facta in ipsis rebus mutatione, ergo numerus non est aliquid reale in rebus ipsis superadditum vnitatibus, aut modus realis supra singulas vnitates, veluti etiam pluribus comprobat *Franciscus Suarez tom. 2. metaphysicæ disp. 41. sec. 1. à num. 1. ad 5. & num.* 7. in eandem sententiam plures cumulat Doctores.

Neque obstat, quod Numerus sit vera species realis Prædicamenti, quia est realis ratione fundamēti, quæ sunt res numeratæ, vel numerabiles, non autem est realis formaliter, veluti omnia vniuersalia habent ab ope Intellectus vniuersalitatem, sed realitatem obtinent à singularibus, à quibus abstrahuntur. Neque similiter aduersatur *S. Th. dum lec. 15. lib. 7. Metaph.* docuit numerum esse vnum per se. *Dualitas,* inquit, *non erunt duæ vnitates, sed aliquid ex duabus vnitatibus cōpositum. Aliàs numerus non esset vnum per se & verè, sed per accidens, sicut quę coaceruantur.* Nam Numerus dupliciter considerari potest, vel præcisè, prout significat res numeratas, & prout habet esse extra animam. Vel secundo vt habet esse in anima comparante plures reales vnitates inter se, ex quo actu numerus recipit suā quasi

formam ſpecificam, vel ſaltem complementum. Priori modo numerus erit ens per accidens, vt aceruus lapidum, quemadmodum rationes, & auctoritates inductæ conuincunt. At ſecundo modo Numerus erit ens per ſe, & cōſtituit varias, & reales ſpecies.

Obſeruandum ſecundo loco eſt, ex *S. Tho. 1. quæſt. 30. art. 3. in C.* Numerum diuidi in duas differentias, primus dicitur materialis, & ſenſibilis; ſecundus formalis, & eſſentialis. Materialis eſt qui ex diuiſione continui reſultat, & eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, & vulgato ſermone dicitur numerus mathematicus. Formalis eſt, qui ſumitur ex diuerſis, vel oppoſitis naturis, & formis, & dicitur à Scoto eſſentialis, à Caietano traſcendens, quia ſequitur ens, quod diuiditur in vnum, & multa. Rurſus numerus, vt dictum eſt, interdum accipitur pro rebus numeratis, interdum pro actu animæ numerante, & dante illi vltimum complementum, & formalitatem.

Obſeruandum tertio loco eſt ex eodem S. Th. *l. ar 1 in C.* & latius *q. 9. de Diuinis perſonis art. 7. in fine C* quod ſicut vnum ſupra ens nō addit niſi negationem diuiſionis à quocunq; alio, ità multitudo dicit negationē indiuiſionis; multa enim illa ſunt, quæ non ſunt vnum, ſed plures continet vnitatis indiuiſas in ſe, & diuiſas à quocunque alio.

Reſolutio quæſtionis.

His ſuppoſitis duo ſunt certa, & vnū dubium. Certum eſt Primo in Diuinis non reperiri numerum materialem ſenſibilem, & mathematicum, quæ eſt certa ſpecies quantitatis diſcretæ, cum in Deo nulla ſit quantitas niſi per metaphoram, quomodo dicitur in Deo eſſe longitudo, latitudo, & profunditas. Secundò certum eſt numerum traſcendentalem, qui abſtrahit ab omni materia ſenſibili, & intelligibili, & ſequitur quodcunque ens verè, & propriè verificari de Diuinis perſonis, non ſolùm per negationem, & remotionem, vt dicebat Magiſter, ſed etiam per affirmationem.

Hæc eſt communis opinio Theologorum, & præcipuè *D Tho. d. q. 30. art. 3.* vbi *Caietanus*, & clarius *d. art. 7. in fine C. quæſt. 9. de Diuinis perſonis*, vbi ſic fatur. *Vnde concedimus, quod quantum ad id, quod ſuperaddunt eis de quibus prædicantur* (nempè vnum, & multa, quæ numerum conſtituunt) *remotiuè in Deo accipiuntur; inquantū autem includunt in ſua ſignificatione ea, de quibus dicuntur, poſitiuè accipiuntur.* Porrò hæc communis opinio probatur Primò ex Scripturis, in quibus non ſolùm habemus eſſe in Deitate Patrem, & Filium, & Spiri. ſanctum, ſed etiam eadem ſcriptura ternarium Numerum Diuinarum perſonarum memorat. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spir. ſanc. & hi tres vnum ſunt.* Secundò Probatur *ex Concilio Toletano vndecimo in profeſſione Fidei*, in qua hæc verba leguntur. *Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ vnus & ve-*

& verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur in Diuinitatis verò substantia quid enumeratum sit non comprahenditur, ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. Tertiò, accedat *Hormisda in Epist. ad Iustinianum Imperatorem aduersus Nestorium, & Eutichetem cap. 2.* vbi inter alia sic habetur. *Adoremus Patrem & Filium, & Spiritum sanctum indistinctim distinctè incomprahensibilem, et inenarrabilem substantiam Trinitatis, vbi etsi admittit numerum ratio personarum, vnitas tamen non admittit essentiæ separationem.*

Hæc testimonia, vt alia taceam, consimilia, planè conuincere videntur, numerum personarum in Diuinis verè esse admittendum, nec tantummodo per remotionem. Nam quæ Deo tribuuntur per solam remotionem, & negationem, vtique de Deo non affirmantur secundum propriam rationem, & formam, sed Scriptura, Concilia, & Pontifices absolutè tribuunt Diuinis personis numerũ, ergo forma illius positiuè debet illis inesse, & non solùm negatiuè. Postremò numerus transcendens reperitur etiam in rebus spiritualibus, teste *S. Augustino lib. 2. de libero arbitrio cap. 16* vbi ex proposito demonstrat numerũ intelligibile quid esse, & in rebus omnibus reperiri, & *Damascenus lib 3. de Fide cap. 8. Numerum*, inquit, *esse in omnibus rebus, quæ inter se differunt.* & communi sermone sumpto ex Doctrina S. Dyonisij dicimus in Angelis esse tres Hierarchias, & nouem ordines Angelorum: Si ergo inuenitur nũmerus in substantijs spiritualibus creatis, nihil repugnat, quominùs etiam de Diuinis personis idem asseratur. Hæc cùm mihi certissima videantur.

Tota dubitatio inter Theologos restringitur ad quæstionem potiùs de nomine, quàm de re. An numerus de Diuinis personis verificetur simpliciter, & propriè, An verò solùm secundum quid, & impropriè defectu differentiæ essentialis, quæ nõ inest Diuinis personis. Ceterũ hæc proprietas est numeri creati, ob suã finitatem, & limitationem, minimè verò numeri trascendentalis, sicut quod scientia sit discursiua, vel accidens, proprietas est creatæ scientiæ, non scientiæ, vt sic. Quare cum Scriptura, Patres, & Concilia sermone absoluto, & simplici numerum tribuant Diuinis personis, non possumus nos illa exponere de numero improprio, & secundum quid; cum nihil nos cogat ad istam expositionem amplectendam. Neque enim terret, quod plures sancti Patres interdum dicant in Diuinis numerum non reperiri, quia quæ differunt numero differunt essentia; sic in specie *Boetius lib. de Trinitate cap. 5. Nulla in Deo*, inquit, *diuersitas, nulla ex diuersitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque ideircò nec numerus.* Etenim S. Patres valde in eo laborabant, vt in Trinitate personarum vnam Deitatẽ

patrocinarentur, propterea in Diuinis numerum negabant, ſcilicèt eſſentiarum, non perſonarum. At ſicut cum vnitate Deitatis ſtat Trinitas perſonarum, ità cum prædictis locutionibus Patrum ſtat vera ratio numeri per Ordinem ad tres Diuinas perſonas, quæ ſanè eiuſdem ſunt ordinis Diuini, differunt ſuis relationibus, eſt in illis ratio partis, & totius abſtracti ex *S. Thoma d. quæſt. 30. art. 1. ad 4.* Nam Aritmeticus quæcunque demonſtrat de numero ternario, eadem ſuo modo de perſonis Diuinis verificantur, ergo ſunt ibi omnes tres illæ proprietates numeri, quas Theologi aduerſæ ſententiæ ſupra recenſerunt. Neque vrget, quod quæ differunt numero, differant eſſentia. Nam Ariſtoteles non dixit de ratione numeri eſſe numerare eſſentias, ſed multitudinem vnitatum dixit eſſe de definitione numeri.

Quibus etiam illud accedit, quod numerus habet ſuum eſſe per operationem animæ, vt dictum eſt, & ſolū præſupponit res numerabiles cuiuſcunque ſint ordinis, ergo propriè verificatur de Diuinis perſonis ex eodē *S. Th. d. q. 30. art. 1. ad 4* Poſtremò numerus dicit plures vnitates indiuiſas in ſe, & diuiſas à quocunque alia, conſequenter dicit negationem, ſed hoc totum propriiſſimè verificatur de Diuinis perſonis, ergo in Diuinis reperitur numerus propriè acceptus. Vndè *S. Thomas d. q. 30. art. 3. in fine C.* ſic habet. *Termini ergo numerales ſignificant in Diuinis illa, de quibus dicuntur, & ſuper hoc nil addunt niſi negationem, vt dictum eſt, & quantum ad hoc veritatem dixit Magiſter in ſententijs, vt cum dicimus, eſſentia eſt vna, vnum ſignificat eſſentiam ordinatam, cum dicimus perſona eſt vna, ſignificat perſonā indiuiſam, cum dicimus perſonæ ſunt plures, ſignificantur illæ perſonæ, & indiuiſio circa vnamquamque earum, quia de ratione multitudinis eſt, quod ex vnitatibus conſtet*. Hæc ille. Et quæſt. 9. de Diuinis perſonis art. 5. in fine C. inquit. *Cum ergo differentia cauſet numerum, relinquitur quod ſolum in Deo ſit numerus relationum*; & poſt pauca. *Numerus ergo relationum eſt numerus rerū ſubſiſtentium in Diuina natura, res autem ſubſiſtentes in Diuina natura ſunt Diuinæ perſonæ; & propter hoc ponimus perſonarum numerum in Diuinis*; Hæc ille; & eodem art. ad 14. ait. *Unde dicendum eſt, quod Pater Filius, & Sp. ſanc. ſunt tres res, vt Auguſt. dicit in lib. de Doctrina Chriſtiana, ſi tamen res pro relatiua accipiatur*. Si in Diuinis ſunt tres res, ergo tres res numerabiles, ergo numerus.

Ceterum hanc controuerſiam radicitus euellere videtur *in 1. d. 24. q. 1. ar. 2. in C.* vbi inter alia habet hæc verba; ſciendum eſt igitur, quod in Diuinis non eſt numerus ſimplex, qui eſt per diuiſionem eſſentiæ, vel quantitatis, ſed eſt numerus quidam ſcilicèt relationum, non tamen relationum exiſtentium in Deo ſecundum rationem tantum, ſed realiter in ipſo ſubſiſtentium: vnde numerus Diuinarum

narum personarum est medius inter numerum, qui est numerus simpliciter, & numerum, qui est in relatione tantum, sicut punctus dicitur multiplex secundum rationem tantum. Est enim minus de ratione numeri in numero personarum, quam in numero simpliciter, & plus quam in numero qui est secundum rationem tantum. Si autem comparemus numerum personarum ad numerum proprietatum absolutarum, qui est in Creaturis, habebunt se sicut excedentia, & excessum.

Si enim attendatur ratio distinctionis, inuenitur maior distinctio ex proprietatibus absolutis Creaturarum, quàm in Diuinis personis, quia color, & sapor distinguuntur secundum aliud & aliud esse accidentale, sed in Diuinis personis est vnum & idem esse trium personarum. Si autem consideretur perfectio distinctorum, sic numerus personarum excedit, quia relationes in Diuinis sunt subsistentes personæ. Vnde ad numerum relationum sequitur numerus personarum non autem ad numerum proprietatum in Creaturis, quia proprietates in Creaturis non sunt subsistentes, sed tantum inhærentes. Hactenus S. Th.

Ex dictis itaq; colligitur in Diuinis nõ esse numerũ, quæ est species quantitatis discretæ, nec tamen solùm esse numerum per remotionem, sed per positionem, scilicèt numerum transcendentalem demptis omnibus imperfectionibus, quæ in numero creato reperiuntur, item numerum abstractum per intellectum, cui respondent tres res numerabiles. Non tamen debemus in Diuinis numerum absolutè concedere, ne plures essentias asserere videamur, sed cum limitatione, scilicèt relationum, & personarum, de quibus numerus realiter, propriè, & simpliciter verificatur, quamuis comparatus ad numerum rerum absolutarum in ratione distinctionis excedatur, sed in ratione perfectionis distinctorum numerum absolutarum rerũ longè excedat. Verum cum numero personarum stat perfectissima æqualitas, quoniam licèt duæ personæ sint quid plus quam vnà, tamèn istud plus intelligitur extensiuè, non intensiuè, quia cum eadem sit essentia in tribus personis, eadem etiam reperitur perfectio intensiua, ex qua sola æqualitas, vel inæqualitas desumenda est.

QVÆSTIO XLIII ET POSTREMA

De Missione Diuinarum Personarum,

DISPVTATIO LVII.

Missio Diuinæ Personæ quid importet.
Ad Art. 1. & 2. S. Thomæ.

CErtum est apud omnes tàm hæreticos, quàm Catholicos vnam Diuinam personam mittiabalia. *Ad Gal. 4. Postquam venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum in Mundum*. Ioan. 5. *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea: ipsa operá, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia* Pater *misit me, & qui misit me Pater, testimonium perhibet de me*. Ioan. 7. *A me ipso non veni, sed est Deus, qui misit me, quem vos nescitis; ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit*. Personæ item Spir. sanç. missionem testatur Christus Ioann. 14. *Paraclitus autem Sp. sanc. quem mittet pater in nomine meo*. Etc. 15. *Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis*. Certum est secundò missionem vnius Diuinę personæ ab alia duo importare. Primò originem, & emanationem. Secundò effectum temporalem, ad quem persona Diuina mitti dicitur. Quare Filius non tantum dicitur à Patre missus, quia à Patre genitus, nec solùm ratione humanitatis, in qua apparuit, per communicationem idiomatum dicitur missus, sed ratione vtriusque. Sic expressè S. *Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. Non tantum*, inquit, *dicitur missus Filius, quia Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, vt caro fieret*; & infrà. *Nõ eo ipso, quod de patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, vel quod ex tempore cuiuscunque mente percipitur*. Quam veritatem non obscurè prius insinuauit Christus Dominus, dum Ioannes 16. illa verba protulit. *Exiui à patre, & veni in mundum*. Nam sicut per exitum intellexit generationem à Patre, ità ad rationem missionis exegit aliam conditionem nempè apparitionem in humana carne. Concordant in eadem re Scolastici omnes *Magister in 1. dist. 15.* vbi D. Thomas, Bonauentura, Richardus, Durandus, & reliqui.

Hinc Ariani ex nomine missionis subiectionem in Filio, dependentiam, & minoritatem inferebant, consequēter

ter eiusdem Diuinitatem demoliri conabantur hac ratione. Missus minor est mittente, mutat domicilium, & locum, ergo si Filius mittitur, minor est Patre, & à Patre discedit, consequenter non erit Deus, qui est vbique, quo argumenti genere etiam Spir. sanc. diuinitatem euertebant. Ceterum istæ sunt proprietates missionis creatæ, quæ est triplex. Primò per imperium, vt cum Rex mittit Legatum. Secundò per consilium quomodo Consiliarius dicitur mittere Regem ad bellum. Tertiò per impulsum, vt cum iaculator mittit ad Scopum sagittã. At missio Diuinę personæ est per originem; quomodo Arbor dicitur mittere flores. Sic *S. Thomas hac quæst. art. 1. ad 1.* vel dic cum S. August. *tract. 26. in Joannem* per missionem intelligi exinanitionem sui ipsius, & formæ seruilis acceptionem, quæ stare potest cum Patris æqualitate, vel dic cum eodem Augustino *lib. contra sermones Arrianorum cap 3.* Filium dici missum etiam ratione Diuinitatis, neq; tamen esse minorem Patre mittẽte, quia ità eum misit, vt ratione Diuinitatis simùl cum ipso venerit, ipso sic testante. *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Vel Quarto dic cum eodem S. Augustino *tract. 21. in Ioannem in fine* interdum etiam missum esse æqualem mittenti, imò maiorem. *Noli attendere*, inquit, *ad res humanas, vbi maior videtur, qui mittit, & minor, qui mittitur; quãquã, & ipsa res humana dicant contra testimonium velut ver. gratia, si quis vxorem velit petere, & per se non possit, amicum maiorem mittit, qui ei petat; & sunt multa, in quibus ipse maior eligitur, qui mittatur à minore.* Quod autem subnectitur ad missionem exigi loci mutationem, id verum non est in persona Diuina, quę ratione immensitatis vbique est præsens, sed loco mutationis loci adest in Diuina persona missa noua eiusdem apparitio, vel visibilis, vel inuisibilis, quamuis tota mutatio teneat se ex parte Creaturæ, non ex parte Diuinæ personæ.

Hæc duo præmissa pronuntiata cũ apud omnes Catholicos sint indubitata, vnum est, in quo inter Scolasticos discordia nõ leuis depræhenditur: Nam cum ad missionem duo requiri dixerimus originem, & manifestationẽ per effectũ temporalem, dubitant Theologi, quid missio principalius importet, originem, vel manifestationem: in qua difficultate *Franciscus Suarez lib. 12 de Trinit. cap. 1. num. 6. Gabriel Vasquez disp. 170. cap. 2.* docent missionem esse processionem Diuinæ personæ cum habitudine ad temporalem effectum, consequenter, origo primo & per se pertinet ad missionem, connotatiuè verò manifestatio. Adducitur pro hac sententia *D. Th hic ar. 1. 2. & 3.* August. *lib. 3. contra Maximinum cap.* 14. & lib. 4. de Trinit. cap. 20. S Gregorius *homil. 26. in Euang.* Beda *lib. 2. homiliarum homil. 2.* Hilarius *lib.* 8. *de Trinit.* Cyril. *lib. 8. Thesauri cap.* 5. Verum ex ijs Patribus

bus habetur solùm, missionem includere emanationem, & effectum temporalem, sed An emanatio sit principalius significatum missionis, vel illud sit manifestatio, hanc quæstionem, quæ ad scolas dumtaxat pertinet, non attigerunt. Quinimò si vis est facienda in verbis Augustini, potius colligitur effectum temporalem esse illud, quod primò attenditur in missione, materialiter verò, & præsuppositiuè emanationem inuoluere. Nam *d. lib. 4. de Trinit. cap. 20.* sic loquitur, *Non ergo eo ipso quo à Patre natus est, missus dicitur filius, sed ex eo quod apparuit in hoc Mundo Verbum caro factum est: Unde dicit exiui à Patre, & veni in mundum, vel ex eo quod ex tempore cuiusquā mente percipitur. Sicut dictum est. Mitte illum vt mecum sit, & mecum laboret*, & post pauca sic fatur. *sicut natum esse est filio à Patre esse, ità mitti est filium cognosci, quod ab illo sit. Et sicut spiritui sancto donum Dei esse, est à Patre procedere, ità mitti est cognosci, quòd ab illo procedat.* Hęc ille. Ex cuius verbis manifestè colligitur, originem præsupponi ad missionem, non tamen in origine ponendam esse totā formalitatem missionis, vel præcipuū eius significatum, sed potius in manifestatione personæ missæ, quæ eatenus dicitur mitti, quatenus ab ijs, ad quos mittitur, per effectum temporalem tali personæ appropriatum attingitur cognitione. Ratione etiam idem Doctor eandem sententiam cōfirmat huric in modum, missio inquit inuoluit exitum missi à mittente, sed in Diuinis non est alia egressio, nisi per processiones, ergo missio primo, & per se includit processionem. Verum hæc ratio infirma ex eo dignoscitur, quod missio nec ex vi nominis, nec ex natura rei necessariò præexigit exitum à mittente, sicut à principio, à quo missus originem ducat. Seruus enim mittitur à domino, à quo esse minimè recipit; igitur mittens supra missum auctoritatem quandam habere dicitur, non autem est illius causa in essendo. Quia verò in Diuinis esse non potest auctoritas respectu missi, nisi penes origine, à qua missus accipit auctoritatem, & potentiam nouo modo se constituendi alicubi, idcircò in missione origo ex quodam consequenti includitur, & connotatur. Et sanè nisi ità dicamus, difficilè captu est, quid conferat ad missionem origo missi, vt propter illā missus dicatur ad effectum temporalem toti Trinitati communem Nam si Pater filium producat, non ideò ad aliquem mittere eum dicitur, aliàs vbicunque iret Filius, diceretur eum mittere Pater. Similiter in Diuinis non sufficit origo Filij à Patre, vt missus in mundum dicatur, sed necessaria est libera voluntas mittendi, quæ cum exigat liberū decretum totius Trinitatis, non tàm Pater, quàm Spir. sanc. dici debet Filium in Mundum misisse. Si ergo hæc Filij missio pæculiari ratione Patri tribuitur, id non aliundè illi conuenit, nisi quia ipse fons est, & auctor propensionis ad communicandā

Crea-

Creatoris Deitatem, quam propensionem cum Patre alijs duabus personis ad intra communicet, ideò non incongruè illa persona dicitur mitti, quæ ab alia procedit.

Hæc verò propensionis communicatio à producente non est de ratione missionis; sed id prouenit ex conditione Diuina. Ideò originem statuo remotè solùm, præsuppositiuè, & materialiter ad rationem missionis pertinere; Formale verò missionis est finis, & terminus ad quem primò & per se ordinatur, & refertur, quæ est manifestatio temporalis. Quod etiam hac ratione efficacissima demonstratur. Illud dicitur esse forma alicuius rei, quæ dat illi denominationem, & distinguit illam à quacunque alia, sed missio Filij dicitur temporalis ab vnione hypostatica facta in tẽpore; & hæc distinguit ab alia missione Spiritus sancti, ergo &c. & confirmatur, quia in moralibus finis est id, quod primò attenditur, & dat esse formale, sed finis missionis Diuinæ est effectus temporalis, vt dictum est, ergo missio primò, & per se significat effectum temporalem, & connotatiuè, & materialiter originem. Atque sic tradiderunt veteres Theologi *Magister in 1. dist. 15. D. Thomas ibidem q. 1. ar. 2.* & eodem loco *Scotus, Bonauent. Durandus, Gabriel, Ricbar.* & alij, ex Neotericis *Ioannes Maria Zamoro tract. 10. q. 12. ar. 1. num. 6. Theodorus Forestus q. 21. cap. 1. vers. celebratum est in cõmentario pag. 647. col. 1.*

Hinc deducitur, quid propriè sit missio Diuinæ personæ. Nam omissis multis definitionibus, sic videtur aptè posse describi ex *Durando d. dist. 15. quæst. 2. missio est apparitio personæ Diuinæ procedentis in natura creata quãtum ad visionem visibilem; vel sanctificatio Creaturæ per dona appropriata personis procedentibus.*

Ceterum fœdere distinctionis vtraque opinio conciliari facilè potest: missio duplicem habet relationẽ: vnam ad eum, qui mittit, alteram ad eum, cui quis mittitur, & ad finem, ad quẽ missio ordinatur. Priori modo missio principaliter in Diuinis dicit originem; & minus principaliter effectũ temporalem? At secundo modo missio principalius dicit dona creata, & connotatiuè originem à persona.

DISPVT. LVIII.

Quibus Personis Diuinis conueniat mittere, & mitti.

D. Thomas Art. 7. & 8.

Prima Propositio.

Respondeo & dico Primò missionem passiuam solis Filio, & Spi. sanc. conuenire, Patri verò minimè. Probatur tùm quia in sacris litteris istæ duæ Personæ dumtaxat dicuntur mitti, nullibi verò Pater; tùm quia missio importat auctoritatem quandam in missum, quæ in Diuinis accipitur secundum originẽ,

sed tantummodo Filius, & Spir. sanc. trahunt originem. Pater verò est à se & innascibilis, ergo solis Filio, & Sp. sanc. conuenit mitti, non Patri. Vnde S. Augustinus *lib. contra sermones Arianorum cap.* 4. sic habet. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel à quo procedat: Et ideò non propter natura diuersitatem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter ipsam auctoritatem solùs Pater nõ dicitur missus. Non enim splendor, aut feruor ignẽ, sed ignis mittit siuè splendorem, siuè feruorem.* Hæc ille.

Secunda Propositio.

Respondeo, & dico Secundo in missione actiua Diuinarum personarũ duo considerari, auctoritatem mittentis in missum, & effectum temporalẽ, ad quem missus destinatur. Priori modo illa sola persona dicitur mittere, quæ est alterius principium, & sic Pater mittit Filium, & Filius cum Patre Spir. sanç. Ioan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a patre,* consequenter Spiritui sancto non conueniet mittere, quia ipse non est auctor alterius personæ, neque in Scripturis illi missio actiua tribuitur, sed passiua dumtaxat. At si missio actiua consideretur posteriori modo penes effectum temporalem, tunc tota Trinitas dicitur mittere, idest velle, & operari illum effectum, quia opera Trinitatis ad extrà sunt indiuisa. ita *D. Thomas hac quæst. art.* 8. *in fine C.* & latius *Opusculo* 1. *contra errores Græcorũ cap.* 14. Hac distinctione conciliantur nonnulla sanctorum Patrum testimonia, quæ mutuò inter se pugnare videntur. Aliqui enim docent illam personam mitti ab ea, à qua procedit. Sic omnes illi præcedenti disputatione in priori opinione allegati.

Alij tradiderunt etiam Filium mitti à Spir sanc. & à se ipso. Sic fusissimè Hyginius Papa *Epis. 1. ad omnes Christi fideles* S. Ambrosius *lib. 3. de sp. sanc. cap.* 1. S. August. *lib. 2. de Trinitate cap.* 5. Concilium Toletanum 11. *in professione Fidei,* cuius hæc sunt verba; *Missus tamen Filius non solùm à Patre, sed & à spiritu sancto missus esse credendus est in eo quod per prophetam dicit, & nunc Dominus misit me, & spiritus eius Isaiæ 58. A se ipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solùm voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.* Ex ijs verbis dignoscitur istos Patres locutos fuisse de missione Filij, vt respicit effectũ creatum, nempè vnionem Verbi cum humana natura. Priores verò considerasse missionem præcisè, vt respicit mittentis auctoritatem: Et sic omnia concordant multo sanè aptius; quam si cum alijs dicamus, Priores Patres accepisse missionem propriè, posteriores verò in minus propria significatione. Hinc deducitur discrimen inter hæc verba *dandi, donandi, veniendi, & mittendi:* Nam nomen missionis, vt dicit respectum ad mittentem notionale est; Non enim aptè dicitur

quem

quem mittere se ipsum. At reliqua nomina essentialia sunt, & communia omnibus Diuinis personis, & præsertim nomen veniendi. *Ioan. 14. Ad eum venitemus, & mansionem apud eum faciemus*. Item nomen dandi, & donandi, & ratio est, quia hæc nomina non includunt respectum realem ad donantem re distinctum à dono, vel donatione: Potest enim quis donare se ipsum, quemadmodum in sanctificatione animæ Spiritus sanctus se ipsum donat, & non tantum dona creata, vt sequenti disputatione clarius constabit.

Hinc secundo deducitur, quamuis ministerio Sacerdotum, & Episcoporum datus hominibus Spiritus sanctus interdum dicatur, non tamen sequitur Spiritum sanctum ad nos per Sacerdotes, vel per Episcopum missum, quia Episcopi, & Sacerdotes cōferunt Spir. sanc. non propria auctoritate, sed Diuina institutione.

At qui mittunt aliquem ad aliquot munus obeundum propria auctoritate, & per se, ac directè id efficiunt.



DISPVT. LIX.

De inuisibili missione Diuinarum personarum, quomodo fiat, & vtrum in sanctificatione animæ ipsa persona Spiritus sancti verè, et realiter iustis detur. An verò solum per dona creata.

Ad Art. 3. & 6. D. Thomæ.

Prima Propositio.

Respondeo, & dico Primo inuisibilem Diuinarum missionem personarum primò, & per se fieri per gratiam sanctificātem, ratione cuius Diuinæ personæ incipiunt nouo modo inexistere in anima iusti. Hæc assertio certa est apud omnes Theologos, & eam docet S. Th. hic *ar. 3. & 6.* cum omnibus expositoribus, & reliqui Scolastici *in 1. dist. 14. & 15.* Colligitur ex pluribus Scripturæ locis. Sapientiæ 7. *Sapientia in animas Sanctas se transfert, & amicos Dei, & Sanctos constituit*. Ioan. 14 *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Ad Rom. 9. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis*. Sap. 1 *In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Ad Galatas 4. *Quoniam autē estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater*. Ioan. 17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu*

Pater in me, et ego in te, vt et ipsi in nobis vnum sint. Ex ijs testimonijs apertè colligitur, omnes Diuinas personas mitti ad animam Iusti, in qua vt in Templo inhabitare dicuntur: & ex loco postremo *Ioan.* 17. habetur, quod sicut in Diuinis Pater est in Filio, & in Spir. sanc. & Filius in Patre, & Sp. sanc. & è conuerso ratione eiusdem essentiæ, quam circuminsessionem Theologi vocant, ità ratione gratiæ gratum facientis omnes tres Diuinæ personæ sunt in Anima Iusti; & hæc in illis per quãdam colligationem, vnionem, & intimam præsentiã, ad eundem ferè modum, quo Diuinæ personæ sunt inter se vnum ex identitate Diuinæ essentiæ, ratione cuius vna in alia inexistere dicitur.

Hinc deducitur Primo per dona naturalia non dici mitti tres Diuinas personas, veluti insulsè scriptum reliquit *Durandus in 1. dist. 15. quæst. 3.* cuius sententia omnium Theologorũ votis aduersatur; triplicique ratione improbatur. Primò, quia per naturalia dona Deus in ijs esse dicitur per præsentiam, potentiam, & essentiam, sed ad missionem requiritur, vt Deus nouo modo incipiat esse, & quidem supernaturali, in quo prius non esset. Secundò missio datur ad fruendum, & possidendũ Deum, sed per dona naturalia homo non fruitur Deo, neq; illum possidet, sed solum per dona gratũfacientia. Tertiò sicut processiones ad intrà fuerunt causa egressus Creaturarum à Deo per creationem, ità per easdem processiones, & missiones Diuinarum personarum ad extrà ad Creaturas rationales, ad idem principium, à quo processerunt, regrediuntur per cognitionem, & amorem supernaturalem.

Secundò deducitur missionem Diuinarum personarum non fieri ad eos, qui habent Fidem informẽ, quidquid dicat Caietanus *hic art.* 3. Nam cum isti sint Dei hostes, Deus non dicitur in eis habitare, iuxtà illud Sapientiæ 1. *In Animam maleuolam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subiecto peccatis.*

Tertiò deducitur Diuinas personas dari, & mitti ad Angelos, & Sanctos in Gloria tùm ratione illustrationum, quæ sunt illis debitæ ratione status: ità *D. Th. h. c. art. 6 ad 3.* illabitur enim Deus Beatis mira quadam, & inefabili ratione, imò in hoc illapsu formalem Beatitudinem consistere nonnulli Theologi opinantur.

Quartò deducitur missionem Spiritus sancti non propriè fieri ad eos, qui recipiunt gratias gratis datas, prophetiam, gratiam linguarum, & miraculorum, nisi simul habeant gratiam sanctificantem, quæ est radix, & fundamentum inhabitationis Spir. sanc. in nobis. Nam licèt recipientes gratias gratis datas dicantur accipere Sp. sanc. sicut de ijs, qui recipiunt potestatem absoluendi dicitur. *Accipite Spir. sanc. quorum remiseritis peccata*, non tamen aptè quis diceret mitti ad eos Spiritum sanctum. Ratio est, quia Spir.

Spir sanc. non dicitur esse in illis, vt cognitum in cognoscente, & vt amatum in amante, vt tradit *S. Th. art. 3. in C.* cum isti possint esse in lethali, eo vel maximè quod ista missio ordinatur ad possidendum, & fruendũ Deo, sed per gratias gratis datas sine sanctificante homo nec fruitur, nec possidet Deum.

Quintò deducitur Diuinas personas mitti ad eos, quibus datur gratiæ augmentum; quemadmodum Spir. sanc. ad Apostolos missus dicitur, quã-uis iam haberent gratiam sanctificantem, sed ratione huius missionis copiosiorem receperunt: Et in hoc sensu est accipiendus locus ille Ioannis 7. *Nundum spiritus erat datus, quia nundum Iesus erat clarificatus*; vnde *D. Th. d. art. 6. ad 2.* videtur ad missionem exigere augmentum notabile, vt cum quis proficit in aliquem nouũ actum, vel ex feruore Charitatis exponit se Martyrio, vel arduum opus aliquot agreditur. Verùm auctoritas Augustini *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* ab eodem D. Th. inducta loquitur de quocunq; augmento, & profectu. Sic enim habet. *Tunc cuiquam mittitur Filius, cùm à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ Animæ rationalis in Deo.*

Nec repugnat S. D. qui vsus est illa voce *præcipuè*, vt significaret missionem fieri ad omnes, quibus augetur gratia, sed præcipuè ad eos, quibus in eminentiori gradu confertur. Ratio etiam suffragatur, quia omnes gradus gratiæ sunt eiusdem rationis naturæ, & proprietatis, consequenter omnes suaptè natura constituunt Deum præsentem illi supposito, in quo reperiuntur, quare quò augetur gratia, eò etiam hæc Diuina præsentia in Anima Iusti perfectius ampliatur, & radicatur.

Secunda Propositio.

Respondeo & dico secundò in sanctificatione Animæ non solùm ad nos mitti Spiritum sanctum in dono creato, sed etiam in persona. Hæc cõclusio est communis omnium Theologorum in *1. dist. 14. & 15.* & ita certa, vt oppositum erroris labe notetur à *D. Th. hic art. 3. in 1. argumento iuncta eius solutione*, cui traditioni Expositores omnes subscripsere, quibus addimus Belarminum *lib. 2. de Christo cap. 22.* Toletum *in cap. 15. Ioannis*, Chrisalduin *in v. Spiritus sanctus* §. 13, vbi docet oppositum esse apertam hæresim. Colligitur hæc veritas ex præallegatis Scripturæ testimonijs. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; & infrà: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Ioannis 4. *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet,*

& Deus in eo, 1. ad Corinth. 6. *An nescitis, quia membra vestra Templum sunt spir. sanc. qui in vobis est, quem habetis a Deo*; sed præ ceteris insignis est locus ille ad Rom. 5. *Diffusa est gratia in cordibus nostris per spir. sanc. qui datus est nobis*. Quibus verbis Apostolus distinxit inter donum gratiæ, & donum eiusdem personæ Sp. sanc. Vnde S. Augustinus *ser. 13. de verbis Domini* sic loquitur. *A quo datur? Ab illo, qui dedit dona hominibus. Quæ dona? spiritum sanctum. Qui tale donum dat, qualis est ipse. Magna est misericordia eius: Donum dat sibi æquale, quia donũ eius spiritus sanctus est*. Eandem veritatem tradidit idem Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* S. Leo *ser. 2. Pentecostes.* S. Ambrosius *lib. 1. de spir. sanc. cap.* 4. S. Cyrillus *lib. 12. Thesauri cap. 15.* S. Basilius *lib. 5. contra Eunomium cap. 5.* S. Chrisostomus *in cap. 5. ad Romanos* in illa verba, *Diffusa est gratia in cordibus nostris*.

Ratione etiam Theologica eadem assertio demonstratur. Nam inter Deum & hominem, per gratiam sanctificantem contrahitur perfectissima quædam amicitia, sed perfectissima amicitia postulat nõ solùm conformitatem affectuum, sed realem præsentiam, & vnionem intimam; ergo habenti gratiam sanctificantem proprio quodã iure Diuina præsentia debetur, adeout si per impossibile Deus ratione suæ immensitatis non esset vbique, sed solùm intrà Cælos, vt falsò Tullius opinabatur, se præsentem constitueret ijs omnibus, qui habituali gratia gratum faciente ornati essent. Sicut enim vnio hypostatica humanitatis cum Diuino Verbo natura sua postulat intimam Verbi præsentiam, quia non potest intelligi vnio substantialis sine præsentia extremorum, ità dona ista supernaturalia, in quibus Diuina amicitia fundatur, eandem Diuinarum personarum missionem, & pręsentiam realem iure quodam perfectissimæ amicitiæ postulare videntur. Vnde D. Dionysius *de Diuinis nominibus cap. 4. Amoris Verbum*, inquit, *vim habet faciendi vnum, & colligandi, præstantiq; modo res intrà se miscendi, quæ in pulcro, & bono pulchri, & boni causa manet, continetq; paria communi inter se coniunctione, & superiora ad inferiorum procurationem impellit, inferioraq; cum superioribus conuersione corroborat*. Hæc ille, cui traditioni subscripsit S. Augustinus *lib. 8. de Trinitate cap. 10. Quid est*, inquit, *Amor, nisi quędam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicèt, & quod amatur*. Ad hanc rationem reducitur illa S. Th. *hic art. 3. in C.* vbi tradit pręter illos tres modos, quibus Deus dicitur esse in rebus per præsentiam, potentiam, & essentiam, dari aliud quartum genus, quo Deus est in Anima, vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Non enim loquitur S. D. de quacunque cognitione, & amore etiam in obiectum distans, sed loquitur de cognitione, & amore simùl perfectissimæ amicitiæ, quæ, vt dictum

dictum est, vnionem, & præsentiam amati obiecti, necessariò expostulat.

Tertia Propositio.

Respondeo, & dico tertiò quamuis in sanctificatione animæ tota Triades sanctissima ad nos venire dicatur tùm ratione indiuisæ operationis, tùm in ratione obiecti dilecti, vt dictum est, Vnde de omnib. tribus personis scriptum est *Veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, tamèn per quandam ap propriationem dico interdũ mitti Sp. sanc. quãdoq; Filium, interdum coniunctim vtramq; personam. Explicatur conclusio. Nam vel in Anima infunduntur habitus cognoscitiui, vt Fides, scientia, & tunc nulla persona mittitur, tùm quia deficit fundamen tum amicitiæ, quæ desumitur ex gratia sanctificante, tùm quia isti habitus non referunt Filium, cui appropriatur sciẽtia, Filius siquidem non est qualecumque Verbum, sed Verbum spirans amorem. Vnde *s. August. lib. 9. de Trinit. cap. 10.* inquit, *Verbum, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est*. igitur Filius non in quacunque supernaturali cognitione dicitur mitti, sed in ea sola, quæ mouet affectũ. Vnde idem *s. August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. tunc inuisibiliter*, inquit, *Filius cuiquam mittitur, cum à quoquã cognoscitur, ac percipitur*, scilicèt per experimentalem, & affectuosam notitiam. Vel secundo infunduntur Animæ habitus prorsus affectiui, & tunc mitti dicitur Spir. sanc. quia illi habitus originem Spir. sanc. quę est per amorem repræsentant, & ità quædã illius sunt manifestatio. Vel tertio infunduntur Animæ dona intellectus; sapientiæ, & consilij, quæ ita instruunt, & illuminant Intellectum, vt accendant affectum, & tunc dicitur mitti Filius, quia nos per hæc dona ducit in notitiam propriæ originis per Intellectũ. His tamen non obstantibus in omni missione, in qua mittitur Filius, mittitur etiam Spiritus sanctus, & in omni missione, in qua mittitur Spiritus sanctus, mittitur etiam Filius. Ratio est, quia Amor, in quo Spir. sanc. repræsentatur, sequitur notitiam affectiuã Filio appropriatam, & perfecta notitia, in qua refertur Filius, & mittitur, inclinat, & inducit amorem, vt dictũ est, ex quibus sequitur in omni iustificatione, vel gratię augmento vtranque personam simùl & coniunctim mitti, veluti etiam colligi videtur ex illo testimonio Ioannis cap. 16. *Cum venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem*. siquidem in missione spir. sanc. ostendit futuram in Apostolis inflamationem Diuini amoris, in promissione, quod omnem veritatem docebit, supponit coniunctam Filij, cuius proprium est docere, missionem inseparabilem.

* *

DIS-

DISPVTAT. LX. & Postrema.

De Missionibus Spiritus sancti visibilibus.

Ad Art. 7. s. Thomæ.

QVamuis in veteri Lege Diuinas Personas sæpè apparuisse legamus veluti pluribus demonstrat s. Augustinus *lib. 7. de Trinit. à cap. 7.* vbi dicit, ***Valdè temerarium esse docere, Deum nūquam Patribus, aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse.*** Nihilominus spiritum sanctum, vel aliam Diuinam personam visibili forma missum esse ad Patres, aut Prophetas veteris Legis nusquam legitur; imò oppositum his verbis traditur Ioa. 7. *Nundum Spiritus erat datus*, idest missus visibiliter, *quia Iesus nundum erat clarificatus*. Ad Patres autem veteris Testamenti, inquit, sanctus Thomas dict. artic. 7. ad 6. *Missio visibilis spir. sanc. fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis Filij quam spir. sanc. cum spir. sanc. manifestet Filium, sicut Filius Patrem*; Ex quo fit omnem missionem esse quidem apparitionem, sed non omnem Diuinæ personæ apparitioné esse missionem, Plura enim ad missionem, quàm ad apparitionem requiruntur: siquidem ad apparitionem sufficit, si Diuina persona sub aliquo signo sensibili sese quomodolibet notificandam præbeat, etiam absque vlla gratiæ infusione ijs facta, quibus apparere dicebatur, etiam ignota eius origine. At ad missionem visibilem ex communi Theologorum consensu tria requiruntur, manifestatio originis personæ missæ, donum gratum faciens in eo, ad quem mittitur, & signū sensibile exterius, quò tùm eiusdem emanatio, tùm inhabitatio in eo, ad quem mittitur, speciali nota designetur. Itaque missio visibilis sic propriè describi debet. Missio visibilis est apparitio Diuinæ personæ sub aliquo sensibili signo eidem appropriato, quò tùm eiusdem emanatio, tùm eiusdem inhabitatio per eximiam, & redundantem sanctitatem in eò, ad quem mittitur, non obscurè repræsentetur. Dicitur apparitio loco generis, quod pluribus conuenit quam missionibus, vt dictum est, dicitur Diuinæ personæ ad distinctionem missionis humanæ, vel Angelicæ, dicitur in signo aliquo sensibili ad distinctionem intellectualis, vel imaginariæ apparitionis factæ Patriarchis, vel Prophetis; vnde omnes sp. sanc. missiones, & apparitiones in noua Lege, quas infrà referam, non fuerunt imaginariæ, sed reales, & sensibiles; Dicitur eidem personæ Diuinæ, quæ mittitur, appropriato. Nam licèt illa Creatura exterior effectiuè sit à tota Trinitate ministerio Angelorum, tamen repræsentatiuè ità conuenit illi personæ, vt alteri non conueniat; ex quo fit missiones visibiles, quas in scriptu-

ptura de tertia persona legimus, non esse ad instar missionum inuisibilium, per gratiam sanctificantem, in quibus mittitur Spirit. sanct. cum Filio, & cum ijs venit etiam Pater, vt præcedenti Disputatione dictum fuit, quidquid oppositum minus rectè scriptum reliquerit *Antonius de Corduba dicta quæstione 41.* Siquidem repræsentari per tale signum assumptum ex imperio totius Trinitatis non est opus ad extra, sed denominatio extrinseca potius ad vnam personam, quam ad aliam, cuius proprietates repræsentat; & ideò in die Pentecostes ità venit visibili forma Spir. sanc. ex communi sensu totius Ecclesiæ, vt non nisi falsò, vel temerè visibiliter tunc etiam missum Filium asseuerare quis posset. Dicitur demum hoc signo appropriatò denotari originem personæ missæ, vnde non repræsentatur vt operans, sed vt emanans actione immanenti, quod est illi proprium; eodem item signo repræsentatur personam missā inhabitare in eo, ad quem mittitur, vel per gratiæ infusionem, & augmētum, vt in Apostolis, vel ad plenitudinem sanctificationis testandam, vt in Christo, cuius anima nōn erat capax augmenti gratiæ. Hæc tamen inhabitatio Spir. sanc. per gratiam non debet esse communi, & consueto modo, quo in omnibus Iustis per gratiam inest, sed debet intelligi hæc inhabitatio per gratiam insignē, & in alios redundantem, qualis fuit in Christo, & Apostolis, vel initio Euangelicæ prædicationis in ijs, qui per manuum impositionem Apostolorum recipiebant Spir. sanc. visibili flamma, vel igneis linguis super capita eorum apparentem, vt colligi videtur ex *1. Petri 11. Cecidit Spir. sanc. super eos, sicut & in nos in initio.* Porrò præter missionem & apparitionem Spir. sanc. iam commemoratam plures aliæ leguntur, quę ad quatuor reducuntur. Prima fuit in specie colūbæ in Christi baptismo. Secunda in nube in Monte Tabor in Christi transfiguratione. Siquidem nubes illa lucida Spiritum sanctum repræsentabat, vt auctor est Augustinus *Epist. 102. ad Euodium, & S. Thomas 3. p. q. 45. art. 4. ad 2.* & hac quæst *ar. 7. ad 6.* De qua nube Ecclesia in officio transfigurationis sic canit. *In splendenti nube Spir. sanc. visus est.* Tertia fuit in flatu Christi, qui *insufflauit, & aixit Accipite Spir. sanc. quorum remiseritis peccata, &c.* Quarta fuit in die Pentecostes. Duæ priores missiones factæ sunt ad Christi Diuinitatem testandam. Nam in fœcunditate Columbæ, plenitudo gratiæ per Christū Fidelibus communicanda, per nubem lucidam plenitudo Gloriæ Christi à suis membris participanda designabatur. Duæ aliæ ad Apostolos destinatæ; vna in die Resurrectionis sub exteriori signo flatus, vt sicut in Creatione hominis Deus insufflando inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, ità illo Christi flatu ostenderetur, Spiritum sanctum in die Resurrectionis dari ad restituēdam eis vitam spiritualem

tem per peccatum amissam, quemadmodum rectè notauit *Basilius lib. de Spir. sanc. cap. 10. & S. Cyrillus lib. 12 in Ioan. cap. 56.* Secundò fuit Apostolis collatus spir. sanc. sub forma flatus, vt sicut flatus à pectore, & ore emanat, ità propria eiusdem origo à Patre, & Filio demonstretur. Sic *S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20.* Tertio in specie flatus datus est eis spiritus sanctus, vt per hoc significaretur, auctoritatem remittendi peccata, quam tunc Apostoli recipiebant, non nisi ex influxu capitis, qui est Christus, deuenisse. Quartò moriendo Christus emisit spiritum, & post Resurrectionem in Apostolos emisit spiritum, dum illi potestatem concessit remittendi peccata, vt remissionem peccatorum morte Christi nobis concessam intelligeremus. At in die Pentecostes datus est spir. sanc. sub signo ingentis soni linguarum, & ignis, quasi ad excitandos homines, vt media Apostolorum Prędicatione ad agnitionem veri Dei per Fidem, & amorem venirent, tùm ob alios non paucos fines, quos tùm sacrarum litterarum expositores, tùm Concionatores pluribus prosequútur, ab instituto scolastico prorsus alienos: Illud tamen valde obseruandum est à Theologo, formas istas visibiles, sub quibus spir. sanc. apparuisse dictus est, non fuisse illi hypostaticè vnitas, quemadmodum falsò opinatus fuit de Columba Baptismi *Tertullianus lib. de carne cap. 3.* cuius oppositum docuit *S. Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 6.* ijs verbis. *Non ergo sic est assumpta Creatura, in qua apparuit sp. sanc. sicut assumpta est caro illa, & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim Columbam beatificauit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem sibiq; & personæ suæ in vnitatem habitumq; coniunxit æternũ.* Cur autem Filius missus sit in Mundum per vnionem hypostaticam, non item Spiritus sanctus, huius diuersitatis optimã sanè rationem tradidit D. Thomas *hic art. 7. ad 4.* ijs verbis. *Dicendum quod personã Filij declarari oportuit vt sanctificationis auctorem, vt dictum est, & ideò oportuit, quod missio visibilis Filij fieret secundum naturam rationalem, cui us est agere, & cui potest competere sanctificari. Inditium autem sactificationis esse potuit quæcumq; alia Creatura. Neq; oportuit, quod Creatura visibilis ad hoc formata esset assumpta à Spir. sanc. in vnitatem personæ, cum nõ assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum; & propter hoc etiã non oportuit, quod duraret, nisi quamdiu perageret officium suum.* Hæc ille.

Conclusio Tractatus.

Quæ multa dixi, vtar verbis B. August. lib. 15. de Trinit. cap. vltimo, *nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate dignũ me dixisse audeo profiteri, sed confiteri potius mirificam scientiam, cuius ex me inualuisse, nec posse me ad illam. Librum itaque istum*, subdit post pauca *iam tandem aliquando precatione melius quam disputatione concludam.*

Domi-

Domine Deus noster, credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Neque enim diceret veritas, Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nisi Trinitas esses. Nec baptizari nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce diuina, Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est: nisi Trinitas ita esses, vt vnus dominus Deus esses. Etsi tu Deus Pater ipse esses, & Filius Verbum tuum Jesus Christus ipse esses, & donum vestrum Spiritus sanctus, non legeremus in litteris veritatis, Misit Deus Filiũ suum. Nec tu, o Vnigenite, diceres de Spiritu sancto, Quem mittet Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à Patre. Ad hanc regulam Fidei dirigens intentionem meam quantum potui, quantum me posse fecisti, quæsiui te, & desideraui intellectu videre quod credidi, & multum disputaui, & laboraui. Domine Deus meus, vna spes mea, exaudi me ne fatigatus nolim te quærere, sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inuenire te fecisti, & magis magisque inueniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas, & infirmitas mea. Illam serua, istam sana. Coram te est scientia, & ignorantia mea. Vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem. Vbi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrũ. Scio scriptum esse, In multiloquio non effugietur peccatum: Sed vtinam prædicando Verbum tuum, & laudando te tantummodo loquerer: non solum fugerem peccatum, sed meritum bonum acquirerem, quantumlibet multum sic loquerer: Neque enim homo de te beatus, præceptũ præciperet germano in filio suo, cui scripsit dicens, Prædica verbum, insta opportunè, importunè. Nunquid dicendum est istum non multum locutum, qui non solùm opportunè, verumetiam importunè verbum tuum Domine non tacebat? ideò non erat malum, quia tantum erat necessarium. Libera me à multiloquio quod patior intus in anima mea misera in conspectu tuo, & confugientem ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Etsi quidem non cogitarem, nisi quod placeret tibi, non vtique rogarem, vt me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti, cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, Vt aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine iam vocatur, Multa, inquit, dicimus, & non peruenimus, & consummatio sermonum vniuersa est ipse. Cum ergo peruenicmus ad te, cessabunt multa ista, quæ dicimus, & non peruenimus, manebis vnus omnia in omnibus: & sine fine dicemus vnum, laudantes te in vnum, & in te facti etiam nos vnum. Domine

De-

Pater in me, et ego in te, vt et ipsi in nobis vnum sint. Ex ijs testimonijs apertè colligitur, omnes Diuinas personas mitti ad animam Iusti, in qua vt in Templo inhabitare dicuntur: & ex loco postremo *Ioan. 17.* habetur, quod sicut in Diuinis Pater est in Filio, & in Spir. sanc. & Filius in Patre, & Sp. sanc. & è conuerso ratione eiusdem essentiæ, quam circuminsessionem Theologi vocant, ità ratione gratiæ gratum facientis omnes tres Diuinæ personæ sunt in Anima Iusti, & hæc in illis per quandam colligationem, vnionem, & intimam præsentiã, ad eum ferè modum, quo Diuinæ personæ sunt inter se vnum ex identitate Diuinæ essentiæ, ratione cuius vna in alia inexistere dicitur.

Hinc deducitur Primo per dona naturalia nõn dici mitti tres Diuinas personas, veluti insulsè scriptum reliquit *Durandus in 1. dist. 15. quæst. 3.* cuius sententia omnium Theologorũ votis aduersatur; tripliciq; ratione improbatur. Primò, quia per naturalia dona Deus in ijs esse dicitur per præsentiam, potentiam, & essentiam, sed ad missionem requiritur, vt Deus nouo modo incipiat esse, & quidem supernaturali, in quo prius non esset. Secundò missio datur ad fruendum, & possidendũ Deum, sed per dona naturalia homo non fruitur Deo, neq; illum possidet, sed solum per dona gratũfacientia. Tertiò sicut processiones ad intrà fuerunt causa egressus Creaturarum à Deo per creationem, ità per easdem processiones, & missiones Diuinarum personarum ad extrà ad Creaturas rationales, ad idem principium, à quo processerunt, regrediuntur per cognitionem, & amorem supernaturalem.

Secundò deducitur missionem Diuinarum personarum non fieri ad eos, qui habent Fidem informẽ, quidquid dicat Caietanus *hic art. 3.* Nam cum isti sint Dei hostes, Deus non dicitur in eis habitare, iuxtà illud Sapientiæ 1. *In Animam maleuolam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subiecto peccatis*.

Tertiò deducitur Diuinas personas dari, & mitti ad Angelos, & Sanctos in Gloria tùm ratione illustrationum, quæ sunt illis debitæ ratione status: ità *D. Th. hic art. 6. ad 3.* illabitur enim Deus Beatis mira quadam, & ineffabili ratione, imò in hoc illapsu formalem Beatitudinem consistere nonnulli Theologi opinantur.

Quartò deducitur missionem Spiritus sancti non propriè fieri ad eos, qui recipiunt gratias gratis datas, prophetiam, gratiam linguarum, & miraculorum, nisi simul habeant gratiam sanctificantem, quæ est radix, & fundamentum inhabitationis Spir. sanc. in nobis. Nam licèt recipientes gratias gratis datas dicantur accipere Sp. sanc. sicut de ijs, qui recipiunt potestatem absoluendi dicitur. *Accipite Spir. sanc. quorum remiseritis peccata*, non tamen aptè quis diceret mitti ad eos Spiritum sanctum. Ratio est, quia

Spir.

Spir. sanc. non dicitur esse in illis, vt cognitum in cognoscente, & vt amatum in amante, vt tradit *S. Th. art. 3. in C.* cum isti possint esse in lethali, eo vel maximè quod ista missio ordinatur ad possidendum, & fruendũ Deo, sed per gratias gratis datas sine sanctificante homo nec fruitur, nec possidet Deum.

Quintò deducitur Diuinas personas mitti ad eos, quibus datur gratiæ augmentum; quemadmodum Spir. sanc. ad Apostolos missus dicitur, quãuis iam haberent gratiam sanctificantem, sed ratione huius missionis copiosiorem receperunt: Et in hoc sensu est accipiendus locus ille Ioannis 7. *Nundum spiritus erat datus, quia nundum Iesus erat clarificatus*; vnde *D. Th. d. art. 6. ad 2.* videtur ad missionem exigere augmentum notabile, vt cum quis proficit in aliquem nouũ actum, vel ex feruore Charitatis exponit se Martyrio, vel arduum opus aliquod agreditur. Verùm auctoritas Augustini *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* ab eodem D. Th. inducta loquitur de quocunq; augmento, & profectu. Sic enim habet. *Tunc cuiquam mittitur Filius, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ Animæ rationalis in Deo.*

Nec repugnat S. D. qui vsus est illa voce *præcipuè*, vt significaret missionem fieri ad omnes, quibus augetur gratia, sed præcipuè ad eos, quibus in eminentiori gradu confertur. Ratio etiam suffragatur, quia omnes gradus gratiæ sunt eiusdem rationis naturæ, & proprietatis, consequenter omnes suaptè natura constituunt Deum præsentem illi supposito, in quo reperiuntur, quare quò augetur gratia, eò etiam hæc Diuina præsentia in Anima Iusti perfectius ampliatur, & radicatur.

Secunda Propositio.

Respondeo & dico secundò in sanctificatione Animæ non solùm ad nos mitti Spiritum sanctum in dono creato, sed etiam in persona. Hæc cõclusio est communis omnium Theologorum in *1. dist. 14. & 15.* & ita certa, vt oppositum erroris labe notetur à *D. Th. hic art. 3. in 1. argumento iuncta eius solutione*, cui traditioni Expositores omnes subscripsere, quibus addimus Belarminum *lib. 2. de Christo cap. 22.* Toletum *in cap. 15. Ioannis*, Chrisalduũ *in v. Spiritus sanctus* §. 13. vbi docet oppositum esse apertam hæresim. Colligitur hæc veritas ex præallegatis Scripturæ testimonijs. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; & infrà: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Ioannis 4. *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet,*

& Deus in eo, 1. ad Corinth. 6. *An nescitis, quia membra vestra Templum sunt spir. sanc. qui in vobis est, quem habetis a Deo*; sed præ ceteris insignis est locus ille ad Rom. 5. *Diffusa est gratia in cordibus nostris per spir. sanc. qui datus est nobis*. Quibus verbis Apostolus distinxit inter donum gratiæ, & donum eiusdem personæ Sp. sanc. Vnde S. Augustinus *ser. 13. de verbis Domini* sic loquitur. *A quo datur? Ab illo, qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum sanctum. Qui tale donum dat, qualis est ipse. Magna est misericordia eius: Donum dat sibi æquale, quia donū eius spiritus sanctus est*. Eandem veritatem tradidit idem Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* S. Leo *ser. 2. Pentecostes.* S. Ambrosius *lib. 1. de spir. sanc. cap.* 4. S. Cyrillus *lib. 12. Thesauri cap. 15.* S. Basilius *lib. 5. contra Eunomium cap.* 5. S. Chrisostomus *in cap. 5. ad Romanos* in illa verba, *Diffusa est gratia in cordibus nostris*.

Ratione etiam Theologica eadem assertio demonstratur. Nam inter Deum & hominem, per gratiam sanctificantem contrahitur perfectissima quædam amicitia, sed perfectissima amicitia postulat nō solùm conformitatem affectuum, sed realem præsentiam, & vnionem intimam; ergo habenti gratiam sanctificantem proprio quodā iure Diuina præsentia debetur, adeout si per impossibile Deus ratione suæ immensitatis non esset vbique, sed solùm intrà Cælos, vt falsò Tullius opinabatur, se præsentem constitueret ijs omnibus, qui habituali gratia gratum faciente ornati essent. Sicut enim vnio hypostatica humanitatis cum Diuino Verbo natura sua postulat intimam Verbi præsentiam, quia non potest intelligi vnio substantialis sine præsentia extremorum, ità dona ista supernaturalia, in quibus Diuina amicitia fundatur, eandem Diuinarum personarum missionem, & prę sentiam realem iure quodam perfectissimæ amicitiæ postulare videntur. Vnde D. Dionysius *de Diuinis nominibus cap. 4. Amoris Verbum*, inquit, *vim habet faciendi vnum, & colligandi, præstantiq; modo res intrà se miscendi, quæ in pulcro, & bono pulchri, & boni causā manet, continetq; paria communi inter se coniunctione, & superiora ad inferiorum procurationem impellit, inferioraq; cum superioribus conuersione corroborat*. Hæc ille, cui traditioni subscripsit S. Augustinus *lib. 8. de Trinitate cap. 10. Quid est*, inquit, *Amor, nisi quędam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicèt, & quod amatur*. Ad hanc rationem reducitur illa S. Th. *hic art. 3. in C.* vbi tradit prę ter illos tres modos, quibus Deus dicitur esse in rebus per præsentiam, potentiam, & essentiam, dari aliud quartum genus, quo Deus est in Anima, vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Non enim loquitur S. D. de quacunque cognitione, & amore etiam in obiectum distans, sed loquitur de cognitione, & amore simùl perfectissimæ amicitiæ, quæ, vt

dictum

dictum est, vnionem, & præsentiam amati obiecti, necessariò expostulat.

Tertia Propositio.

Respondeo, & dico tertiò quamuis in sanctificatione animæ tota Triades sanctissima ad nos venire dicatur tùm ratione indiuisæ operationis, tùm in ratione obiecti dilecti, vt dictum est. Vnde de omnib. tribus personis scriptum est *Veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, tamèn per quandam ap propriationem dico interdū mitti Sp. sanc. quādoq; Filium, interdum coniunctim vtramq; personam. Explicatur conclusio. Nam vel in Anima infunduntur habitus cognoscitiui, vt Fides, scientia, & tunc nulla persona mittitur, tùm quia deficit fundamen tum amicitiæ, quæ desumitur ex gratia sanctificante, tùm quia isti habitus non referunt Filium, cui appropriatur sciētia, Filius siquidem non est qualecumque Verbum, sed Verbum spirans amorem. Vnde *s. August. lib. 9. de Trinit. cap. 10.* inquit, *Verbum, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est.* igitur Filius non in quacunque supernaturali cognitione dicitur mitti, sed in ea sola, quæ mouet affectū. Vnde idem *s. August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. tunc inuisibiliter*, inquit, *Filius cuiquam mittitur, cum à quoquā cognoscitur, ac percipitur*, scilicèt per experimentalem, & affectuosam notitiam. Vel secundo infunduntur Animæ habitus prorsus affectiui, & tunc mitti dicitur Spir. sanc. quia illi habitus originem Spir. sanc. quę est per amorem repræsentant, & itàquædā illius sunt manifestatio. Vel tertio infunduntur Animæ dona intellectus; sapientiæ, & consilij, quæ ita instruunt, & illuminant Intellectum, vt accendant affectum, & tunc dicitur mitti Filius, quia nos per hæc dona ducit in notitiam propriæ originis per Intellectū. His tamen non obstantibus in omni missione, in qua mittitur Filius, mittitur etiam Spiritus sanctus, & in omni missione, in qua mittitur Spiritus sanctus, mittitur etiam Filius. Ratio est, quia Amor, in quo Spir. sanc. repræsentatur, sequitur notitiam affectiuā Filio appropriatam, & perfecta notitia, in qua refertur Filius, & mittitur, inclinat, & inducit amorem, vt dictū est, ex quibus sequitur in omni iustificatione, vel gratię augmento vtranque personam simùl & coniunctim mitti, veluti etiam colligi videtur ex illo testimonio Ioannis cap. 16. *Cum venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem.* siquidem in missione spir. sanc. ostendit futuram in Apostolis inflamationem Diuini amoris, in promissione, quod omnem veritatem docebit, supponit coniunctam Filij, cuius proprium est docere, missionem inseparabilem.

* *
*

DIS-

DISPVTAT. LX. & Postrema.

De Missionibus Spiritus sancti visibilibus.

Ad Art. 7. s. Thomæ.

QVuamuis in veteri Lege Diuinas Personas sæpè apparuisse legamus veluti pluribus demonstrat s. Augustinus *lib. 7. de Trinit. à cap. 7.* vbi dicit, *Valdè temerarium esse dicere, Deum nūquam Patribus, aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse*. Nihilominus spiritum sanctum, vel aliam Diuinam personam visibili forma missum esse ad Patres, aut Prophetas veteris Legis nusquam legitur; imò oppositum his verbis traditur Ioa. 7. *Nundum Spiritus erat datus*, idest missus visibiliter, *quia Iesus nundum erat clarificatus*. Ad Patres autem veteris Testamenti, inquit, sanctus Thomas dict. artic. 7. ad 6. *Missio visibilis spir. sanc. fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis Filij quam spir. sanc. cum spir. sanc. manifestet Filium, sicut Filius Patrem*; Ex quo fit omnem missionem esse quidem apparitionem, sed non omnem Diuinæ personæ apparitionē esse missionem; Plura enim ad missionem, quàm ad apparitionem requiruntur: siquidem ad apparitionem sufficit, si Diuina persona sub aliquo signo sensibili sese quomodolibet notificandam præbeat, etiam absque vlla gratiæ infusione ijs facta, quibus apparere dicebatur, etiam ignota eius origine. At ad missionem visibilem ex communi Theologorum consensu tria requiruntur, manifestatio originis personæ missæ, donum gratum faciens in eo, ad quem mittitur, & signū sensibile exterius, quò tùm eiusdem emanatio, tùm inhabitatio in eo, ad quem mittitur, speciali nota designetur. Itaque missio visibilis sic propriè describi debet. Missio visibilis est apparitio Diuinæ personæ sub aliquo sensibili signo eidem appropriato, quò tùm eiusdem emanatio, tùm eiusdem inhabitatio per eximiam, & redundantem sanctitatem in eò, ad quem mittitur, non obscurè repræsentetur. Dicitur apparitio loco generis, quod pluribus conuenit quam missionibus, vt dictum est, dicitur Diuinæ personæ ad distinctionem missionis humanæ, vel Angelicæ, dicitur in signo aliquo sensibili ad distinctionem intellectualis, vel imaginariæ apparitionis factæ Patriarchis, vel Prophetis; vnde omnes sp. sanc. missiones, & apparitiones in noua Lege, quas infrà referam, non fuerunt imaginariæ, sed reales, & sensibiles; Dicitur eidem personæ Diuinæ, quæ mittitur, appropriato. Nam licèt illa Creatura exterior effectiuè fit à tota Trinitate ministerio Angelorum, tamen repræsentatiuè ità conuenit illi personæ, vt alteri non conueniat; ex quo fit missiones visibiles, quas in scriptu-

ptura de tertia persona legimus, non esse ad instar missionum inuisibilium, per gratiam sanctificantem, in quibus mittitur Spirit. sanct. cum Filio, & cum ijs venit etiam Pater, vt præcedenti Disputatione dictum fuit, quidquid oppositum minus rectè scriptum reliquerit *Antonius de Corduba dicta quæstione 41.* Siquidem repræsentari per tale signum assumptum ex imperio totius Trinitatis non est opus ad extra, sed denominatio extrinseca potius ad vnam personam, quam ad aliam, cuius proprietates repræsentat; & ideò in die Pentecostes ità venit visibili forma Spir. sanc. ex communi sensu totius Ecclesiæ, vt non nisi falsò, vel temerè visibiliter tunc etiam missum Filium asseuerare quis posset. Dicitur demum hoc signo appropriato denotari originem personæ missæ, vnde non repræsentatur vt operans, sed vt emanans actione immanenti, quod est illi proprium; eodem item signo repræsentatur personam missã inhabitare in eo, ad quem mittitur, vel per gratiæ infusionem, & augmẽtum, vt in Apostolis, vel ad plenitudinem sanctificationis testandam, vt in Christo, cuius anima nõn erat capax augmenti gratiæ. Hæc tamen inhabitatio Spir. sanc. per gratiam non debet esse communi, & consueto modo, quo in omnibus Iustis per gratiam inest, sed debet intelligi hæc inhabitatio per gratiam insignẽ, & in alios redundantem, qualis fuit in Christo, & Apostolis, vel initio Euangelicę prædicationis in ijs, qui per manuum impositionem Apostolorum recipiebant Spir. sanc. visibili flamma, vel igneis linguis super capita eorum apparentem, vt colligi videtur ex *1. Petri 11. Cecidit Spir. sanc. super eos, sicut & in nos in initio.* Porrò præter missionem & apparitionem Spir. sanc. iam commemoratam plures aliæ leguntur, quę ad quatuor reducuntur. Prima fuit in specie colũbæ in Christi baptismo. Secunda in nube in Monte Tabor in Christi transfiguratione. Siquidem nubes illa lucida Spiritum sanctum repræsentabat, vt auctor est Augustinus *Epist. 102. ad Euodium, & S. Thomas 3. p. q. 45. art. 4. ad 2.* & hac quæst *ar. 7. ad 6.* De qua nube Ecclesia in officio transfigurationis sic canit. *In splendenti nube Spir. sanc. visus est.* Tertia fuit in flatu Christi, qui *insufflauit, & dixit Accipite Spir. sanc. quorum remiseritis peccata, &c.* Quarta fuit in die Pentecostes. Duæ priores missiones factæ sunt ad Christi Diuinitatem testandam. Nam in fœcunditate Columbæ, plenitudo gratiæ per Christũ Fidelibus communicanda, per nubem lucidam plenitudo Gloriæ Christi à suis membris participanda designabatur. Duæ aliæ ad Apostolos destinatæ; vna in die Resurrectionis sub exteriori signo flatus, vt sicut in Creatione hominis Deus insufflando inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, ità illo Christi flatu ostenderetur, Spiritum sanctum in die Resurrectionis dari ad restituẽdam eis vitam spiritualem

tem per peccatum amissam, quemadmodum rectè notauit *Basilius lib. de Spir. sanc. cap. 10. & S. Cyrillus lib. 12 in Ioan. cap. 56.* Secundò fuit Apostolis collatus spir. sanc. sub forma flatus, vt sicut flatus à pectore, & ore emanat, ità propria eiusdem origo à Patre, & Filio demonstretur. Sic *S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20.* Tertio in specie flatus datus est eis spiritus sanctus, vt per hoc significaretur, auctoritatem remittendi peccata, quam tunc Apostoli recipiebant, non nisi ex influxu capitis, qui est Christus, deuenisse. Quartò moriendo Christus emisit spiritum, & post Resurrectionem in Apostolos emisit spiritum, dum illi potestatem concessit remittendi peccata, vt remissionem peccatorum morte Christi nobis concessam intelligeremus. At in die Pentecostes datus est spir. sanc. sub signo ingentis soni linguarum, & ignis, quasi ad excitandos homines, vt media Apostolorum Prędicatione ad agnitionem veri Dei per Fidem, & amorem venirent, tùm ob alios non paucos fines, quos tùm sacrarum litterarum expositores, tùm Concionatores pluribus prosequútur, ab instituto scolastico prorsus alienos. Illud tamen valde obseruandum est à Theologo, formas istas visibiles, sub quibus spir. sanc. apparuisse dictus est, non fuisse illi hypostaticè vnitas, quémadmodum falsò opinatus fuit de Columba Baptismi *Tertullianus lib. de carne cap. 3* cuius oppositum docuit *S. Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 6.* ijs verbis. *Non ergo sic est assumpta Creatura, in qua apparuit sp. sanc. sicut assumpta est caro illa, & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim Columbam beatificauit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem sibiq; & personæ suæ in vnitatem habitumq; coniunxit æternũ.* Cur autem Filius missus sit in Mundum per vnionem hypostaticam, non item Spiritus sanctus, huius diuersitatis optimã sanè rationem tradidit D. Thomas *hic art. 7. ad 4.* ijs verbis. *Dicendum quod personã Filij declarari oportuit vt sanctificationis auctorem, vt dictum est, & ideò oportuit, quod missio visibilis Filij fieret secundum naturam rationalem, cuius est agere, & cui potest competere sanctificari. Inditium autem sactificationis esse potuit quæcumq; alia Creatura. Neqs oportuit, quod Creatura visibilis ad hoc formata esset assumpta à Spir. sanc. in vnitatem personæ, cum nõ assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum; & propter hoc etiã non oportuit, quod duraret, nisi quamdiu perageret officium suum.* Hæc ille.

Conclusio Tractatus.

1. *Quæ multa dixi*, vtar verbis B. August. lib. 15. de Trinit. cap. vltimo, *nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate dignũ me dixisse audeo profiteri, sed cõfiteri potius mirificam scientiam, cuius ex me inualuisse, nec posse me ad illam. Librum itaque istum*, subdit post pauca *iam tandem aliquando precatione melius quam disputatione concludam.*

25. Domine Deus noster, credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Neque enim diceret veritas, Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nisi Trinitas esses. Nec baptizati nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce diuina, Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est: nisi Trinitas ita esses, vt vnus dominus Deus esses. Etsi tu Deus Pater ipse esses, & Filius Verbum tuum Iesus Christus ipse esses, & donum vestrum Spiritus sanctus, non legeremus in litteris veritatis, Misit Deus Filiũ suum. Nec tu, o Vnigenite, diceres de Spiritu sancto, Quem mittet Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à Patre. Ad hanc regulam Fidei dirigens intentionem meam quantum potui, quantum me posse fecisti, quæsiui te, & desideraui intellectu videre quod credidi, & multum disputaui, & laboraui. Domine Deus meus, vna spes mea, exaudi me ne fatigatus nolim te quærere, sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inuenire te fecisti, & magis magisque inueniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas, & infirmitas mea. Illam serua, istam sana. Coram te est scientia, & ignorantia mea. Vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem. Vbi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrũ. Scio scriptum esse, In multiloquio non effugietur peccatum: Sed vtinam prædicando Verbum tuum, & laudando te tantummodo loquerer: non solum fugerem peccatum, sed meritum bonum acquirerem, quantumlibet multum sic loquerer: Neque enim homo de te beatus, præceptũ præciperet germano in filio suo, cui scripsit dicens, Prædica verbum, insta opportunè, importunè. Nunquid dicendum est istum non multum locutum, qui non solùm opportunè, verumetiam importunè verbum tuum Domine non tacebat? ideò non erat malum, quia tantum erat necessarium. Libera me à multiloquio quod patior intus in anima mea misera in conspectu tuo, & confugientem ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Etsi quidem non cogitarem, nisi quod placeret tibi, non vtique rogarem, vt me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti, cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire, etsi quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, Vt aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine iam vocatur, Multa, inquit, dicimus, & non peruenimus, & consummatio sermonum vniuersa est ipse. Cum ergo peruenimus ad te, cessabunt multa ista, quæ dicimus, & non peruenimus, manebis vnus omnia in omnibus: & sine fine dicemus vnum, laudantes te in vnum, & in te facti etiam nos vnum. Domine De-

Deus vnus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his Libris de tuo, agnoscant & tui: si quę de meo, & tu agnosce, & tui.

Hæc itaq; sufficiunt de hoc ineffabili sanctiss. Triadis arcano ad eiusdem laudem, & gloriam, cui tam istas, quàm reliquas lucubrationes meas, quas Romanæ Ecclesiæ censuræ humiliter subijcio, pronus in terra offero, dico, sacro.

Disputationum de Sanctiss. Trinitate Finis.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM SINGVLARIVM,

quæ in hoc Opere Continentur.

A

ACTIO.



AMOR.

ANGELVS.

ANTICHRISTVS.

APPARITIO.

C

CHRISTVS.

CIRCVMINCESSIO.

AEQVALITAS.

F

G

H

I

Ad

N

NOTIO.

NVMERVS.

O

P

PATER.

PERSONA.

S

SCIENTIA.

SERAPHIM.

SIMILITVDO.

SPECIES INTELLIGIBILIS.

SPIR. SANC. PERSONA.

proce-

SPIRATIO.

SVPPOSITVM.

SVBSISTENTIA

SYBILLÆ.

SYLLOGISMVS.

T

TRINITAS.

V

VERBVM.

VERBVM MENTALE.

Index Rerum Finis.

ERRATA		SIC CORRIGE.
Pag. 13. in Operis approbatione versu 18.	Baptista Criuellus	Baptistæ Criuelli
Pag. ‸ ver. 21.	addictiones	additiones
Pag. ‸4. ver. 27.	proueheendum	prouehendum
Pag. 24. in Apparatu ver. 25.	corpum	corpus
Pag. eadem ver. 30.	illum	illam
Pag. 4. Prælud. 4. ver. 11.	Augustinum	Alios Patres
Pag. 8. col. 2. ver. 22.	obseruandam	obseruandum
Pag. 9. col. 1. ver. 18.	ab ipsis	ab ipso
Pag. 41. col. 1. ver. 24.	ex quo	ex qua
Pag. 73. col. 2. ver. 35.	Scotiste	Scotistæ
Pag. 80. col. 1. ver. 20.	consequentiam	consequentia
Pag. eadem col. eadem ver. 30.	inuiè	inficiè
Pag. eadem col. 2. ver. 30.	adequate	adequatæ
Pag. 97. col. 2. ver. 24.	Spiritus sanctus	Spiritu sancto.
Pag. 127. col. 1. ver. 4.	de potentia adde	art. 4.
Pag. 158. col. 2. ver. 4.	proposito	propositio
Pag. 159. col. 2. ver. 30.	notandam	notandum
Pag. 162. col. 2. ver. 21.	modom	modum
Pag. 172. col. 1. ver. 33.	decipere	decipior
Pag. 174. col. 1. ver. 3.	animam	anima
Pag. 177. col. 2. ver. 10.	distinguendum	distinguenda
Pag. 187. col. 1. ver. 14.	euidentium	Euidentiam
Pag. eadem col. 1. ver. 27.	arcana	arcani
Pag. 2 6. col. 1. ver. 9.	quæ	quod
Pag. 214. col. 1. ver. 2.	inferius	inferioris
Pag. 219. col. 2. ver. 8.	prolis	proles
Pag. 222. col. 2. ver. 20.	dici	dicitur
Pag. 256. col. 2. ver. 16.	quidquam	quidquam
Pag. 259. col. 2. ver. 3.	conciabulis	conciliabulis
Pag. 264. col. 1. ver. 13.	ar. 4. adde	lib. 4.
Pag. 277. col. 1. ver. 4.	locutus	locutos
Pag. 280. col. 2. ver. 16.	discensu	descensu
Pag. 390. col. 2. ver. 25.	præprius	perprius
Pag. 304. col. 1. ver. 24.	virtualiter	verumlibet
Pag. 310. col. 1 ver. 34.	naturale	materiale
Pag. 316. c. 1. ver. 15. post imminutionē adde		interpretatur
Pag. 340. col. 1. ver. 3.	agnosce	ignosce

